ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deoccasionariise0000fran

DE OCCASIONARIIS ET RECIDIVIS

DE

CCASIONARIIS ET RECIDIVIS

JUXTA DOCTRINAM S. ALPHONSI
ALIORUMQUE PROBATORUM AUCTORUM

SCRIPSIT

FRANCISCUS TER HAAR, C. SS. R.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TAURINI - ROMÆ
Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctæ Sedis Apostolicæ, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

—

1927

APPROBATIO

Permissu Superiorum Congr. SS. Redempt.

NIHIL OBSTAT

Augustæ Taurinorum, V Idus Aprilis 1927.

Sac. ALOYSIUS COCCOLO, *ex delegatione.*

IMPRIMATUR

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (7-V-27)

PROŒMIUM

Ex vasto theologiæ moralis campo doctrina, quæ de occasionariis et recidivis agit, gravitate et utilitate ceteris præstat: est enim in sacri tribunalis praxi frequentissima, imo quotidiana, quum ejus principia ad omnes passim materias morales applicentur. Summopere igitur ad Dei gloriam animarumque salutem interest, ut sacramenti Pœnitentiæ ministri in re adeo practica rite sint instituti, easque sequantur normas quæ Ecclesiæ magisterio, rectæ rationi et doctrinæ magnorum theologorum magis consentaneæ sint. Secus enim fiet ut hoc sacramentum, quod tamquam « secunda post naufragium tabula » [1] institutum est, fine suo frustretur, imo haud raro in animarum detrimentum cedat. Hinc graviter monet S. Alphonsus: « Probe animadvertatur, pœnitentium salutem maxima ex parte pendere ex recta agendi ratione confessariorum in danda aut differenda absolutione occasionariis et recidivis » [2]. Et alibi: « Necesse est, inquit, ut confessarius toto animo intendat ad hanc duplicem pœnitentium classem, occasionarios dico et recidivos; nam hac in re multi suo desunt officio, sicque causa sunt damnationis multorum, vel ob nimiam benignitatem vel ob nimium rigorem in eis absolvendis » [3]. Item: « Maxima confessariorum cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt aut recidivi. Hi sunt duo magni scopuli, in quos major con-

[1] Conc. Trident. *sess.* 14, *can.* 2. — [2] *Avvertimenti ai conf. novelli*, n. VI. — [3] *Confessore diretto*, cap. 15, n. 10.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

fessariorum pars impetunt et deficiunt » [1]. Idem prorsus sentit S. Leonardus a Portu Mauritio, qui confessarios alloquens atque exhortans: « Estote, inquit, cauti ad consuetudinarios et occasionarios quod spectat, quippe qui duo sint scopuli ad quos frequentius alliduntur confessarii et misere pereunt » [2].

Hæc nostris quoque temporibus verissima sunt, imo potiore etiam jure quam antea sunt attendenda. Enimvero ex una parte spiritus malignus, qui antiquitus in societate pagana dominabatur, hodie ubique gentium societatem christianam sub culturæ et progressus specie magis magisque penetrare et inficere conatur. Hinc tot novæ exortæ peccandi occasiones, tot pericula fidei et morum priscis temporibus ignota, tot mores consuetudinesque liberiores; quorum omnium finis præcipuus est animas, a Christi sanguine redemptas, ab Ecclesia distrahere aut saltem a virtute et pietate christiana divellere, ad peccatum pellicere corruptisque moribus imbuere et tandem in æternum barathrum detrudere. Accedit ex altera parte quod apud permultos christianos fidem videmus languentem, spiritum pœnitentiæ extenuatum, studium æternæ salutis diminutum, usum orationum et sacramentorum, imprimis confessionis, decrescentem. Hinc vires quibus occasionibus pravisque consuetudinibus resistatur, debiliores; gratiæ quoque quibus vincantur tentationes, minores minusque efficaces.

Verum enim vero, hæc rerum conditio zelum sacerdotum qui sacro confessionum ministerio occupantur, nequaquam imminuere, quin etiam acuere debet. Quo magis namque princeps hujus mundi ejusque asseclæ animas perdere nituntur, eo majore studio ministri Christi, sub tanto duce militantes, gloriam Dei animarumque salutem promovendam curare debent. Quo in ministerio ut felicem nanciscantur successum, ante omnia, ut supra dixit S. Alphonsus, in tractandis occasionariis et recidivis duplicem vitare debent scopulum: hinc quidem immodicæ severitatis, ne calamus quassatus frangatur et peccatores in desperationem agantur aut sacramenta relinquant; illinc autem nimiæ indulgentiæ, ne intempestiva absolvendi facilitate pereat ille spiritus pœnitentiæ, quæ, teste Tridentino, « quovis tempore ad gratiam et justi-

---

[1] *Praxis confess.*, n. 63. — [2] *Discorso mistico e morale*, n. 32.

tiam assequendam necessaria » fuit (*sess.* 14, *cap.* 1), neve miseri illi in periculosis occasionibus pravisque habitudinibus relinquantur, magis semper peccatis assuescant et tandem fidei quoque et animæ jacturam faciant. Hoc graviter monet SS. Pontifex Leo XII in constitutione *Charitate*, diei 25 Decembris 1825: « Si ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione et in desperationem salutis adducat ». Magna igitur prudentia navigandum est inter Scyllam et Charybdim. Medium illud tenendum est quod tenuere beati. Ast hoc opus, hic labor.

Ne autem in hac divina arte addiscenda et exercenda confessarii sibi relinquantur, Spiritus Sanctus suscitavit in Ecclesia duces et magistros, qui tum doctrina et prudentia, tum zelo pro gloria Dei et charitate erga animas aliis documento exstent atque exemplo. Hos inter eminet S. Alphonsus M. de Ligorio, Ecclesiæ Doctor, quem Leo XIII in Encycl. ad Episcopos Italiæ, diei 8 Dec. 1902, vocavit « *maxime insignem et mitem* theologorum moralistarum » [1].

Re sane vera; quum sæculo XVIII immodicus rigor, haud sine efficaci Jansenismi opera, in exercendo sacro Pœnitentiæ ministerio longe lateque grassaretur, S. Alphonsus huic viriliter sese opposuit ipseque præsertim innumeris suis scriptis effecit, ut confessarii paulatim ad mitiorem agendi rationem accederent. Mirabilis talis unius viri influxus fere sine exemplo fuit in historia Ecclesiæ. Neque tamen ad illam doctrinæ et praxis delapsus est laxitatem, quæ præcipue sæculo XVII in multis scholis et sacris tribunalibus percrebuerat et quam Summi Pontifices Alexander VII et Innocentius XI « non sine magno animi sui mœrore » defleverant [2]. Media inter utrumque scopulum incessit via; auream illam tenuit « mediocritatem », quam supra laudavit Leo XII.

Hoc certe probant egregia illa S. Sedis testimonia, in ejus causa tum Canonizationis tum Doctoratus prolata. Pauca dumtaxat referre lubet. — Quum ageretur de heroicitate ejus virtutum,

[1] « Il più insigne e mite dei moralisti ». Cfr. *Leonis XIII Acta*, t. 22, p. 253. — [2] Decr. S. Inquis. 24 Sept. 1665 et 2 Martii 1679.

rogatu Promotoris Fidei et jussu Pii VII (1806), non semel sed iterum institutum est examen, nominatim de ejus *prudentia* in doctrina *circa consuetudinarios et recidivos.* Ratio iteratæ hujus inquisitionis fuit quod, facta authentica S. Sedis declaratione de heroicitate virtutis prudentiæ, tantum auctoritatis pondus S. Alphonsi hac de re doctrinæ accederet, ut hæc velut ipso facto tamquam prudens norma omnibus Ecclesiæ confessariis proponeretur et commendaretur. Jamvero post iteratam hanc et minutissimam discussionem prodiit die 7 Maji 1806 decretum « constare de ejus virtutibus in gradu heroico » [1].

Tertium demum S. Alphonsi hac de re doctrina ad severam trutinam revocata est, quum ageretur de concessione tituli Doctoris Ecclesiæ. Ad hunc autem titulum concedendum juxta Benedictum XIV requiritur, præter vitæ sanctitatem, ut alicujus scriptoris doctrina sit, non solum sana omnisque expers censuræ theologicæ, sed etiam « *eminens* » [2]. Peracto igitur novo ac diligenti examine, omnibusque quæ a Promotore Fidei opposita erant plene discussis, tandem decreto 23 Martii 1871, unanimi Cardinalium S. Rituum Congregationis consensu, hic titulus ipsi a Pio IX collatus fuit. Hoc singulari titulo S. Alphonsus renuntiatus est non solum doctor in Ecclesia, uti sunt alii probati auctores, sed doctor ipsius Ecclesiæ. Ita iterum Benedictus XIV declarans: hujusmodi dignitas « non pertinet, inquit, ad doctores qui fuerunt *in Ecclesia*, sed ad doctores *ipsius Ecclesiæ* » [3]. Gaudet igitur sancti nostri Auctoris doctrina auctoritate non mere privata magni cujusdam theologi, sed quodam sensu publica: ejus opera facta sunt velut indices, veritatis theologicæ inquisitoribus viam ac rationem monstrantes; velut fontes, utut non infallibiles, ex quibus alii theologi solidam fidei et morum doctrinam hauriant. Hinc in eodem decreto S. Alphonsus laudatur quod « inter implexas theologorum sive *laxiores* sive *rigidiores* sententias *tutam* straverit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent ». Et brevi post Litteris Apostolicis diei 7 Julii 1871 Pius IX, confirmans iterum eumdem titulum eademque repetens encomia, declaravit S. Alphonsum providentissimo Dei consilio specialiter su-

---

[1] Cfr. *Vind. Alph.* ed. 2ª, Dissert. proœm. n. 46. — [2] *De Serv. Dei Beatif.* lib. IV, pars. II, cap. 11, n. 13. — [3] *l. c.* n. 11.

scitatum fuisse adversus Jansenistarum doctrinam, ut « scriptis doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus eradicandam et ab agro Dominico exterminandam curaret ». — Omissis aliis S. Sedis præclaris testimoniis, ex hactenus recitatis satis abunde constat, S. Alphonsi doctrinam moralem generatim esse valde prudentem, salutarem, tutam, quam confessarii, inter theologorum sententias sive laxiores sive rigidiores incedere cupientes, inoffenso pede sequantur. Maxime vero id spectat ad ejus doctrinam de consuetudinariis et recidivis, quippe quæ, ut diximus, a S. Sede repetito et minutissimo examini subjecta fuit. Jure meritoque igitur Emin.mus Cardinalis van Rossum de S. Alphonso dicit: « Ipse zelantissimus, *singularis in Ecclesia confessariis Doctor a Deo excitatus*, nihil quærens nisi salutem animarum, in illam præcipue pœnitentiæ partem, quæ ad *occasionarios* et *recidivos* spectat, omne studium et ingenium contulit, immensum laborem impendit, diuturnam ac ditissimam experientiam consuluit, preces et orationes continuas junxit et ita, speciali Dei adjutorio munitus, moderatas ac sapientissimas regulas condidit, quibus cum fructu animarum confessarii Pœnitentiæ sacramentum administrarent occasionariis et recidivis » [1].

Quæ quum ita sint, nos de re adeo gravi scribere desiderantes, nihil satius esse duximus quam ut in hoc opere genuinam et integram S. Alphonsi doctrinam investigaremus, uberius explicaremus, omni argumentorum pondere comprobaremus, nostrique temporis conditionibus accommodaremus. Idcirco etiam tractatui qui proprie *de occasionariis et recidivis* agit, addimus ea quæ S. Doctor tradit de absolutione peccatoribus *dubie dispositis* quandoque sub conditione danda; ejus enim hac de re sententia admodum benigna nostra ætate multo magis quam antea usu frequens est, ita ut probatissima ejus principia, per se et ordinarie sequenda, multis in locis haud raro juxta hanc ultimam sententiam æqua moderatione applicari contingat.

Neque tamen solius S. Doctoris nostri doctrinam, etsi adeo commendatam, exposuimus; sed, ejus memores exempli, aliorum quoque theologorum sententias abunde retulimus, quibus ut plu-

---

[1] *Comment. de judicio sacram.*, ed. 2ª, n. 54.

rimum ejus doctrina confirmetur. Hinc est quod in ipsius operis titulo inscripserimus: « juxta doctrinam S. Alphonsi aliorumque probatorum auctorum ».

Ad *methodum* quod attinet, fini nostro aptius esse censuimus, ipsum *textum Theologiæ Moralis* S. Alphonsi (lib. VI, n. 452-464 et n. 431-432) operi nostro tamquam fundamentum subjicere, tum quia optimo generatim ordine hic textus incedit, tum etiam ut lector sic faciliore negotio ipsa Magistri nostri verba eorumque contextum semper ob oculos habeat. Commentarium tamen nostrum ita ordinavimus, ut jam per se et solutus etiam a S. Doctoris textu integrum de nostra materia tractatum contineat. — In hoc autem textu referendo adhibita a nobis fuit « Editio nova cum antiquis editionibus diligenter collata, in singulis auctorum allegationibus recognita, notisque criticis et commentariis illustrata, cura et studio *P. Leonardi Gaudé*, C. SS. R. » (Romæ, typis polyglottis Vaticanis); quæ quidem editio a Pio X, fel. mem. « typica » appellata atque encomiis laudata fuit [1], et deinde communi eruditorum plausu recepta. Hunc igitur textum identidem pro re nata juxta hermeneuticæ regulas explicavimus per orationem contextam et per loca parallela, sive ex eadem Theologia morali sive ex aliis S. Auctoris operibus desumpta.

Ipsam autem S. Alphonsi doctrinam ut plurimum variis *Thesibus* brevi complexi sumus, in quibus tum summa doctrinæ capita tum regulæ et normæ traduntur, quæ confessarium in suo erga occasionarios et recidivos ministerio dirigere debeant. — Has theses, primo explicatas, fuse deinde omni argumentorum genere probavimus, maxime quidem *rationibus* internis et theologicis. Hisce rationibus ante omnia insistendum esse duximus. Neque enim, velut jurantes in verba magistri, ob solam S. Alphonsi auctoritatem, utut permagnam, illas theses defendimus, sed ducti præsertim argumentis ex propria rei natura depromptis. Qua in re iterum

---

[1] In Litteris commendatitiis, auctori hujus editionis die 12 Junii 1905 datis, SS. Pontifex inter alia hæc dicit: « Opus perfecisti, Dilecte Fili, quam quod utile et sapientium omnium et laudatione dignum. Cum enim theologia morum magnam scientiæ partem constituat quæ Sacerdoti ad officium explendum est necessaria; gratias tibi omnes habere oportet, qui S. Doctoris, quem tuto omnes in morum doctrinis sequi possunt, mentem apertius ostenderis, sententiasque, securius quam numquam alias, determinaveris » (Initio Tomi Primi, p. XI).

exemplum secuti sumus sancti nostri Doctoris, qui de se testatur: « In delectu sententiarum ingens mihi cura fuit semper rationem auctoritati præponere » [1]. Generatim autem docet: « Vis rationum intrinseca principaliter attendi debet; auctoritas enim extrinseca non aliud operatur, quam afferre vis intrinsecæ præsumptionem » [2]. Sed quia præsumptio cedit veritati, hinc « omnes docent, auctoritatem extrinsecam sapientum magni non posse esse ponderis, ubi intrinseca ratio certa videtur et convincens » [3]. Hinc merito etiam Thomas Sanchez ait: « Non est credendum doctoribus, quantumque doctrina polleant, dum careant fundamento » [4].

Postquam vero illlas theses rationibus theologicis et philosophicis stabilivimus, eas etiam, ut supra diximus, confirmare voluimus *auctoritate theologorum:* sententia enim aliorum sapientum, in re præsertim prudentiæ, magni est facienda; et si hæc in favorem alicujus doctrinæ est præ opposita valde major vel quasi communis, jam per se gravissimum præbet argumentum præsumptionis pro illius doctrinæ veritate. Quapropter ipsos textus ingentis numeri theologorum tum antiquorum tum recentium verbotenus adduximus, quo lector ipsemet de iis judicium ferre possit. Excrevit quidem ita nostri operis moles, sed non nimis, ut opinamur, pro materiæ gravitate.

Inter hos theologos S. Thomas Aquinas certe ita primum occupat locum, ut ejus auctoritas rationibus internis quasi æquivaleat; et licet hanc materiam practicam non ex professo tractet, haud raro tamen ejus principia philosophica velut semina sunt, ex quibus conclusiones practicæ sua sponte enascantur et profluant. Speciali vero studio citare lubuit auctores qui non doctrina solum, sed etiam vitæ sanctitate inclaruerunt, quippe qui in salvandis per sacramentum Pœnitentiæ animis prudentia plane supernaturali vel sæpe etiam heroica ducti fuerint. Theologos probabilioristas fere non allegavimus, non quod eorum auctoritas despicienda nobis videretur — sunt enim etiam inter hos multi auctoritate conspicui et in praxi moderati, — sed quod eorum testimoniis non indigemus. Inter reliquos quos ad confirmandas nostras theses adduximus au-

---

[1] *Th. Mor.* Præfatio. — [2] *Th. Mor.* I, 79; ed. Gaudé. — [3] *l. c.* — [4] *De Matr.* lib. 3, disp. 44, n. 3.

ctores, præstant theologi antiqui e Societate Jesu. Qua in re quoque exemplum secuti sumus S. Alphonsi. Nam — contra ea quæ Jansenistæ illius temporis et post illos recentes Protestantes ac rationalistæ calumniando de horum theologorum laxitate effutiunt — sanctus Auctor antiquos illos Societatis Jesu theologos generatim maximo semper habuit in pretio, eosque « magistros theologiæ moralis » appellavit, et ut plurimum secutus est. Quod si quandoque aliquam docet sententiam, sententia alicujus theologi Jesuitæ strictiorem, id fere semper facit post alios ex eadem Societate theologos, quippe qui, ut ait, in multis opinionibus inter se dissentiant. Qua de re dijudicanda S. Doctor suam conscientiam secutus est [1].

Probatis igitur confirmatisque nostris thesibus oportuit etiam *objectiones* et *difficultates* diluere quæ contra eas ab illis moventur theologis, qui aut rigidius aut remissius quam S. Doctor noster sentiunt. Unde eorum sententias et rationes ingenue propriisque plerumque eorum verbis adduximus et ad trutinam vocavimus, ut sic in materia adeo gravi veritas magis clareat, et ipse lector prudens de eis judicium ferre suamque in sacro tribunali praxim dirigere possit. — Nam, quamquam ob graves rationes a S. Alphonsi sententiis recedere licet, nequaquam tamen fas est, ut ex supra dictis jam elucet, aliquam sententiam benigniorem idcirco dumtaxat in praxi sequi, quia ab aliquibus auctoribus, etsi alioquin gravibus, sustinetur, quando nimirum ostenditur rationes quæ pro ea adducuntur facile solvi posse, oppositam autem sententiam convincentibus niti rationibus et magna quoque fulciri theologorum auctoritate. Tali enim agendi ratione non solum omnis serius scientiæ moralis progressus quasi a limine excluderetur, sed etiam praxis sacramenti Pœnitentiæ propagaretur æquo laxior, utpote innixa opinionibus quæ solida probabilitate intrinseca carent; quæ quidem praxis in materia præsertim occasionariorum et re-

[1] Hæc constant ex variis ejus epistolis ad suum typographum Remondini. Sic die 30 Martii 1756 ad ipsum scribit, se gaudere Patrem Jesuitam esse revisorem sui operis: « nam ego, inquit, ut plurimum sequor opiniones Jesuitarum,... quum eorum opiniones neque laxæ neque rigidæ sint sed æquæ. Quod si teneo quasdam opiniones strictiores contra aliquem auctorem Jesuitam, eas fortasse quasi semper teneo cum aliis auctoribus Jesuitis, a quibus fateor me didicisse modicum illud quod scripsi; quia ipsi — ut semper dico — fuerunt et sunt magistri theologiæ moralis. Neque verum est, Jesuitas unum alterum ad instar ovium secutos esse — ut dicunt aliqui rigoristæ, — sed in multis opinionibus inter se contrarii sunt. Atque ita ego quoque egi juxta id quod mihi conscientia ut melius dictabat » (*Lettere di S. Alfonso*, III, p. 23).

cidivorum saluti animarum esset valde nociva, tum quia hæc materia, ut initio diximus, est usu frequentissima, tum quia hic plerumque non de solo periculo peccati materialis agitur, sed præcipue de peccati formalis periculo, quod reflexo conscientiæ dictamine removeri nequit, quemadmodum in decursu hujus operis sæpe videbimus. Unde hæc etiam agendi ratio plane aliena esset a mente S. Alphonsi aliorumque gravium doctorum. « Confessarius, inquit S. Doctor, antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere [1]; et cum ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat: modo auctoritas non sit tanti ponderis, ut videatur ei magis quam rationi apparenti deferendum... Sed iste casus valde rarus erit » [2].

Neque huic rei obstat, hujusmodi opinionem minus tutam ab Ecclesia nondum prohibitam esse, sed adhuc tolerari. Nam Ecclesia nequaquam suo silentio approbare intendit omnes illas theologorum opiniones quas non reprobat, etiamsi Sedi Apostolicæ delatæ essent. Hoc luculenter constat ex ipso decreto Innocentii XI (2 Martii 1679), quo 65 opiniones laxiores proscriptæ fuerunt; in fine enim additur: « *Non intendens* Sanctitas Sua per hoc decretum alias propositiones, in ipso non expressas et Sanctitati Suæ quomodolibet et ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, *ullatenus approbare* ». Quam falsa sit illa conclusio, fuse etiam ostendit Benedictus XIV in litteris 31 Julii 1748 ad Magnum Inquisitorem Hispaniæ [3]. Quapropter etiam S. Alphonsus ait: « Merito quidem multæ opiniones aliquot casuistarum antiquorum damnatæ sunt; addoque, *multas meo judicio superesse quæ damnandæ essent* » [4].

Denique, ut complura ad hanc materiam pertinentia vel cum ea intime connexa latius explicarentur aut profundius investiga-

---

[1] Recte Lehmkuhl, hæc verba S. Alphonsi laudans, ea ita explicat: « Nisi tamen ea opinio *communiter* pro probabili et practice tuta habetur » (*Th. Mor.* I, 196). — [2] *Th. Mor.* I, 82; ed. Gaudé. — [3] Cfr. Bullarium Benedicti XIV, Supplementum, Vol. XIII, p. 105-110, Mecliniæ 1827. — [4] « Con ragione molte opinioni di alcuni casuisti antichi sono state condannate; ed aggiungo che molte, a mio parere, resterebbero a condannarsi » (*Dell'Uso moderato*, cap. 6, n. 16).

rentur vel etiam melius in praxim ducerentur, identidem adjunximus *Digressiones*, *Quæstiones*, *Appendices* vel *Scholia*, quo magis completa et absoluta evaderet nostri argumenti tractatio.

Materia hæc parum hactenus ea amplitudine eaque principiorum soliditate tractata fuit quam ejus gravitas et utilitas mereri videntur. E recentioribus fere solus Berardi in præclaro suo opere «*De Recidivis et Occasionariis*» (ed. VI, Faventiæ, 1909) fusius, aliquando forte etiam confusius, de ea scripsit. Satis multum tamen ab eo differt nostrum opus, tum quia complura alia eaque nova tractavimus, tum quia alia methodo et ordine usi sumus, tum quia multas sententias et theses magis ex professo variis rationum et auctoritatum argumentis stabilivimus et ab objectionibus vindicavimus. Quapropter novam hanc monographiam nostræ ætatis theologis et confessariis gratam utilemque fore arbitrati sumus.

Ex hujus autem operis lectione, ni fallimur, egregius lector perspectum exploratumque habebit, doctrinam S. Alphonsi, a S. Sede adeo commendatam, tot validissimis rationibus comprobatam, tantaque insignium theologorum auctoritate confirmatam, non solum in se esse prorsus tutam et salutarem valdeque prudentem, sed eam, recte intellectam in suoque complexu sumptam, nostris etiam imprimis temporibus maxime accommodatam esse atque aptissimam, qua Dei gloria, bonum Ecclesiæ animarumque salus efficaciter promoveantur. Atque hic quidem in hoc opere scribendo unicus noster finis fuit.

Romæ, in Collegio S. Alphonsi, die 8 Decembris 1926.

Auctor.

TRACTATUS PRIMUS

DE OCCASIONARIIS

(S. Alph. Theol. Mor. lib. VI, n. 452-458)

1. — Jure meritoque S. Alphonsus cum aliis quibusdam antiquis theologis hujus materiæ tractationem adnectit quæstioni de propositi efficacia. Propositum enim efficax vitandi in posterum peccatum, quod ad omnem veram contritionem requiritur, suapte natura includit propositum adhibendi media necessaria, et præcipue evitandi occasiones proximas, quæ sæpissime sunt causæ peccatorum. « Requiritur, inquit, ut propositum sit efficax, id est aptum efficere quod proponitur. Et ideo oportet quod pœnitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi; ut communiter docent doctores » (VI, 451).

Tum S. Auctor præmunit contra doctrinam rigoristarum qui tenent, propositi inefficaciam passim constare ex relapsu in eadem peccata. Hanc absonam doctrinam brevi, sed efficaciter refutat, tum ex absurdo — sequeretur enim omnes recidivos teneri præcedentes confessiones repetere —, tum ex natura voluntatis humanæ, quæ mutabilis est, tum ex exemplo S. Petri, tum denique ex auctoritate S. Gregorii Magni et Ritualis Romani. En verba S. Doctoris: « Non semper verum est, tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur id quod proponitur, alias, quoties pœnitens recideret, toties teneretur repetere confessiones. Relapsus enim non

semper est signum propositi infirmi, sed sæpius tantum signum est mutatæ voluntatis; nam bene potest accidere quod quis verum habeat amorem Dei prædominantem et firmum propositum nunquam peccandi, et nihilominus statim peccet: prout D. Petrus vere proposuit potius mori quam Christum negare, et tamen ad primam ancillæ vocem negavit. Id sane probatur ex D. Gregorio [1] qui dixit: *In quorumdam... corda venit* (Deus) *et mansionem non facit...; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent.* Confirmatur ex Rituali Romano [2], ubi dicitur: *In peccata facile recidentibus, utilissimum erit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur et, si expediat, communicent* » (l. c.)

Excluso hoc errore, ad materiam tractandam transit, advertendo iterum maximum momentum vitandæ aut removendæ occasionis proximæ, ut propositum sit vere efficax: « Principalis autem efficacia propositi (ut supra innuimus) consistit in avellendis occasionibus proximis peccandi, aut in mediis debitis adhibendis, ut ipsæ, si sint necessariæ, ex proximis fiant remotæ. Unde hic diligenter de his agere oportet » (*l. c.*).

2. — Hisce igitur præmissis S. Doctor (VI, 452) quærit: « Quo« modo se gerere debeat confessarius cum iis qui sunt in occasione « peccandi? ».

Integram materiam in quinque dubia dividit:

« 1º Quotuplex sit occasio et quotuplex periculum peccandi? » (n. 452).

« 2º An absolvi possit qui se exponit probabili periculo pec« candi? » (n. 453).

« 3º An pœnitens qui versatur in occasione proxima volun« taria possit unquam absolvi? » (n. 454).

« 4º An possint absolvi qui sunt in occasione proxima neces« saria? » (455, 456).

« 5º An qui in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, « semper eodem modo relabitur possit absolvi, nisi prius occasionem « deserat? » (n. 457).

Denique « pro complemento » agit de doctrina S. Caroli Borromæi, cujus auctoritas hac in materia est prægravis (n. 458).

---

[1] Hom. in Evang. Lib. 2, hom. 30, n. 2 (Migne, t. 76, 1221).
[2] Ordo admin. Sacr. Pœn., n. 20.

Itaque commode post S. Alphonsum totum hunc tractatum de occasionariis in sex capita dividimus:

Cap. I. De notione et divisione occasionis et periculi peccandi.

Cap. II. De vitando probabili periculo peccandi.

Cap. III. De occasione proxima voluntaria.

Cap. IV. De occasione proxima necessaria generatim.

Cap. V. De occasione proxima necessaria in qua quis semper relabitur.

Cap. VI. Tradita hactenus de occasionariis doctrina confirmatur gravissima S. Caroli Borromæi auctoritate.

CAPUT I.

De notione et divisione occasionis et periculi peccandi.

Caput hoc apte in quatuor dividitur partes. S. Doctor 1º agit de occasione peccandi (§ 1-4) *; — 2º de periculo peccandi (§ 5); — 3º subnectit exempla ad prædicta illustranda (§ 6, 7), ubi speciatim disserit de sponsis invicem invisentibus (§ 8); — 4º monitum generale dat confessariis circa occasionarios (§ 9, 10). Hinc quatuor articuli.

ARTICULUS I.

Notio et divisio occasionis.

TEXTUS S. ALPHONSI
(VI, 452, § 1-4)

« Dubitatur 1º. *Quotuplex sit occasio, et quotuplex periculum « peccandi?* ».

§ 1. — « Occasio distinguitur 1º in proximam et remotam. « Occasio *remota* est illa, in qua homines constituti regulariter « ut plurimum non peccant.

« Occasionem vero *proximam* alii, ut Navarrus [1], Bonacina [2], « Laymann [a]), Concina [3] et Sporer [4], definiunt esse illam, in qua « creditur pœnitens nunquam vel raro a peccato abstinere. Sed « definitio hæc non placet ».

§ 2. — « Melius dicendum cum Sanchez [5], Holzmann [6], Lugo [7], « Suarez [8], Contin. Tournely [9], Wigandt [b]), Croix [10], Viva [c]), Patre

[1] Manuale, cap. 3, num. 14. — [2] De Matr., qu. 4, punct. 14, n. 11. — [3] Lib. 1, diss. 3, cap. 2, § 4, num. 13. — [4] Part. 3, cap. 2, n. 323. — [5] Decal., lib. 1, cap. 8, num. 1. — [6] De Pœnit., num. 500. — [7] Disp. 14, num. 149. — [8] Disp. 32, sect. 2, n. 4. — [9] De Peccat., part. 1, cap. 2, append. — [10] Lib. 5, num. 252.

NOTÆ CRITICÆ EX EDITIONE GAUDÉ. — *a*) Laymann, *lib.* 5, *tr.* 6, *cap.* 4, *n.* 9, scribit occasiones seu pericula proxima ea esse, « quæ, spectatis omnibus circumstantiis, difficulter et vix aliquis evitaturus putatur ».

b) Wigandt, *tr.* 5, *num.* 50, occasionem proximam eam esse ait, « quæ semper vel frequenter homines similis conditionis ad tale peccatum inducit. Vel, qua posita, homo moraliter quasi infallibiliter, statim aut quasi statim, labitur ».

c) Viva, *de Pœnit., qu.* 3, *art.* 4, *n.* 5, non satis sibi constare videtur; primo enim dicit proximam occasionem esse illam, « quæ ex se multum incitat ad

---

* NOTA. — Numeros S. Alphonsi nos in plures paragraphos dividimus, quo facilius lector in hoc opere ad textum S. Doctoris remittatur.

« Segneri [1] et Roncaglia [d]), quod occasio proxima *per se* est illa, « in qua homines communiter ut plurimum peccant. Proxima autem « *per accidens*, sive *respectiva*, est illa quæ, licet per se respectu « aliorum non sit proxima (eo quod non sit apta de sua natura « communiter inducere homines ad peccatum), tamen respectu ali- « cujus est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non fere « semper nec frequentius, frequenter tamen cecidit; vel quia, spe- « ctata ejus præterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus. « — Unde perperam dicunt Navarrus [2], Lugo [e]) et Viva [e]) cum aliis, « non esse in occasione proxima adolescentes, qui, laborando cum « feminis, peccant consensu, verbis aut tactibus, eo quod (ut di- « cunt) non fere semper in talibus occasionibus peccant. Nam, ut « diximus, ad occasionem proximam constituendam sufficit ut homo « frequenter in ea labatur ».

§ 3. — « Notandum vero quod aliquando occasio [f]) quæ respectu « aliquorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et « cauti poterit esse remota; ut bene advertunt Holzmann [3] et Croix » [4].

§ 4. — « Distinguitur 2° Occasio in voluntariam et necessa- « riam. — *Voluntaria* est quæ facile dimitti potest; *necessaria*, quæ « physice vel moraliter non potest avelli ».

[1] *Il Confessore istruito*, cap. 5, v. *Voi già sapete*. — [2] Man., cap. 3, num. 17. — [3] De Pœnit., num. 500. — [4] Lib. 5, num. 253.

---

peccatum et frequenter ad peccatum inducit »; inferius vero remotas definit illas, « in quibus homines non solent semper aut fere semper peccare ». Denique addit: « Non negaverim tamen aliquam occasionem de se remotam posse esse alicui proximam, eo quod ex pravo habitu et virtutis imbecillitate *fere semper* in ea labatur ».

d) Roncaglia, *tr.* 19, *qu.* 5, *cap.* 4, *qu.* 1, *resp.* 1, exprobrat confessarios illos « qui putant tunc solum dari occasionem proximam respectu alicujus, quando in ea sæpe vel ut plurimum peccat ». Ipse vero sic docet: « Semper ergo datur occasio proxima, cum talis est res externa, ut, attenta nostra fragilitate, secum importet grave peccandi periculum. Hoc tamen non semper grave eodem modo est respectu cujuscumque... Solum ergo ad judicandum ex frequentia actuum de occasione proxima recurrere debet confessarius, quando non satis apparet an res extrinseca, vel ex sui natura, vel attenta fragilitate illius qui in ea se ponit, importet grave periculum peccandi; nam tunc dignosci potest ex frequentia peccatorum quæ in ea committuntur. Si raro tunc peccet, occasio dici potest remota; proxima vero, si sæpe ».

e) Lugo, *disp.* 14, *n.* 150, refert utique hanc sententiam, ex aliis tamen auctoribus, quos nec probat nec reprobat. — Viva, *de Pœnit.*, *qu.* 3, *art.* 4, *num.* 5, v. *Unde*, videtur Navarrum approbare, licet non bene eum referat, cum Navarrus loquatur de illis qui sæpius peccant et fere semper, dum Viva supponit eos « aliquando in tali occasione mortaliter » peccare.

f) Croix hæc dicit de periculo peccandi.

3. — Occasio peccandi est objectum externum inducens ad peccandum, sive objectum illud est persona (aut singularis aut societas personarum), sive res aut circumstantia quædam (domus, liber, imago, spectaculum, pecunia, officium, locus solitarius etc.). Occasio igitur peccandi duobus elementis constat: 1º Ex parte *objecti* requiritur res externa, quæ præsentia sua allicit et provocat, in genere causæ moventis [1], concupiscentiam internam: si enim illa positiva inductio deest, potest quidem esse medium peccati, sed non est propria occasio, sensu theologico. Sic puella venusta sæpe erit occasio excitandi concupiscentiam; vetula erit aliquando tantum medium ad explendam concupiscentiam jam aliunde excitatam. — 2º Ex parte *subjecti* postulatur inclinatio seu positiva propensio ad peccandum: si enim hæc ex præsentia objecti non oritur, periculum peccandi non adest pro hoc individuo. Objectum ergo est pars *materialis*, subjectiva propensio pars *formalis*, ex quibus duabus partibus essentia occasionis constituitur. Alterutra parte deficiente, deerit aliquid ad occasionem peccandi.

4. — I. Celeberrima est divisio in occasionem remotam et occasionem proximam.

« Occasio *remota*, ut ait S. Alphonsus (§ 1, supra p. 4) est illa, in qua homines constituti regulariter (id est ex communiter contingentibus) ut plurimum (seu plerumque) non peccant ». Est ergo illa quæ natura sua non est apta ad homines communiter inducendum in peccatum. Hæc definitio, uti patet, pertinet ad occasionem remotam absolutam seu *per se;* nam relative ad internam inclinationem alicujus hominis particularis occasio, quæ per se esset remota, *per accidens* ipsi potest fieri proxima, ut S. Auctor dicit § 2.

Occasionem *proximam* varii varie definiunt. Est tamen hæc definitio maximi in re nostra momenti; quia gravis est obligatio vitandi, si fieri potest, hujusmodi occasionem. Quapropter in hoc capite solum textum S. Alphonsi expendemus; postea in thesi speciali genuinam occasionis proximae naturam stabiliemus. (Cfr. infra n. 57 sqq.).

« Occasionem proximam, inquit S. Doctor (§ 1), alii definiunt esse illam, in qua creditur pœnitens *nunquam* vel *raro* a peccato abstinere », a. v. in qua *semper* vel *fere semper* labitur. Quam definitionem S. Auctor non simpliciter et omnino improbat; dicit tantum: « sed definitio hæc non placet ». Re sane vera; est enim valde

---

[1] Causa hic cum Thoma intelligitur « imperfecta, aliqualiter inducens ad ruinam »; quia « nihil potest esse homini sufficiens causa peccati, quod est spiritualis ruina, nisi propria voluntas » (II-II, qu. 43, a. 1, ad 3). Unde alibi: « Accipiendæ sunt *causæ* proximæ peccati actualis, quæ sunt duplices, scilicet *interiores*...; quædam vero sunt *exteriores*, ut exteriores occasiones ad peccandum, scilicet locus, mala societas et hujusmodi; et tales causæ in hac vita per satisfactionem tolluntur » (*Suppl.* qu. 12, a. 3, ad 1).

manca, quia non distinguit inter occasionem proximam *absolutam* seu *per se* et occasionem proximam *relativam* seu *per accidens*. Recte explicari potest de occasione absoluta, sed falsa est de relativa. Unde propter suam generalitatem est periculosa et, si occasioni relativæ applicatur, ad laxismum ducit, ut ex infra (n. 61 sq.) dicendis patebit.

5. — « Melius » igitur S. Alphonsus (§ 2) cum multis aliis auctoribus distinguit inter occasionem proximam *per se*, quæ recte etiam *absoluta*, *objectiva*, *materialis*, vel *in abstracto* vocatur, et occasionem proximam *per accidens*, quæ *respectiva*, *subjectiva*, *formalis* et *in concreto* dicitur.

1º « Occasio proxima *per se* (seu *absoluta*) est illa, in qua homines communiter ut plurimum peccant ». Hæc contrarie opponitur occasioni remotæ supra definitæ. Ad illam ergo requiritur, ut homines non singuli sed *communiter* seu pro maxima parte, non frequenter duntaxat, sed *plerumque* aut *fere semper* in ea labantur (cfr. infra n. 11 p. 10); quapropter adest præsumptio, uti ex communiter contingentibus, non autem certitudo, eam etiam pro hoc homine futuram esse proximam. Atque de hac sola loqui videntur plures saltem ex « aliis » illis auctoribus in textu (§ 1) adductis. (Cfr. infra n. 67.)

6. — Hujusmodi occasiones proximæ per se seu absolutæ in hodierno præcipue sæculo frequentissimæ sunt. Exempla quædam subjicimus. Ad *mores* quod attinet, tales occasiones sunt: lupanar, concubinatus, theatrum vel cinematographum valde turpe, statua vel imago notabiliter excitantes ad lasciviam, plures pinacothecæ recentis artis, liber valde obscœnus, multæ choreæ recentes in quibus corpora stringuntur, duorum adultorum diversi sexus in eodem lecto cubatio, visitatio solitaria duorum sponsorum perdite se amantium, intima familiaritas et consuetudo cum hominibus valde luxuriosis, herus sæpe sollicitans famulam parum piam et levem indole, aliæque plures. — Magis adhuc periculosæ nostraque ætate multo quam antea frequentiores sunt occasiones proximæ absolutæ quoad *fidem*. Ita e. g. lectio assidua diarii vel periodici valde antireligiosi pro laicis; item liber ex industria fidem impugnans; schola hæretica vel anticlericalis in qua sæpe falsa dogmata docentur; frequentatio cœtus heterodoxorum, in quo conciones vel « conferentiæ » de religione habentur; adscriptio sectæ massonicæ aut societati socialistarum aliorumque inimicorum Ecclesiæ; familiaritas cum hominibus impiis sæpe de religione disputantibus; matrimonium cum homine incredulo et fanatico, etc.

7. — « Notandum vero, ut ait S. Alphonsus (§ 3), quod aliquando occasio, quæ respectu aliquorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota ». Est enim tantum, ut diximus, præsumptive proxima. Quemadmodum igitur

occasio per se remota fieri potest per accidens seu relative ac subjective proxima, ita etiam vice versa. Exemplum dat S. Auctor infra (§ 7) de « ancilla vivide sollicitata ab hero, sed pietati dedita et cauta ».

Id sane haud raro contingere potest in occasionibus circa mores. Relate autem ad occasiones per se proximas in quibus fides periclitatur, perraro accidet eas per accidens fieri remotas, præcipue pro laicis qui generatim mediocriter tantum in religione catholica instituti sunt. Imo neque sacerdotibus et doctis in theologia permittendum est, ut libros qui ex professo fidem impugnant, ex mera curiositate passim legant, etiamsi eos legendi licentiam obtinuerint: multo enim periculosiores sunt occasiones contra fidem quam contra mores, quum fides semel concussa difficulter recuperetur et morum quoque jacturam secum attrahere soleat.

8. — 2º Occasio « proxima *per accidens*, sive *respectiva*, ait sanctus Doctor, est illa quæ, licet per se respectu aliorum non sit proxima (eo quod non sit apta de sua natura communiter inducere homines ad peccatum), tamen respectu alicujus est proxima; vel quia hic in illa occasione, etsi non fere semper nec frequentius, frequenter tamen cecidit; vel quia, spectata ejus præterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus » (§ 2).

Itaque duplici ratione, ut recte docet S. Alphonsus, cognosci potest num hujusmodi occasio per accidens seu relative (subjective, formaliter, in concreto) sit vere proxima: a priori scilicet et a posteriori.

a) *A priori* quidem dignoscitur, quando quis hactenus nondum in hac occasione peccaverit, sed tamen « *prudenter* timetur ipsius lapsus », nimirum spectata ejus præterita fragilitate in similibus occasionibus. Imo ex sola etiam vehementia passionis aut tentationis sæpe colligi potest, aliquam occasionem esse proximam. Unde S. Auctor infra (§ 7) dicit: « Cum occasio externa conjungitur cum passione vehementi, vel habitu vitioso, vel forti tentatione, peccat qui eam non relinquit, etsi necdum cesserit tentationi ». Eodem modo plures alii probati theologi loquuntur. Sic Lehmkuhl: « Proximam esse occasionem... colligitur ex vehementi tentatione, cui homo in illis circumstantiis exponitur; nam etsi lapsus nondum accidit, tamen vehementem tentationem temere subire numquam non secumfert grave omnino labendi periculum » (*Theol. Mor.*, II, 617). Item Reuter (*Neo-Confessarius*, n. 168, 3).

b) Si ex sola experientia seu a *posteriori* est judicandum utrum quædam occasio sit proxima necne, tunc S. Alphonsus cum communiore sententia tantum postulat, ut quis *frequenter* in ea sit lapsus, contra alios qui volunt ad talem occasionem constituendam requiri, ut quis fere semper aut plerumque vel saltem frequentius ceciderit. At « perperam » hoc dicunt, ut ait S. Doctor (§ 2), quia falso applicant quæ de occasione per se et absoluta valent occasioni

quæ per accidens seu respective proxima est. Idem docet in *Praxi Conf.:* « Quidam auctores volunt, non esse occasionem proximam nisi eam, in qua homo fere semper vel ut plurimum ceciderit. Sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam, in qua frequenter quis peccaverit » (n. 63). — Hoc autem « frequenter » cum relative tum absolute sumendum est. *Relative*, inquam, id est relate ad numerum visitationum seu casuum quibus subjectum et objectum externum conveniunt, ut si quis ex decem vicibus circa quinquies lapsus sit. Sed etiam *absolute:* v. g. si quis in quotidiana visitatione alicujus mulieris per integrum annum duodecies cum ea peccavit, hæc mulier ipsi certe est occasio proxima, quia jam absolute frequenter cecidit.

9. — Ceterum in definienda occasione proxima non nimis attendendum est ad hanc computationem mathematicam; est enim admodum fallax. Nam primo quidem occasionem proximam adesse, sæpe constat jam a priori, ut diximus. « Solum ergo, ut merito ait Roncaglia, ad judicandum ex frequentia actuum de occasione proxima recurrere debet confessarius, quando non satis apparet an res extrinseca, vel ex natura sua, vel attenta fragilitate illius qui in ea se ponit, importet grave periculum peccandi » (Cfr. supra p. 5, *nota d*). Deinde haud raro ex utroque colligitur occasionem esse proximam, partim a priori ex vehementia passionis et fragilitate intrinseca, partim a posteriori ex experientia. E. gr. si quis semel tantum aut iterum cum puella peccavit, hæc ipsi potest esse occasio proxima, quando scilicet hujus præsentia adeo ejus concupiscentiam excitat, ut, si denuo eam invisat, prudenter timeatur lapsus; quod sufficit. Id animadvertit quoque S. Leonardus a P. M. qui, postquam dixit sufficere lapsum præteritum frequentem, v. g. quinquies vel sexies in duodecim visitationibus, addit: « Aliquoties etiam attendendum non est ad computationem arithmeticam lapsuum, sed potius ad influxum quem occasio habet in peccatum, et ad dependentiam quam peccatum habet ex occasione; quæ quidem res relinquenda est prudentiæ sapientis confessarii, qui factum cum omnibus suis circumstantiis ponderare debet » (*Discorso mistico e morale*, n. 20). *

Notandum denique est, occasionem relative proximam haud raro oriri ex causis per se *leviter* tantum influentibus, sed quæ pro singulari alicujus debilitate vel morali (v. g. ex habitu) vel physica (v. g. constitutione neurasthenica) ipsi constituunt rationem frequenter labendi. Quod quidem præsertim in materia turpi occurrit, v. g. lectio libri subobscœni, aspectus picturæ non valde turpis. (Cfr. S. Alph., III, 484).

10. — Meritissimo S. Alphonsus aliique aliter definiunt occasionem proximam *per se* seu *absolutam* et *in abstracto*, aliter occasionem

* Nota. — Textus auctorum, qui italice, gallice aut germanice scripserunt, nos in hoc opere ad verbum latine reddimus.

proximam *per accidens* seu *respectivam* et *in concreto*. Prima enim respicit homines *communiter* seu in genere, absolute et objective, praecisis circumstantiis; altera hominem *in particulari* et subjective cum omnibus circumstantiis individuis. Optime autem fieri potest, ut plures occasiones quæ hominibus communiter seu in universum sumptis sunt proximæ, huic homini in particulari ita non sint, ut S. Alphonsus advertit (§ 3). Sic liber, theatrum, imago etc., quæ propter gravem turpitudinem ex communiter contingentibus homines plerumque in peccatum inducerent, haud raro alicui individuo ob naturalem frigiditatem vel ætatem vel consuetudinem vel singularem pietatem non erit causa movens ad peccandum. Erit ergo occasio proxima ordinarie, regulariter et ex justa præsumptione, non autem semper et pro quovis individuo. Vice versa, sæpissime contingit, ut aliquid sit occasio proxima pro individuo et non pro hominibus communiter, puta hæc puella pro illo juvene, caupona pro homine ebrietati dedito, ludus pro blasphemo. Ex quibus patet, primam illam definitionem non exhibere notionem adæquatam et formalem occasionis proximæ. Quum enim in praxi sacri tribunalis cum hominibus individuis et in particulari tractandum sit, genuina et formalis occasionis proximæ natura proprie indicatur in altera definitione, occasionis scil. *per accidens* seu *relativæ;* hæc enim respicit hominem subjectivum in concreto, prout hic et nunc in hisce circumstantiis constitutus ab objecto externo, per modum causæ moventis, ad peccatum sollicitatur et inducitur. — Propria privaque occasionis proximæ notio infra (thesi 2ª, n. 57 sqq.) magis exponetur et probabitur.

11. — Recte quoque S. Doctor cum aliis ad occasionem proximam *per se* postulat, ut homines communiter *ut plurimum* in ea peccent. Neque enim sufficit, ut generatim in ea *frequenter* peccetur; secus enim omnis fere caupona, omnes choreæ, omnia spectacula profana etc. essent per se occasio proxima, quia in iis frequenter peccatur ab hominibus communiter sumptis, non autem a permultis singulis et determinatis hominibus. Sin autem agitur de occasione proxima *per accidens* seu respectu alicujus determinati hominis, eaque ex sola experientia definiri debet, sufficit ut quis *frequenter* in ea ceciderit, quemadmodum dictum est et infra (n. 59 sq.) probabitur.

Uti vides, utraque definitio pro vario objecto est recta, altera tamen est magis propria ad rem; quia, ut quod objectum externum sit occasio, considerari debet cum omnibus suis circumstantiis prout influit in hunc hominem particularem. Unde doctrina S. Alphonsi plane sibi constat; et immerito Ballerini eam « incohærentiæ » arguit (*Opus. De Pœn.*, n. 105 et n. 124). Falso quoque idem auctor ex prima illa definitione concludit juxta sententiam S. Doctoris ad propriam rationem occasionis proximæ postulari, ut quis ut plurimum vel saltem frequentius in ea labatur; hoc enim (§ 2) diserte negat.

12. — Ex dictis liquet distinctionem inter occasionem proximam *absolutam, in abstracto* seu *per se* et occasionem proximam *relativam, in concreto* seu *per accidens* maximi esse in re nostra momenti. Ad quam quia multi theologi antiqui et aliqui etiam recentes non satis attendunt, confusio oritur quæ in sacri tribunalis praxi haud parum est exitiosa.

13. — Notandum denique est, aliquos auctores occasionem distinguere in *remotam, propinquam* et *proximam.* Si haec tria definiuntur sicut a Berardi (*De Occas.*, n. 11), nihil est quod opponatur. Hic enim per occasionem remotam intelligit eam « quæ meram possibilitatem peccati continet »; per propinquam « quæ continet periculum positivum, sed non grave », ergo leve; per proximam « quæ grave periculum inducit ». Prima, ut dicit, sub nullo peccato fugienda est, altera sub levi, tertia sub gravi. Sed tamen melius hæc distinctio ab aliis communiter omittitur; tum quia facile ambiguitati ansam præbet; tum quia latine « propinquus » et « proximus » non sunt duo gradus distincti — neque enim « proximus » est superlativum vocis « propinqui », — sed propinquitas et proximitas idem sonant. Unde etiam in linguis recentibus duplex dumtaxat peccandi occasio passim distinguitur: «remota - prossima», «éloignée - prochaine», «entfernte - nächste», «remote - proximate» etc. Merito tamen idem Berardi docet, haud raro leve periculum sub levi peccato esse vitandum. (Cfr. infra n. 32).

14. — II. Altera occasionis divisio est in voluntariam et necessariam. « *Voluntaria* est, inquit S. Alphonsus, quæ facile dimitti potest, *necessaria* quæ physice vel moraliter non potest avelli » (§ 4). — Hæc commodius infra (n. 132 sqq.) declarantur, ubi S. Auctor ex professo agit de occasione necessaria. Hic tantum hoc unum advertendum est, occasionem voluntariam seu liberam illam esse quæ facile, id est sine gravi incommodo extrinseco dimitti vel vitari potest; nam sola difficultas intrinseca, seu orta ex animi adhæsione ad aliquod objectum, minime impedit quominus aliqua occasio voluntaria dici debeat.

15. — III. Tertio distinguitur occasio *in esse* seu *continua* vel *præsens* et occasio *interrupta* vel per intervalla *quæsita*, de qua distinctione S. Auctor agit infra in textu (VI, 454, § 3). Occasio *continua* sunt v. g. concubina, famula domestica peccans cum hero, sodales in eadem schola vel officina, liber obscœnus vel pictura aut statua lasciva quam quis domi retinet, folium quotidianum antireligiosum, officium vel negotium quod sæpe peccandi causa est, instrumenta peccati, puta onanismi aut ludi prohibiti, uxor pro viro onanista, pecunia injuste retenta, etc. Occasio *interrupta* ea est quam quis non semper habet præsentem, sed per quædam temporis intervalla adit aut quærit, v. g. lupanar, spectaculum,

amici perversi, amantium visitationes, ludi, cauponæ vel tabernæ quæ ansam præbent variis peccatis, etc. Inter has mediæ sunt occasiones *quasi-continuæ*, v. g. amasia quam quis fere quotidie visitat, concubina quam quis in alia domo sustinet, theatrum vel cinematographum turpe quod quis sæpe per hebdomadam adit, caupona quam ebriosus fere quotidie frequentat, aliaque similia, quæ non physice quidem, sed moraliter semper præsentia sunt.

16. — IV. Denique advertendum est, occasionem aliquam posse dici *formaliter* proximam, quando scilicet hic et nunc proximum peccandi periculum inducit, et *materialiter* tantum proximam, quæ natura sua quidem cum tali proximo periculo conjungeretur, sed ob rationes speciales in casu hujusmodi periculum connexum non habet. Sed de his plura deinceps, ubi de periculo peccandi.

ARTICULUS II.

Notio et divisio periculi.

Textus S. Alphonsi

(VI, 452, § 5)

§ 5. — « *Periculum* autem proximum, aliud est formale, aliud « materiale. — *Formale* est illud quod est proxime conjunctum cum « peccato; ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit sive « in peccatum consentiet: et hoc periculum semper vitandum est. « Intelligendum tamen hoc (ut bene advertit Croix [1]), si periculum « sit consensus, non autem simplicis tentationis aut motuum. — « *Materiale* vero est illud quod cum peccato non est proxime conjun- « ctum; sed tantum remote, ratione necessitatis, et mediorum quæ « homo adhibet ad peccatum vitandum: unde tunc accidet quod « occasio de se sit proxima, et periculum remotum. Prout evenire « potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellæ, « utique esset in occasione proxima peccandi: sed ratione necessitatis « et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, pre- « cum, protestationis de non consentiendo, bene poterit a culpa « excusari, quia tunc divina adjuvante gratia, periculum fit remo- « tum et materiale. — Vide Croix [2] ».

[1] Lib. 5, n. 264. — [2] *Loc. cit.*, n. 254 et 259.

17. — *Periculum* peccandi ab auctoribus passim distinguitur ab occasione peccandi. Periculum enim sæpe non oritur ex aliquo objecto *externo*, uti occasio, sed ex mera causa *interna*, puta ex prava passione, ex vitioso habitu seu ex sola fragilitate intrinseca et subjectiva, uti v. g. in peccatis delectationis morosæ vel odii, in peccatis solitariis pollutionis etc. Unde periculum latius patet quam occasio: in omni occasione est periculum, sed non vice versa.

Est igitur periculum aliquid homini sive internum sive externum, quod ipsum ad peccatum futurum moraliter movet et sollicitat. Recte Cardenas: « Periculum peccandi est motivum inclinans ad futuritionem peccati, inclinans, inquam, in genere motivi... Hinc colliges, periculum duo dicere: et habitudinem sive motivum inclinans tanquam constitutionem periculi, et futuritionem peccati tanquam terminum ejus habitudinis sive inclinationis » (*Crisis.* IV, Diss. 40, n. 10, 11).

18. — Periculum autem est, sicut occasio, aut proximum aut remotum, prout proxime aut remote cum peccato conjungitur, pro ratione qua aut graviter aut leviter ad peccatum futurum excitat, movet et inclinat.

« Periculum *proximum*, ut ait S. Alphonsus (§ 5), aliud est formale, aliud materiale. »

1º Periculum *proximum formale* merito a S. Doctore dicitur illud, in quo quis constitutus saltem « probabiliter peccabit », scilicet non solum simplices tentationes aut motus experietur, sed in ipsum peccatum *probabiliter* consentiet. Jamvero « hoc periculum semper vitandum est », ut hic obiter asserit S. Auctor, illud sequenti dubio (n. 453) ulterius probaturus. (Cfr. infra thesis 1ª, n. 30).

2º Periculum proximum *materiale* illud est, quod per se quidem duceret ad peccatum, saltem probabiliter, sed per accidens remote tantum est cum peccato conjunctum, nimirum « ratione necessitatis, et mediorum quæ homo adhibet ad peccatum vitandum ». Aliis verbis, est periculum materialiter quidem proximum, formaliter autem remotum. Sic ille chirurgus, de quo in textu, versatur quidem per se in periculo proximo, quia per se saltem probabiliter peccaturus est; sed per accidens, adjuvante Dei gratia, periculum peccati evadit remotum. Hæc autem gratia sine temeritate sperari potest, si ex una parte adest moralis quædam necessitas adeundi tale periculum, et ex altera parte homo facit quod potest ut hanc gratiam obtineat. « Unde tunc accidet quod occasio de se sit proxima, et periculum remotum », scil. periculum formale sit remotum. Itaque in omni occasione proxima, etiam necessaria, habetur quidem periculum proximum, saltem materiale; periculum autem proximum formale semper remotum fieri potest et debet. Atque ita quidem juxta rigorem logicæ.

Usu tamen receptum est, ut periculum proximum mere materiale jam non vocetur proximum, sed simpliciter remotum; est enim proprie et formaliter remotum. Ergo periculum *proximum* communiter idem sonat ac formale, periculum *remotum* idem quod materiale. Ita quoque S. Alphonsus; cfr. in fine hujus § 5; item VI, 455, § 3.

De alia divisione periculi, scil. in periculum *certum* et periculum *probabile*, vide infra n. 31.

ARTICULUS III.

Prædicta exemplis illustrantur.

Textus S. Alphonsi

(VI, 452, § 6-8)

§ 6. — « Ex præmissis infertur esse in occasione proxima: « 1° Qui domi retinet mulierem cum qua sæpe peccavit. Et hic « notandum quod si quis non habet ad suam dispositionem mulie- « rem cum qua peccat, sed cum ea peccat semper ac accedit in illius « domum; tunc illuc accedere erit occasio proxima, etiamsi semel « in anno accederet et peccaret. — 2° Qui in ludo frequenter labitur « in blasphemias vel fraudes. — 3° Qui in alia domo, caupona aut « conversatione, incidit in ebrietatem, rixas, verba aut gestus la- « scivos. — Hujusmodi pœnitentes non sunt absolvendi regulariter, « nisi prius occasionem deseruerint.

« Pariter non possunt absolvi illi qui, licet in occasione non « peccent, aliis tamen scandalum præbent [g]), ut communiter docent « Palaus [1], Bonacina [2]; et Salmant. [3] cum Navarro, Graffio, Candido, « Lopez, etc. ».

§ 7. — « Addunt Croix [4]; et [Contin.] Tournely [5] cum Juenin, « quod, cum occasio externa conjungitur cum passione vehementi, « vel habitu vitioso, vel forti tentatione, peccat qui eam non re-

[1] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 19. — [2] De Matr., qu. 4, punct. 14, n. 12, i. f. — [3] Tr. 6, cap. 5, num. 62. - *Navar.*, Man., cap. 16, num. 20. - *Jacob. de Graffiis*, Decis. aur., part. 1, lib. 1, cap. 28, n. 10. - *Candid.*, Disquisit. 24, art. 27, dub. 6. - *Ludov. Lopez*, Instruct. consc., part. 1, cap. 78. — [4] Lib. 5, n. 269. — [5] De Peccat., part. 1, cap. 2, Append., reg. 1, v. f. - *Juenin*, Theor. et prax. Sacram., de Sacr. Pœnit., cap. 8, § 5, reg. 3, qu. 3.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — g) Scilicet qui, quamvis in occasione revera non sint, existimantur tamen ab aliis in eadem versari; et his deneganda est absolutio regulariter, ob scandalum.

« linquit, etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet quod « talis se continebit, si ab occasione non separetur. — Unde ait « [Contin.] Tournely [1] quod ancilla vivide sollicitata ab hero, te- « netur ab illius domo discedere: qui enim libere commoratur ubi « tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter spe- « rare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiæ extraordinariis, quæ « sperari sine temeritate nequeunt ab eo qui libere periculum vitare « potest et non vitat. Hæc tamen intelligenda sunt, si hujusmodi « persona sit fragilis et parum devota; nam si esset pietati dedita « et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repel- « lendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad « occasionem auferendam ».

§ 8. — « Dicit autem Roncaglia [2] non esse negandam absolu- « tionem juveni et puellæ qui aliquo tempore se invisunt animo « matrimonium contrahendi; nemo enim (ait) tenetur ducere per- « sonam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri quibus « moribus alter sit præditus. — Hæc assertio speculative loquendo « videtur rationabilis. Sed ego, experientia doctus, vix semel vel « iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere, vel « sponsæ aut parentibus illum in domo excipere. Raro enim reperi, « qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus: « cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi sponsos sint « incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsos invicem « tractare et stimulos turpes non sentire ad ea quæ tempore conjugii « inter se futura erunt ».

19. — In exemplis § 6 adductis, quæ ubique magis obvia sunt, occasio proxima potissimum cognoscitur *a posteriori* seu ex experientia. Quod hisce « regulariter » absolutio sit differenda, intelligendum est, si occasio est *continua* seu in esse: secus, si est interrupta, ut infra (n. 104) explicabitur. Unde in *Praxi* post citata eadem fere exempla S. Auctor dicit: « Omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, juxta distinctionem quæ fiet in num. subseq. » (n. 64).

In § 7 agitur de occasione proxima quæ jam *a priori* constat, de qua vide quæ supra (n. 8) diximus. Notanda est ratio S. Doctoris: auxilium extraordinarium gratiæ sine temeritate sperari nequit (cfr. infra n. 38 sq.). Patet etiam exceptio: « Si hujusmodi persona

[1] Loc. cit. — [2] Tr. 19, qu. 5, cap. 4, qu. 8.

esset pietati dedita et cauta, et opportuna adhiberet remedia »; quia tunc periculum jam non est formale et probabile, sed fit remotum, ac proinde etiam occasio per accidens remota esset, uti S. Auctor dicit supra in textu (p. 5, § 3).

Digressio

De visitationibus adamantium intuitu matrimonii.

20. — S. Doctor postea (§ 8, p. 15) brevi et quasi per transennam loquitur de exemplo frequentissimo occasionis proximæ, videlicet de visitationibus adamantium intuitu matrimonii contrahendi, quæ visitationes ab aliquibus etiam procationes vocantur. Quia hæc S. Alphonsi doctrina videri posset justo severior, eam hic paulo latius discutere lubet. Quæ si rite exponitur et omnia temporum et regionum adjuncta spectantur, nequaquam severior, sed prudens et æqua habebitur.

Præmittendus est alius locus ex *Praxi Conf.:* « Generaliter loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi; sed ordinarie puto, ipsos difficulter esse extra occasionem proximam letaliter peccandi. Id nimia experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes, etsi non in principio, saltem in progressu. Tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem; deinde propensio fit passio; et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat et eos in mille crimina ruere facit. — Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, episcopus Albanensis, in sua diœcesi per edictum suos admonuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscœna, aut cum scandalo (prout si in ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus aut clericis in sacris » (n. 65).

21. — Ut hæc doctrina rite judicetur, ante omnia attendendi sunt mores temporum et populorum. Generatim nostris temporibus in omnibus fere regionibus visitationes illæ plus minusve frequentes, quæ fiunt intuitu matrimonii, necessariæ sunt: sine illis enim vix ad honestum matrimonium perveniri potest. Tempore autem S. Alphonsi, præcipue in regno Neapolitano, aliisque in regionibus meridionalibus, visitationes illæ sæpe repetitæ apud timoratos non adeo in usu erant. Diceres fere matrimonii conclusionem ibidem magis factam fuisse juxta mores Orientalium. Generatim tunc conditio socialis sexus feminei ibidem multo inferior erat quam

sexus masculini, imo sæpe plus æquo inferior. Doctrina illa quæ « feminismus » vocatur et quæ intra debitos constricta limites sua habet jura, sed quæ recenti ætate populos præsertim septentrionales nimis exagitat, tunc temporis illisque maxime in locis erat plane ignota: præcipue enim ortum ducit a magna illa perturbatione Gallica quæ anno 1789 « jura hominum » proclamavit. Hinc fiebat, ut ibidem matrimonia puellarum fuerint negotia, in quibus potestas paterna maximas habebat partes et ipsæ puellæ sæpe non satis audiebantur. Rogabantur parentes puellæ a patre et juvene; consentiebat puella et pactum fiebat; atque ita sæpe contigit, ut puella in matrimonio collocaretur et conjungeretur juveni, quem vix cognoscebat, quem aliquoties dumtaxat locuta fuerat. Imo etiam hac nostra ætate in aliquibus ex illis locis meridionalibus hic mos nondum plane discessit, sed aliquo modo adhuc viget, in primis apud timoratas et honestas familias; illa enim « feminismi » doctrina multo minus invasit populos meridionales et tropicos quam septentrionales.

Hæc si præ oculis habentur, doctrina S. Alphonsi nequaquam æquo rigidior dicenda est: illa enim frequentia visitationum, quæ juxta mores nostros ut plurimum est occasio necessaria, tunc temporis in regno præcipue Neapolitano apud timoratos parum in usu erat, ac proinde occasio erat voluntaria et libera. Hinc etiam S. Doctor hanc occasionem particularem reponit inter occasiones voluntarias, sicut patet ex *Praxi Conf.*, ubi n. 68 tantum loqui incipit de occasione necessaria.

22. — Hanc patriam consuetudinem sustentantes, alii quoque earumdem regionum Episcopi gravibus præceptis et pœnis periculosas illas sponsorum visitationes inhibuerunt. Qua de re testatur Berardi: « In pluribus diœcesibus, speciatim regni Neapolitani, familiaris et periculosa consuetudo sponsorum, pactis inter familias statutis, post trinam visitationem inter casus reservatos reponebatur » (*De Occas.*, n. 224). Etiam Benedictus XIV, quando erat archiepiscopus Bononiensis, aliquot dumtaxat visitationes, easque non solitarias, sponsis permittebat: « Sponso et sponsæ earumque parentibus (parochi) dicere non omittant, quod si aliquoties (*qualche volta*) ante matrimonium inter se conversentur vel conversari permittant, hoc non fiat nisi in aliorum, et specialiter eorum parentum præsentia » (*Notificazioni;* 6 Novembris 1735; ed. Bologna, 1737, III, p. 67). Ipse vero S. Alphonsus in Epistola Pastorali ad suæ diœceseos clerum ait: « Parochi advertant, ut non absolvant parentes et capita familiarum, qui sponsis permittunt visitationes familiares cum periculo impudicitiarum, juxta casum reservatum » (26 Febr. 1763; *Corrisp.*, III, p. 565). Verba: « cum periculo impudicitiarum » satis clare visitationes solitarias indicant. Secus enim,

scilicet si solitariæ non sunt, raro « vix semel vel iterum », ut supra in textu ait, eas permitteret.

23. — Hæc S. Doctor expresse dicit de « *sponsis* » (tum hic in textu, tum in *Praxi*, n. 64); agit proinde de tempore *post* contracta sponsalia. Quæ quidem doctrina juxta mores sui temporis et regionis sapientissima erat. Nam ex una parte necessitas se invicem invisendi tunc multo adhuc minor erat quam antea, quum de futuro matrimonio jam esset statutum. Ex altera vero parte illæ visitationes post sponsalia semper multo periculosiores sunt, quia crescit per illas inter sponsos familiaritas, minuitur graviditatis timor; neque fieri fere potest, quin graves suscitent tentationes seu « stimulos turpes » de futura copula. Propter quæ pericula S. Auctor parochis graviter commendabat, ut sponsalium promissiones non acciperent « nisi paulo ante matrimonium » (*H. Ap.* tr. 7, n. 32; cfr. *Ep. Past., l. c.*, p. 564). Ad nostram ætatem quod attinet, sponsalia valida haud sæpe fiunt, præcipue post decretum « Ne temere », quod declaravit illa invalida esse nisi in scriptis fiant. Attamen in plurimis regionibus hæ visitationes, protractæ fere usque ad diem matrimonii, saltem propter usum generalem etiam timoratorum, occasio sunt necessaria; unde per se illicitæ non sunt, sed debitis cautelis, præsertim evitando solitudinem, periculum proximum removendum est.

24. — De aliis « *generaliter* » adamantium visitationibus agit S. Auctor in *Praxi* (n. 65, supra p. 16); quo in loco in primis respicit illas quæ aut solitariæ sunt, aut sine intentione matrimonii ex mera animi levitate fiunt, uti patet ex edicto cardinalis Pici de Mirandola. Has generatim severe prohibendas esse, utpote occasiones proximas voluntarias, omnes probati theologi, tum antiqui tum recentes, concorditer docent. De hisce præcipue S. Doctor, experientia doctus, dicit: « Ex centum adolescentibus vix duo aut tres a mortalibus invenientur immunes », saltem progressu temporis; quod certe dici nequit de visitationibus non solitariis, quæ in honestis familiis fiunt intuitu matrimonii. Pari severitate alii graves et sancti auctores ex sæc. XVII et XVIII de hisce visitationibus et amoribus loquuntur. Cfr. S. Leonardus a P. M. *Discorso*. n. 22, 23; Ven. Paulus Segneri, *Crist. Istruito*, part. 3, rag. 28; Beatus Gregorius Barbadico, *Ep. Past.*, 25 Maji 1675.

25. — *Specialiter* autem de visitationibus quæ fiunt « *animo matrimonium contrahendi* » S. Alphonsus in textu docet, assertionem Roncagliæ « speculative loquendo videri rationabilem »: « nemo enim tenetur ducere personam ignotam ». Ex quibus concludere fas est,

crebro repetitas illas visitationes in regionibus, ubi juxta morem patrium necessariæ sunt ut ad honestum matrimonium perveniatur, etiam practice licitas esse. Advertendum tamen est, eas generatim esse occasiones proximas, ac proinde eas licitas tantum esse in quantum sunt necessariæ. Itaque *a*) ne sint per longius tempus protractæ, adeoque ætate junioribus severe prohibeantur; *b*) ne sint nimis frequentes; *c*) debitis cautelis præmuniantur, et præcipue ne sint solitariæ; unde generatim jam ab initio parentes de proposito edocendi sunt. Cæterum regula uniformis hac in re statui nequit, sed servanda est praxis timoratorum [1]. Universe tantum dicendum est, confessarium in hac re turpi, quoad id prudentia permittit, in severiorem potius quam in benigniorem partem inclinare debere (infra § 9), idque maxime quando propius instat tempus matrimonii.

26. — Facta igitur debita horum omnium distinctione, doctrina S. Alphonsi circa adamantium visitationes nequaquam nimis severa habebitur, sed æqua et justa, animarumque zelo inspirata. Neque dicendum est, eam nobis relinquendam esse, sed dicamus: alia generatim sunt adjuncta nostrorum temporum ac regionum, alia erant tempore et in regione S. Alphonsi; quæ ibi sæpe erat occasio voluntaria, nunc ut plurimum est occasio necessaria. Unde doctrinam S. Alphonsi integram sequemur, si hisce visitationibus, prout vere necessariæ sunt, applicamus ejus principia de occasione necessaria; secus vero, si sunt occasiones voluntariæ. Merito igitur concludit Berardi: « In locis et cum personis, in quibus circumstantiæ istæ verificarentur, rigida S. Ligorii doctrina benigniori non contradicit, sed verissima est, atque nunc quoque (si, repeto, eædem verificarentur conditiones) applicanda foret » (*l. c.*, n. 231). Atque ita plane vindicata manet S. Alphonsi doctrina de hac materia.

27. — Liceat nunc quædam adhuc verba facere de diversis illis populorum temporumque moribus. Quinam præferendi sunt, spectata salute animarum?

Utrinque habentur commoda et incommoda. Ubi illæ visitationes intuitu matrimonii parum habentur, puellæ generatim adhuc innocentes sunt, quando matrimonium ineunt. At vero hæc matrimonia haud raro infelicem sortiuntur exitum, quamadmodum fere politica illa principum connubia, præsertim ante perturbationem Gallicam. Nec mirum. Nam quum sponsi ante matrimonium vix inter se invisant, alter alterius indolem parum cognoscit; et ita sæpe matrimonio junguntur qui indolis sunt plane diversæ vel qui nullam erga invicem naturalem sympathiam sentiunt. Hinc sæpe minor amor conjugalis; qui adest citius refrigescit;

---

[1] Egregias pro variis circumstantiis regulas practicas exhibent Berardi, *De Occasionariis*, n. 220-227 et Aertnys, *Theol. Mor.*, II, n. 517-524.

hinc dissidia et contentiones; hinc plura adulteria; hinc etiam tempore S. Alphonsi in Italia pessimus ille mos « cicisbeorum ». — In aliis autem regionibus propter frequentiores illas visitationes, utique semper periculosas, permulti sponsi et sponsæ jam ante matrimonium sæpius contra castitatem peccant. Sed tamen, quia melius se invicem cognoscunt et quoad indolem melius inter se conveniunt, amor conjugalis sæpe solidior est et fortior contra difficultates domesticas; hinc minus periculum litigiorum et infidelitatis conjugalis.

Uti videre est, utrinque adsunt rationes pro et contra. Censemus autem, illum morem frequentium visitationum, ubi nondum existeret, introducendum non esse, vel saltem nonnisi valde parce et restricte; nam semper sunt occasiones maxime periculosæ. Accedit quod in regionibus tropicis et meridionalibus juvenum passiones citius exardescunt, et puellæ generatim debilioris sunt indolis quam in aliis regionibus magis septentrionalibus, ubi puellæ sæpe ob majorem animi fortitudinem facilius resistunt luxuriosis juvenum sollicitationibus. Quapropter si apud illos populos mos ille frequentium visitationum introduceretur, cresceret sane periculum majoris morum corruptionis apud utriusque sexus juvenes.

Sit igitur horum omnium summa conclusio hæc: in illis locis, ubi frequentes illæ adamantium visitationes intuitu matrimonii sunt etiamnum occasio voluntaria, severa illa S. Alphonsi monita generatim sunt sequenda; in aliis vero regionibus, iisque nunc plerisque omnibus, ubi reapse sunt necessariæ, cum moderatione et debitis cautelis permittantur, iisque applicentur regulæ, quas S. Doctor de occasione necessaria tradidit.

ARTICULUS IV.

Monitum generale circa occasionarios.

Textus S. Alphonsi

(n. 452, § 9, 10)

§ 9. — « In his autem omnibus, præsertim ubi turpium lapsuum « periculum imminet, advertat sedulus confessarius quod nunquam « crudelius se geret cum pœnitente, quam benignius agendo; et « quo majorem severitatem adhibebit, eo melius illius saluti con- « sulet. D. Thomas a Villanova [1] vocat confessarios *impie pios... « qui, ne confitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia « manere permittunt.* — Nec confessarius turbari debet, si poenitens « dicat in hujusmodi casibus scandalum oriri, si post confessionem « amplius non accedat ad illam domum, si mulierem expellat aut

[1] Concio fer. VI post dom. IV quadrag., n. 12.

« aliud simile effugiat periculum. Nam illi suadere debet quod revera « potius scandalo erit si post confessionem occasionem non auferat. « Aut enim alii suum peccatum aut periculum ignorant, et tunc « nihil mali suspicabuntur, puta si quis famulam dimittit, vel si « ab accessu in aliquam domum se abstinet; vel jam alii id animad- « verterunt, et tunc famam potius recuperabit quam amittet ».

§ 10. — « Ex his omnibus concludo quod ordinarie loquendo « nunquam absolvi debet pœnitens qui versatur in occasione pro- « xima voluntaria, etiamsi extraordinaria signa doloris afferat, an- « tequam occasionem removeat. Occasio enim extrinseca (præsertim « ubi agitur de vitio turpi), quando præsens est, ita mentem ex- « cæcat ut omnia proposita e memoria deleat; et ad peccata ita « impellit, ut aliquis, etiamsi certam suam damnationem ab illo « crimine secuturam cognosceret, adhuc a peccato non desisteret. — « Vide mox infra, *n.* 454, v. *Ratio potior* ».

28. — S. Doctor, antequam suam de occasionariis doctrinam ulterius exponat et probet, præmittit monitum generale, quod postea (VI, 456, § 5) iterum inculcabit fusiusque explicabit. In *Praxi* idem monitum hisce verbis tradit: « In hoc generaliter advertendum quod, ubi agitur de periculo peccati formalis et præcise peccati turpis, confessarius, quanto magis rigorem cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit; et contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo ut ille in occasione maneat aut se immittat. S. Thomas de Villanova confessarios in hoc condescendentes vocat *impie pios*. Hæc caritas est contra caritatem » (n. 65).

Nota est S. Alphonsi severitas erga eos qui peccant inducti per occasionem proximam seu periculum extrinsecum; nam relate ad peccantes ex fragilitate mere intrinseca, etiamsi recidivi sunt, ejus doctrina vere benigna est, licet non laxa, ut infra (VI, 463, § 5) videbimus. Hæc severa S. Doctoris agendi ratio oritur, tum ex summo odio quo peccatum, Dei offensam, prosequebatur, tum ex sincero ejus erga animas amore. (Cfr. infra n. 153 sq.). Nititur autem veritate dogmatica quam hisce verbis expressit Tridentinum: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis » (Sess. VI, cap. 11). Atqui occasionarius, qui ipsemet occasionem proximam fugere aut removere potest, sed eam voluntarie adit aut non removet, profecto *non facit quod potest*. Ergo frustra, etiam orando, a Deo expectabit gratiam illam efficacem, qua in hoc gravi periculo tentationes certo superet et peccatum evitet. Quapropter confessarius qui ex

nimia benignitate non satis urget occasionis fugam aut remotionem, falsa pietate erga poenitentem movetur (est « impie pius »); imo cooperatur ejus ruinæ spirituali. (Cfr. infra n. 38-40, 115, in f.).

Dicit S. Auctor: « præsertim ubi turpium lapsuum periculum imminet »; quia agitur tunc de occasione maxime periculosa, uti statim (§ 10) expressius declarat.

Occurrit deinde objectioni scandali aut infamiæ, quam pœnitentes sæpe movere solent, si occasio removeretur. Generatim, ut scite advertit S. Doctor, est prætextus, ex quadam animi adhæsione ad peccatum proveniens. Quodsi revera grave scandali vel infamiæ periculum adesset, uti v. g. contingere potest si quis herus tempore Paschali vel in Missione famulam expelleret aut ipsa famula discederet, tunc confessarius pœnitenti injungat, ut post breve tempus, puta post mensem, separatio fiat, ut præterea statim quamdam causam, e. g. rixam, quærat et coram aliis prætendat, ut etiam contractum conductionis renuntiet, ut denique interim remedia adhibeat quibus occasio ex proxima fiat remota. Imo, si commode fieri potest, absolutionem differat, usquedum pœnitens contractum renuntiaverit.

29. — Tandem concludendo (§ 10) S. Auctor loquitur de occasione voluntaria *in esse*, uti patet ex n. 454, ad quem in fine remittit et in quo uberius ea de re agit. Rationem hic adjungit psychologicam maximi momenti, quæ confirmatur ex Scriptura: « Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia » (*Sap.* 4, 12). Valet autem hæc ratio « præsertim ubi agitur de vitio turpi »; quia in statu naturæ lapsæ passio luxuriæ omnium vehementissima est, ac proinde mentem excæcat et voluntatem debilitat. Qua de re apposite S. Thomas: « Per vitium luxuriæ maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis et delectationis; et ideo consequens est quod per luxuriam maxime superiores vires deordinentur, scilicet ratio et voluntas » (II-II, qu. 153, a. 5; item II-II, qu. 53, a. 6). Valet eadem ratio non solum pro peccatoribus habituatis aut inveteratis, sed pro aliis quoque hominibus, etiamsi hactenus innocentiam servaverint aut specialiter Dei obsequio consecrati sint, casu scilicet quo ob occasionem proximam voluntariam graves patiantur tentationes venereas. Unde testatur Spiritus Sanctus, quod per hanc passionem « fortissimi quique interfecti sunt » (*Prov.* 7, 26). Hæc ultima igitur S. Alphonsi monita confessarius semper alta mente reposita habeat, ut juxta ea tam propriam quam pœnitentium vitam dirigat.

CAPUT II.

De vitando probabili periculo peccandi.

TEXTUS S. ALPHONSI
(VI, 453)

« Dubitatur 2°. *An absolvi possit qui se exponit probabili periculo « peccandi?*

§ 1. — « Affirmant Mendo, Gobat et Caramuel [a]), apud Viva [1]; « et Hozes, Lumbier [b]), etc., apud Croix [2]; et consentit Sporer [3], « modo adsit rationabilis causa. Quia (ut ajunt), cum probabile sit « quod ille peccabit, et probabile quod non peccabit, potest sibi « formare conscientiam certam, et proinde judicium practicum non « fore peccaturum ».

§ 2. — « Sed hanc opinionem jam refutavimus *Lib. V, n.* 63, « cum Busenbaum [c]), Croix, Cardenas [c]), Elizalde, etc. Hic addo « auctoritatem D. Thomæ [4], ubi id expresse reprobat, dicens: *In- « firmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, pro- « hibendi sunt ab infidelium communione.* Ratio est quia, cum adsit « probabilitas labendi, jam adest formale periculum lapsus, quod « (ut diximus) omnino est fugiendum, quando occasio est voluntaria; « secus vero, si necessaria (ut diximus *Lib. V, n.* 63, de medico et « parocho) ».

Mendo, Epitome, v. *Occasio*, num. 5. - *Gobat*, tr. 7, n. 526. — [1] In prop. 41 Alex. VII, n. 15. - *Hozes*, Explic. propos. 63 Innoc. XI, n. 4. — [2] Lib. 5, n. 257. — [3] Part. 3, cap. 2, n. 324. - *Croix*, loc. cit. - *Elizalde*, lib. 8, qu. 15, § 3. — [4] 2ª 2æ, qu. 10, art. 9, corp.

NOTÆ CRITICÆ EX EDITIONE GAUDÉ. — a) Caramuel, *Theol. regul., disp.* 70, *n.* 1056, distinguit. Si certum est periculum et probabilis lapsus, negat fas esse illi se exponere; si periculum non est certum, sed tantum probabile, dicit licere illi se exponere, et lectorem remittit ad *disp.* 6, *n.* 57. Sed idem Caramuel, in *Theol. fundam., n.* 511, absolute dicit: « Eum qui probabili mortaliter peccandi periculo se exponit [libere], peccare non jam probabiliter, sed certo mortaliter ».

b) Lumbier, *Sum.* dicta de Arana, *tom.* 3, *Observ. in prop. Innoc. XI, post num.* 2010, *init.* § 3 (edit. lat., *num.* 596), ut probabilem habet hanc opinionem; sed contrariam probabiliorem esse existimat.

c) Busenbaum, *loc. cit.;* Cardenas, *Cris.* 1, *disp.* 18, *cap.* 6, *n.* 57; et *Cris.* 4, *diss.* 40, *cap.* 3, *art.* 3, negant licere sine necessitate tali periculo sese exponere.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

§ 3. — « Immo recte sentiunt Palaus [1] cum Suarez [d]); et « Sotus [e]), Bañez [f]), apud [Contin.] Tournely [2]; item Salmant., Va- « lentia [g]) et Azor [g]), citati *Lib. II, n.* 26, v. *Pariter*, quod in « necessitate extrema spirituali proximi non solum potes, sed te- « neris illi succurrere cum tali periculo probabili; quia tunc ne- « cessitas efficit ut periculum evadat remotum: unde si potes, teneris. « Idque docet idem D. Thomas [3], ubi, postquam dixit prohibendos « esse a communione infidelium eos de quorum salute probabiliter « timetur, addit: nisi urgeat necessitas ».

§ 4. — « Dicit tamen [Contin.] Tournely [4] cum Silvio [h]) quod « si periculum sit tale, ut probabilior sit lapsus, tunc nullo modo « potes nec debes illi te exponere; quia quisque plus suam quam « aliorum salutem respicere debet. — Sed huic responderi posset « quod in tali casu extremæ necessitatis, modo lapsus non sit mo- « raliter certus, licet sit probabilior, tenereris te fortius præmunire « orationibus et operibus piis, et deinde fidere de majori auxilio « Dei: rationabiliter enim tunc esset sperandum quod Deus augebit « auxilium ubi major urgebit necessitas ».

Nota. — Quia S. Doctor (§ 2) lectorem remittit ad *lib. V, n.* 63, ubi rejectam a se sententiam ex professo confutaverat, hunc locum hic subjicimus.

[1] Tract. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 9. — [2] Decal., cap. 1, art. 3, de Carit., sect. 4, punct. 1, post concl. 2, v. *Major est.* - *Salmant.*, tr. 21, cap. 6, num. 28. — [3] Loc. cit. — [4] Loc. cit., v. *Contrarium.*

---

[d]) Suarez, loco citato a Palao, id est *de Carit., disp.* 9, *sect.* 2, *num.* 3, loquitur de periculo vitæ corporalis; quod, ut patet, ad rem non facit; sed revera, *ibid., sect.* 1, *n.* 8, scribit: « Nemini licere propter aliorum salutem exponere se morali periculo peccandi mortaliter...; quod maxime verum est, quando periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est ». Quibus subdit: « Si vero in confuso, non potest certa regula tradi, sed pro ratione periculi et necessitatis, pensanda res erit ».

[e]) Sotus, *de Just., lib.* 5, *qu.* 1, *art.* 6, *ante concl.* 3, licitum esse ait vitam spiritualem periculo objicere pro salute animarum.

[f]) Bañez, quamvis a Collet hic citetur, rem tamen, *in* 2am 2æ, *qu.* 26, *art.* 5, *concl.* 2, silentio prætermittit.

[g]) Valentia, *in* 2am 2æ, *disp.* 3, *qu.* 4, *punct.* 3, *assert.* 5, de periculo vitæ corporalis loquitur; sicut pariter Azor, *part.* 2, *lib.* 12, *cap.* 4, *qu.* 3; immo etiam Azor, *qu.* 2, v. *Dicendum existimo*, ait: « Ordo... caritatis... requirit ut vita et salus animæ non sit objicienda periculo pro vita amici spirituali servanda ». Male igitur allegantur a Salmant.

[h]) Silvius a Collet quidem citatur; sed *in* 2am 2æ, *qu.* 26, *art.* 4, *qu.* 1, *concl.* 1, *i. f.*, in universum dumtaxat negat licitum esse se periculo peccandi exponere pro spirituali proximi salute, si probabilior sit lapsus quam perseverantia.

(Ex lib. V, n. 63)

§ 5. — « Quæritur hic: *An peccet mortaliter, qui se exponit « periculo tantum probabili mortaliter peccandi?*

« Prima sententia negat cum Sporer [a]), et Gobat, Hozes, Lum- « bier [b]), Murcia, etc., apud Croix [1]. — Quia, ut dicunt, cum sit « eo casu etiam probabile quod non adsit periculum peccandi, non « operatur temere qui tali occasioni se committit; ubi enim periculum « non est certum, non potest ibi adesse certa obligatio illud effu- « giendi ».

§ 6. — « Sed omnino tenendum oppositum cum Busenbaum « (ut supra), quem sequitur Croix [2] cum Cardenas, Elizalde et aliis. « Ratio convincens, quia, si est illicitum uti opinione probabili « sine justa causa cum periculo damni alieni spiritualis vel tempo- « ralis, ut certum est apud omnes cum Busenbaum, quanto magis « id non licebit ubi periculum imminet propriæ animæ? — Nec « obstat dicere quod ubi periculum est probabile, ibi etiam proba- « bile est non esse periculum. Nam respondetur quod eo casu, licet « peccatum sit incertum an sit vel ne committendum, certum tamen « est periculum peccandi ».

§ 7. — « Diximus *sine justa causa;* nam ubi justa causa adest, « non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter præ- « videatur lapsus in peccatum (Vide dicta *lib.* 2, *n.* 26, v. *Pariter*). « — Et sic excusantur *chirurgi*, si periculo se exponunt in medendis « feminis, cum aliquoties in præteritum ob talem occasionem jam « lapsi fuerint. Sicque *parochi* qui in excipiendis confessionibus « eamdem miseriam fuerint experti. Sic etiam excusantur alii qui « proprium officium, puta curialis, militis, cauponis aut mercatoris,

Gobat, tr. 7, n. 526. - *Hozes*, Explic. prop. 63 Innoc. XI, n. 4. - *Leand. de Murcia*, Disquis. mor. in 1am 2æ, lib. 2, disp. 1, resol. 16; n. 8 et 9. — [1] Lib. 5, n. 257. — [2] L. c. - *Carden.* Cris. disp. 18, cap. 6 et dissert 40, cap. 3, art. 3. - *Elizalde*, lib. 8, qu. 15, § 3.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Sporer, *Sacram. part.* 3, *cap.* 2, *n.* 324, hoc quidem aperte docet, sed addit, quasi limitans suam sententiam: « Sine nota temeritatis, *ob causam rationabilem* poteris te committere huic occasioni », in qua scilicet probabile est te esse lapsurum in peccatum.

[b]) Lumbier, in suis observationibus ad propositiones damnatas ab Innocentio XI (quod opus inscripsit tomum 3um Summæ dictæ *de Arena*), *post n.* 2010 *initio* § 3 (in edit. lat. *n.* 596), concedit teneri posse hanc sententiam, tametsi oppositam probabiliorem reputet.

« non possunt deserere sine gravi detrimento. Ita Salmant. [1] cum « Navarro, Hurtado, Antonio a Spiritu S., etc.; item Elbel [2], Ron- « caglia [3], Sporer [4] et alii passim. Ratio, quia periculum de se pro- « ximum tunc fit remotum tam ratione circumstantiæ necessitatis, « quam ratione simul mediorum præcaventium, quæ persona pro- « ponit (ut tenetur) adhibere, nempe diligenter avertendo animum « a delectatione turpi vel ab alia passione; et insuper se muniendo « piis cogitationibus, orationibus ac sacramentorum frequentia. Quæ « utique media, licet non sufficiant ad excusandum ubi non adest « justa causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo expo- « nentes; bene tamen opem suam præstat ei qui ex justa causa « occasionem non deserit, dum is eo casu non ex affectu ad pecca- « tum, sed ex quadam necessitate in illa occasione permanet. — « Secus vero dicendum de simplicibus confessariis qui pluries lapsi « fuerint in audiendis confessionibus: quia hi tenentur a tali exer- « citio abstinere, si possint sine gravi detrimento famæ vel facul- « tatum, juxta dicta *Lib. III, n.* 438 *et n.* 483, v. *Quid* ».

30. — Quæstio hæc de vitando probabili peccandi periculo una est ex gravissimis totius theologiæ moralis. Pericula enim probabilia, id est probabiliter peccandi graviter contra aliquod Dei vel Ecclesiæ præceptum, sunt innumerabilia et quasi quotidiana in nostra præsertim societate. Præterea ex hujus quæstionis solutione pendet recta notio occasionis proximæ; quam quidem notionem quivis confessarius in sacro tribunali innumeris casibus applicare, quivis etiam sacerdos in doctrina christiana et in sacro pulpito sæpe populo explicare debet. Quare hoc caput in duos articulos dividemus.

ARTICULUS I.

De obligatione vitandi probabile periculum peccandi.

S. Alphonsus præcipue posteriore loco (V. 63) sententiam suam probat; atque ex ea hic (VI, 453) logice infert pœnitentem qui oppositam sententiam in praxim ducere vellet, absolvi non posse. Ejus autem doctrina reducitur ad hanc thesim quam pro rei momento fuse probabimus.

[1] Tr. 26 de 6° Præc. cap. 2, n. 47. - *Navar.* Man., cap. 3, n. 13 et 26. - *Thom. Hurtad.*, Resol. mor. tr. 1, cap. 5, resol. 7, n. 58 et 60. - *Anton. a Spir. S.*, Director. Confess. tr. 5, de Pœnit., disp. 3, n. 144. — [2] De Pœnit., n. 102. — [3] Tr. 19, de Sacr. Pœn., qu. 5, cap. 4, qu. 3. — [4] Part. 3, cap. 2, n. 326.

Thesis 1ª.

Graviter peccat qui sine justa et proportionata causa se exponit periculo hic et nunc vere ac solide probabili peccandi mortaliter.

Explicatur Thesis

31. — 1º Periculum, quod supra (n. 17) definivimus, distinguitur *certum* (scilicet moraliter ac lato sensu) et *probabile*. Primum illud est quod hic et nunc conjunctionem moraliter certam habet cum actu peccati sequentis. Alterum est quod habet conjunctionem tantum probabilem cum peccato, seu illud est ex quo probabiliter duntaxat actus peccati sequetur, ita ut etiam probabiliter non sequatur. Primum periculum est gravissimum et *a posteriori* constat quando quis in eo semper aut *fere semper* vel *plerumque* cecidit, ita ut etiamnum ejus lapsus sit lato sensu certus, nec liberatio a lapsu futuro sit solide probabilis. Alterum seu probabile periculum — quod vocatur quoque simpliciter grave vel prudens —, constat *a posteriori* quando quis in eo constitutus cecidit *frequenter*, etsi non plerumque aut frequentius; vel generatim *a priori* « quando *prudenter* timetur ipsius lapsus », ut supra (n. 452, § 2; cfr. p. 5) dicit S. Alphonsus, ita tamen ut etiam probabiliter et prudenter expectetur ejus præmunitio a lapsu (cfr. supra n. 8) [1]. Hoc ultimum igitur periculum dicitur probabile, non quidem *in se* seu *ratione periculi* — hoc enim certo adest —, sed *ratione effectus* seu peccati probabiliter secuturi; a. v. est certum periculum probabiliter peccandi [2]. Utrumque autem periculum et certum et probabile a S. Alphonso dicitur formale, quando quis temere se huic

---

[1] Ad rem advertit Berardi: « Ad essentiam periculi gravis non exigitur ut id de quo periculum adest certo sequatur, bene vero sufficit ut probabiliter secuturum sit. Nonne enim in gravi periculo versatur v. g. qui duellum facit, quamvis mors et victoria æque probabiles essent? » (*De Occas.*, n. 5). Hinc minus recte ait Noldin: « Periculum dicitur *grave* (proximum), si moraliter certo connexum est cum peccato; dicitur *leve* (remotum), si nexus cum peccato non est moraliter certus » (*De Peccatis*, n. 324). Sane, nemo prudens dicet leve aliquod periculum, v. g. mortis aut jacturæ bonorum, quando non quidem moraliter certo, sed tamen fere æque probabiliter cum malo effectu conjungetur ac non conjungetur. Neque aliter loquendum est, quando agitur de periculo peccati, i. e. mortis animæ et jacturæ amicitiæ Dei.

[2] Hinc recte Lacroix: « Ubi periculum est probabile, ibi non est probabile quod non detur tale periculum, sed *certum* est et supponitur ibi esse periculum. Illud autem periculum dicitur *probabile* solummodo *ratione effectus*, quia non est certum, sed tantum est probabile quod illud periculum sit futurum conjunctum cum peccato. Sicuti si quis sumat venenum et simul antidotum contra venenum, certum est ibi esse periculum probabile mortis, quamvis hoc sensu dicatur periculum probabile, quia non est certum sed tantum probabile quod mors sit secutura, eo quod probabile sit vim veneni vincendam per vim antidoti » (lib. V, n. 257).

exponit, ac proinde illud omnino fugiendum est, ut dicitur in thesi. — Quodsi lapsus futurus non est graviter, sed tantum tenuiter probabilis, aut saltem valde et notabiliter minus probabilis, periculum dicitur leve, saltem relative [1].

32. — Porro, exponere seipsum *levi* tantum periculo peccandi mortaliter per se certe peccatum grave non est. Ratio est, quia non est gravis inordinatio ponere causam quæ leviter tantum influit in malum effectum, seu ex qua peccatum raro tantum et per accidens ac præter prudentem prævisionem sequitur. Præterea hujusmodi levia pericula cuique, etiam prudentissimo, adeo obvia et frequentia sunt, ut ea omnia collective sumpta vitare, non solum onus esset importabile, sed etiam impossibile esset. Unde ex quacunque rationabili causa alicui levi ac remoto periculo se committere licet; aderit gratia Dei ordinaria qua certo lapsus mortalis vitetur.

At vero, si non de mera peccati possibilitate, sed de positivo aliquo et particulari, etsi levi tantum mortaliter peccandi periculo agitur, sine ulla plane causa rationabili se huic exponere, a peccato veniali excusari nequit; tum quia actio in se esset irrationalis ac proinde levis inordinatio, tum quia levis esset quædam incuria offensæ Dei et salutis animæ: puta si quis ex mera curiositate puellam venustam aut statuam leviter indecentem conspiceret, librum subobscœnum legeret, phantasmatibus leviter periculosis indulgeret etc. [2]. Imo, si quis nulla pericula levia vitare, sed omnia obvia sine ratione positive quærere vellet, innumera peccata venialia committeret, et sic paulatim peccati mortalis reus fieri posset. Idque non quidem *per se*, quia, ut docet S. Thomas, « peccatum mortale et veniale differunt in infinitum » (I-II, qu. 83, a. 4), neque etiam ratione ipsius propositi actualis, quia, ut S. Alphonsus ait, « tale propositum tantum remote conducit ad peccatum » (IV, 12), sed *per accidens* et *consequenter*. Nam, ut ait Scriptura: « Qui spernit modica paulatim decidet » (*Eccli.* 19, 1); « sed, ita pergit S. Thomas, ille qui peccat venialiter videtur minima spernere: ergo paulatim disponitur ad hoc quod totaliter defluet per peccatum mortale » (*l. c.*, a. 3). Videlicet, per consuetudinem illam peccandi venialiter tepescit fervor charitatis, crescit concupiscentia, voluntas debilitatur, gratia actualis minuitur, et sic pedetentim procedens tandem versatur quis in periculo gravi et proximo peccandi mortaliter, quod quidem periculum sub gravi vitari debet, ubi primum illud advertitur. — Itaque thesis agit de periculo non tenuiter, sed solide probabili et vere gravi.

---

[1] Practice loquendo, si res solum a posteriori consideratur, Lacroix cum Gobat putat, « eum qui scit, si decies accedat tale consortium, se octies vel septies cadere, periculum illi esse *moraliter certum;* si autem ter aut quater solum cadat, esse periculum tantum *probabile;* quod etiam dicit Caramuel, quamvis quinquies cadat, si etiam quinquies non cadat. Si autem nunquam cadat, aut forte semel sed raro et potius casu, erit periculum *leve* » (V, n. 255). Ast supra (n. 9) jam vidimus, tali computationi mathematicæ non insistendum esse. Sufficit ut lapsus prudenter timeatur, adeoque ut periculum lapsus sit vere grave et solide probabile, etiamsi non sit multo et notabiliter gravius ac probabilius, sed tantum fere æque probabile.

[2] Cfr. Berardi, n. 10, 11. — Hinc nimis generaliter dicit Génicot: « Nullum est præceptum vitandi occasionem quæ, omnium consensu, dicitur remota, seu in qua leve peccandi periculum occurrit » (*Th. Mor.*, II, 371).

33. — 2º Dicitur in thesi: *periculo hic et nunc vere probabili.* Agitur enim non de periculo in genere, quod in futurum grave fieri posset, v. g. licetne mihi suscipere statum periculosum vitae militaris? — sed de periculo determinato et instanti, quod hic et nunc in hac actione ponenda adest, v. g. licetne mihi adire hanc domum, in qua non certo quidem, sed vere probabiliter lapsurus sum in peccatum mortale? — Præterea agitur de labendi periculo quod hic et nunc, post consideratas omnes circumstantias, uti gravitatem sollicitationis, internam debilitatem vel experientiam, re ipsa ac de facto manet vere probabile. (Cfr. infra n. 35 et 51).

34. — 3º Dicitur: *sine justa et proportionata causa.* Apprime hic notandum est, per hanc causam *justam* — quo verbo S. Alphonsus utitur (supra p. 25, § 7) — non intelligi quamlibet « rationabilem causam », uti Sporer censere videtur (ap. S. Alph. supra p. 23 et 25), sed causam vere *gravem*, quæ *quamdam necessitatem late dictam* importet.

Id ex contextu S. Doctoris et locis parallelis patet. Etenim docet, posse se exponere probabili periculo curiales, milites aliosque, « qui, inquit, proprium officium non possunt deserere sine *gravi* detrimento », et rationem allegat: « quia periculum de se proximum tunc fit remotum tam ratione circumstantiæ *necessitatis*, quam ratione simul mediorum præcaventium etc. » additque: « in eo casu non ex affectu ad peccatum, sed ex *quadam necessitate* in illa occasione permanet » (§ 7, supra p. 26). Et in *Hom. Ap.:* « Hoc intelligitur quod peccat graviter qui se exponit periculo sine justa causa; hoc enim non currit juxta communem de eo qui ex *necessitate* se exponit » (III, 69). Item alibi: « Licitum est ob salutem spiritualem proximi se exponere probabili periculo peccandi, quia periculum illud, quando adest *gravis* causa illud subeundi, non judicatur voluntarie suscipi » (*Th. M.*, II, 26). Itaque hæc justa causa, ob quam se probabili periculo committere licet, juxta S. Auctorem, est causa gravis, quæ occasionem quodammodo necessariam faciat. Hinc etiam in textu (supra p. 23, § 2) supponit occasionem illam non esse voluntariam, sed necessariam: « secus vero, si *necessaria* » est occasio.

Quanta autem gravitas seu necessitas causæ requiratur, pendet tum a gravitate periculi, tum a gravitate peccati vel ejus consequentiarum. Qua de re hæ generales regulæ statui possunt: *a*) Quo gravius seu probabilius est peccandi periculum, eo gravior requiritur causa. *b*) Quo gravius timetur peccatum, eo gravior iterum requiritur causa: sic gravior causa adsit oportet, ut quis se periculo luxuriæ consummatæ exponat quam periculo simplicis delectationis morosæ. *c*) Quo pejores consequentias haberet peccatum futurum, eo graviores iterum causæ requiruntur: sic graviores rationes postulantur, ut quis periculo perdendi fidem se committat

quam periculo perdendi castitatem. Et hoc significatur in thesi per illud: « *proportionata causa* ».

Ratio autem exceptionis hæc est: si ob hujusmodi justam, gravem et proportionatam causam periculum adire quodammodo est necessarium, tunc homo, si ex sua parte specialia adhibet media, vigilando scilicet et orando, ex parte Dei certo expectare potest speciale auxilium, quo lapsus præcaveatur; ac proinde tunc periculum ex proximo et gravi fit remotum et leve. Ita S. Alphonsus: « Quæ media, licet non sufficiant ad excusandum ubi non adest justa causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo exponentes; bene tamen opem suam præstat ei qui ex justa causa occasionem non deserit » (supra p. 26). — Cfr. infra n. 75 sqq., ubi § 3 et 4 exponuntur.

35. — Itaque *status quæstionis* hic est: num committit peccatum mortale qui sine ulla causa, aut ex causa tantum levi, se hic et nunc exponit peccati mortalis periculo, quando, consideratis omnibus circumstantiis, sibi non quidem moraliter certum, sed tamen solide probabile est, se in hoc periculo lapsurum, etsi sibi etiam solide probabile est, se in eo non lapsurum? Casus e. g. esset hic: Titius — sacerdos, religiosus an laicus, nihil refert — cogitat de adeunda aliqua persona alterius sexus, quam nulla seria ratio adire suadet. Hæsitat autem, quia prævidet se in hac visitatione non certo quidem, sed tamen vere probabiliter peccatum mortale contra castitatem cum ea commissurum esse. Cognoscens enim tristi experientia suam fragilitatem in hac lubrica materia suamque frequentem inconstantiam in bonis propositis, cognoscens etiam qualitates et indolem illius personæ, puta ejus amœnitatem animique mobilitatem, omnesque alias considerans circumstantias, censet quidem solide probabile esse, se in hoc periculo lapsurum. Attamen ea de re nequaquam moraliter certus est; nam in aliis similibus periculis frequenter quidem victus, sed frequenter etiam victor egressus est; neque cum hac persona unquam peccavit; neque etiam eam adire vult ut cum ea peccet, sed solum se recreandi causa. Unde videtur sibi etiam solide probabile esse, se non commissurum hoc peccatum. — *Quæritur* ergo, num Titius in hoc *dubio positivo* de futuro lapsu *sub gravi* teneatur hoc *probabile periculum* evitare, seu illam personam non adire?

Affirmat S. Alphonsus cum aliis theologis quasi communiter.

Negant quidam auctores antiqui æquo laxiores, quos vide apud S. Alph. (§ 1 et 5, p. 23 et 25); item pauci recentiores. Inter hos præcipuus est Génicot, qui hæc habet: « Controvertitur utrum ad hanc obligationem vitandi occasionem requiratur ut hæc inducat periculum peccandi *moraliter certum*, an sufficiat ut inducat periculum *probabile*. Hoc tenent multi cum S. Alphonso... Illud

opinatur Ballerini cum paucis... Hanc posteriorem sententiam veriorem putamus » (*Theol. Mor.*, II, 372). Quam deinde pluribus probare nititur [1].

Thesim nostram cum S. Alphonso ut *certam* defendimus; S. Doctor, postquam benigniorem sententiam exposuit, ait: « Sed *omnino* tenendum oppositum » (supra p. 25, § 6).

Probatur Thesis rationibus

I. — *Ex reverentia Supremo Legislatori debita.*

36. — Exponere se sine justa causa periculo vere probabili peccandi mortaliter magnum Dei contemptum in se continet. Etenim qui sciens prudens sine gravi ratione aliquam ponit actionem, ex qua probabiliter magna alicujus, puta regis, sequetur offensio, seu ex qua serio et prudenter gravis ejus offensio timetur, profecto non levem, sed gravem erga ipsum irreverentiam committit: hic enim parvipendit regis offensam, quia indifferentem se ostendit, utrum rex, occasione suæ actionis, graviter a se offendatur necne. Eodem plane modo indifferentiam ostendit, ac proinde gravis erga Deum contemptus reus est qui sine gravi causa ponit actionem, ex qua prævidet probabiliter Deum a se offensum iri suumque lapsum in peccatum secuturum esse [2]. Quodsi gravis hujusmodi adesset causa et præterea remedia necessaria contra talem lapsum rite adhibeantur, hanc actionem ponere licet, quia tunc in ordine supernaturali non probabiliter tantum, sed certo offensa Dei et lapsus evitabitur. Rationem nostram ita breviter attingit S. Thomas: « Quicumque non cavet pericula, videtur *contemnere* id cujus detrimentum pericula inducere possunt » (*Quodlib.* III, a. 9, ad 3).

Advertat hic prudens lector, probabilem illum lapsum in peccatum esse *dubium facti*, quod nullo modo pendet ex dictamine conscientiae, ac proinde per principium reflexum removeri nequit. Atque ita patet, quomodo peccet ratio præcipua adversariorum.

37. — *Opponunt* enim: « Quando solum probabile est, te succubiturum in tali occasione tentationi, certe etiam probabile est te non succubiturum: occurrunt enim rationes graves ob quas vir prudens judicat

---

[1] Post mortem Génicot novissimus ejus editor hanc propositionem aliquo modo temperavit; ast temperamentum ipsam doctrinam non afficit. Expresse enim rejicitur sententia S. Alphonsi aliorumque « multorum » et opposita propugnatur, diciturque: « Ubi peccatum grave est simpliciter *probabile*, tantum *leviter* peccare existimant (alii), propter imprudentiam in negotio salutis ». Ceterum argumenta et responsa Génicot eadem ad verbum manserunt.

[2] Apposite Viva: « Eodem modo adversus reverentiam regi debitam delinquit, qui regem lædit, et qui citra necessitatem exponit se periculo illum lædendi » (*In prop. I. Innoc. XI*, n. 16).

te lapsurum in hac occasione; contra vero sunt etiam graves rationes aliæ ob quas æque prudens judicat te non lapsurum» (Ita Sporer, tr. IX, n. 324). Vide hanc rationem expositam apud S. Alphonsum supra (p. 23, § 1).

Sed *respondeo:* nego consequentiam. Hæc enim probabilitas nequaquam certo removet ipsum factum lapsus secuturi: adest enim in casu *dubium facti;* a. v. agitur hic non de sola honestate actionis, sed de facto seu de malo quod certo et omnino est vitandum et cuius vitatio seu admissio non pendet ex dictamine conscientiæ. Nam utrum necne lapsus in illo periculo reipsa sequatur, minime pendet ex principio reflexo: « Lex dubia non obligat » aut: « In dubio possidet libertas ». Quemadmodum igitur — ut hodie tenent omnes — est peccatum mortale ponere actionem in dubio practico, num hæc graviter sit prohibita, quia id gravem indifferentiam erga Supremum Legislatorem ejusque offensam importat: ita quoque gravis adest indifferentia adeoque irreverentia erga Deum, si quis, ob rationes hinc inde probabiles practice dubitans num ex sua actione sequatur factum peccati, nihilominus sine justa causa eam poneret: in utroque casu est dubium practicum in quo agere plane non licet [1].

II. — *Ex tentatione Dei quæ ex opposita sententia sequeretur.*

38. — Ut quis certo a peccato liberetur in probabili ac gravi peccandi periculo, sperare deberet Dei gratiæ auxilium, quo adjuvetur. — Atqui sperare hujusmodi auxilium, quando quis sine justa causa se tali periculo exponit, implicite et interpretative est tentatio Dei in re gravi. — Ergo.

Major certa est et ab adversariis admissa (cfr. n. 40, 42). Nam in periculo utrinque graviter probabili, quando scilicet quis ex variis adjunctis prævidet se in aliquo casu probabiliter lapsurum esse et probabiliter etiam non lapsurum, homo a propriis viribus naturalibus expectare tantum potest, ut probabiliter a peccato liberetur. Ergo ut certo peccatum vitet — ad quod stricte tenetur —, sperare debet Dei gratiæ auxilium. — Neque sufficit nunc firmiter proponere non peccare in hoc periculo. Ea enim est humanæ naturæ infirmitas, ut voluntas, suis relicta viribus et gravi tentatione ac periculi præsentis illecebris allecta, saltem frequenter propositum relinquat ac proinde probabiliter cadat; quod quidem propria etiam experientia confirmat. Esset ergo gravis præsumptio in hoc periculo certam sperare victoriam a propriis viribus et non a gratia Dei.

---

[1] Merito Berardi: « Probabilismus respicit solum dubia juris in quibus lex tanquam dubia non obligat, et proinde nec conscientia nec salus æterna quidquam patitur. Ex principiis itaque veri et probati probabilismi non sequitur quod tuta conscientia possit homo se liberum existimare etiam in dubio facti, maxime vero in illo de quo hic agitur; stante enim seria et gravi probabilitate peccati mortalis secuturi, jam adesse potest etiam serium et grave periculum damnationis æternæ; inde bene dixit Elizalde, probabilismum hujusmodi esse viam inferni » (*De Occas.*, n. 6).

Probatur *minor*. In aliquo gravi periculo, sive animæ sive corporis, expectare Dei auxilium, quando ipse homo se ex hoc periculo liberare potest, est saltem interpretative tentare Deum. Ita expresse S. Thomas: « In hoc Dei tentatio consistit, quando prætermittit homo facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum ad auxilium divinum... Quando propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est tentare Deum... Quando vero hoc agitur absque utilitate et necessitate, hoc est *interpretative* tentare Deum; unde... dicit Glossa: *Deum tentat qui habens quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens utrum possit liberari a Deo* » (II-II, qu. 97, a. 1).

Re sane vera; Deus enim hunc constituit ordinem, ut homo faciat quod possit, quo aliquem finem debitum consequatur. Quod si facit homo, tunc Deus adjuvat ad ulteriora quæ homo non potest et humiliter a Deo petit. Unde Tridentinum ait: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut possis » (sess. VI, cap. 11). Hoc sensu verissimum est illud adagium recens: « Adjuva teipsum et Deus te adjuvabit ». Qui secus facit, ordinem a Deo statutum invertit et vult, saltem « interpretative » ac ipso facto, experimentum facere Dei potestatis et bonitatis; quod est tentare Deum. In casu itaque nostro homo ipsemet periculum probabile et gravem inde secuturam tentationem vitare debet: id quod sine gravi incommodo facere potest, quippe quum periculum et tentatio sit voluntarie seu « absque necessitate et utilitate » admissa. Quod si non facit, committens se sine ratione periculo et sperans in tentatione inde secutura Dei auxilium, temere agit Deumque in re gravi tentat. Atque hæc ratio, uti patet, valet de omni periculo sive ordinis naturalis sive ordinis supernaturalis, sive corporis sive animæ, sive certo sive probabiliter cum effectu malo conjuncto; nam etiam probabile periculum ab omnibus verum, grave et prudens periculum vocatur.

39. — Idem fere argumentum alio modo sic proponi potest. Qui sine justa causa se committit probabili peccandi periculo, juxta ordinariam Dei providentiam non accipit gratiam qua in hoc periculo peccatum certo vitet, neque directe, neque etiam indirecte seu per gratiam sufficientem et ordinariam orationis. Ratio est, quia potest ipsemet se ab hoc periculo liberare, illud non adeundo, et ita peccatum vitare. Absonum autem est dicere, Deum cum sua gratia actuali qua peccatum vitetur semper præsto esse etiam ei qui sine justa causa se periculo solide probabili Ipsum offendendi exponit, illudque relinquere potest sed non vult. Unde si talem gratiam nihilominus peteret, saltem interpretative Deum tentaret, ut ait S. Thomas; imo ille quasi irridens Deo diceret: « Et ne nos inducas in tentationem », quando ipsemet sine ratione adeoque imprudenter se inducit in tentationem seu in periculum

Deum graviter offendendi. Quapropter hujusmodi homo in tali periculo suis relinquitur viribus, neque ordinarie ullam a Deo accipit gratiam, sive efficacem et abundantiorem, sive sufficientem et communem, qua peccatum vitet. Accipit quidem gratiam, sive directe sive indirecte, non adeundi hoc periculum, vel discedendi ab illo, si forte jam in se versatur — quia tali gratia ob rei difficultatem aliquando indigere potest —; sed nulla ratione expectare potest gratiam vincendi tentationem et non peccandi in probabili periculo, quod ipse voluntarie admittit et vitare potest sed non vult.

40. — Perperam igitur de probabili periculo spirituali, cui quis sine justa ratione se exponit, dicit Génicot (n. 372) *: « Gratiæ divinæ ope semper potes spirituale periculum arcere ». Id enim in casu negandum est, ut ostendimus; nam temere agis, ac proinde frustra opem gratiæ divinæ expectas; quia « Deus non adjuvat temere se periculo exponentes », ut ait S. Alphonsus (supra p. 26, § 7), cum communi omnium sensu. — Pergit Génicot: « Neque propterea expectandum est auxilium gratiæ prorsus extraordinarium, quod fere miraculi moralis instar habendum est et non nisi cum præsumptione extra casum necessitatis petatur ». *Respondeo:* Illud auxilium gratiæ quo in periculo vere probabili et gravi peccatum vitetur, nequaquam est « prorsus extraordinarium » et « quasi miraculosum », sed est ordinarium, utpote juxta Tridentinum ope orationis, tanquam subsidii ordinarii in frequentibus periculis salutis, a Deo obtinendum. Tale autem auxilium sine præsumptione certo expectare a Deo potest quidem ille qui cum justa causa, non autem ille qui sine justa causa ac proinde temere se objicit periculo vere probabili; imo hic ne quidem gratiam sufficientem et communem orandi jure expectare potest, ut supra dictum est. — Unde fallitur quoque idem auctor prosequens: « Si enim e rerum natura vel experientia patet probabiliter peccatum vitatum iri, signum est periculum vitari posse cum iis ordinariis gratiæ auxiliis quæ a quolibet homine prudenter expectari et peti possint ». *Respondeo*, illud « prudenter » plane negandum esse. Nam si e rerum natura vel experientia etiam patet probabiliter peccatum commissum iri — uti casus supponit —, nequaquam rationabiliter et prudenter hæc gratiæ auxilia a quolibet homine expectari et peti possunt, quippe quæ ordinarie a Deo non dantur illi qui voluntarie et sine justa ratione se conjicit in tale periculum; imo imprudenter et temere gratiam vitandi peccatum a Deo expectares et peteres, si ipsemet te liberare potes ab hoc peccandi periculo, illud scilicet non adeundo vel illud relinquendo. Unde hujus gratiæ petitio objective esset, ut S. Thomas ait, interpretativa tentatio Dei. Neque etiam quod peccatum probabiliter vitabitur, signum est illud per ordinaria gratiæ auxilia vitari; nam hæc probabilis vitatio etiam ex aliis causis et adjunctis seu ex viribus naturalibus contingere potest: auxilia autem supernaturalia, quibus certo peccatum vitetur, temere a Deo expectantur, uti ostensum est.

---

* Nota. — In citandis auctoribus, si nullus alius locus indicatur, intelligitur eorum tractatus *De Pœnitentia.*

Audire libet, quo modo prudens ille Lehmkuhl hanc rationem exponat, simulque objectiones refellat: « Ubi primum constat, res aliquas seu circumstantias, sive spectata natura humana lapsa sive spectata certi hominis fragilitate speciali, *graves tentationes* homini ciere; est veritas saltem theologice certa hominem propriis viribus victorem non posse existere sed graviter esse lapsurum. Ergo occasionem peccandi proximam adesse certissimum est, nisi Deus speciali gratiæ auxilio vires auxerit. Auxilium autem gratiæ Deus non iis, qui temere et sine causa periculo tentationibusque se exponunt, sed illis promisit, qui nolentes in periculo constituti et tentationibus impetiti humiles ad Deum confugiunt et cum fiducia ejus rogant auxilium » (Reuter-Lehmkuhl, *Neo-Confessarius*, num. 188, *g*) [1].

III. — *Ex charitate erga seipsum.*

41. — Sine justa et proportionata causa se exponere probabili periculo labendi in peccatum mortale, est grave peccatum contra charitatem erga seipsum. Ratio hæc a S. Alphonso vocatur « convincens », et ita ab ipso exponitur: « Si est illicitum uti opinione probabili sine justa causa cum periculo damni alieni spiritualis vel temporalis, uti certum est apud omnes: quanto magis id non licebit ubi periculum imminet propriæ animæ? » (supra p. 25, § 6).

Re sane vera; non licet e. g. sine necessitate administrare Baptismum cum materia tantum probabili; neque absque gravi causa infirmo venenum porrigere, ex quo probabiliter mors secutura est: utrumque peccatum est contra charitatem erga proximum. Ergo, quia charitas bene ordinata incipit a seipso, neque licet sine gravi causa se objicere periculo, ex quo probabiliter mors propriæ animæ sequetur: illa res vel persona quæ periculum probabile peccandi creat, est revera venenum quod probabiliter mortem propriæ animæ inferet. In utroque casu, sive damni alieni sive

---

[1] Eodem fere modo alibi idem auctor: « Grave peccandi periculum subire seu in gravem tentationem se conjicere est indirecte velle peccatum, utpote quod ex eo sequatur tamquam effectus. Nam theologia docet hominem moraliter non posse suis viribus gravem tentationem vincere, sed indigere ad id auxilio divinæ gratiæ, quam in ejusmodi circumstantiis sperare temerarium est » (*Casus Consc.*, II, 596). — Etiam Caramuel, qui antea eamdem quam Génicot propugnaverat sententiam, post suam retractationem hoc modo eam refellit: « Ut hæc melius intelligas, prodesse poterit illud commune Patrum et juniorum theologorum axioma, videlicet: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Dedit homini Deus naturæ vires, et dedit ordinaria auxilia gratiæ, quibus si non vis uti, *imprudenter*, ne imprudenter dicam, fieri a Deo postulas quæ non vis facere..... Esse in tali loco vel domo *periculum peccandi probabile*, experientia propria vel aliena sentiscis. Ergo *debes facere quod in te est*, et sperare a Deo divinam gratiam. *Debes igitur non adire hunc locum, si hoc possis.* Si non possis non ire,... debes recurrere ad solum Deum et ponere media moralia et supernaturalia; facit enim quod debet qui facit quod potest. Et quia Deus fidelis est, et neminem patitur supra vires tentari, indulgebit tibi suum favorem divinitus » (*Theol. Fundamentalis*, Romæ, 1656, n. 516). De Caramuele, vide plura infra n. 54 et 62.

damni proprii, est « periculum facti » (*H. Ap.*, III, 69), quod per dictamen conscientiæ seu per principium reflexum removeri nequit; in quo proinde nefas est uti opinione probabili. (Cfr. supra n. 37) [1].

42. — *Objicit* Génicot contra hoc argumentum, negando paritatem in comparatione periculi spiritualis cum periculo corporali. « Neque obstat, inquit, similitudo cum periculo mortis corporalis, quod nequis adire sine gravi causa, etiamsi æque probabile sit te evasurum esse incolumem, ut in duello inter duos æque peritos. Nam talis comparatio nimis claudicat, ut perfecte assimiletur utraque temeritas: periculum enim corporale nequis opposita probabilitate removere, dum, gratiæ divinæ ope, semper potes spirituale periculum arcere » (n. 372).

Responsum jam patet ex supra dictis (n. 38 sqq.): potes periculum spirituale ope divinæ gratiæ arcere, si adest justa et proportionata causa exponendi te huic periculo, *concedo;* si deest hujusmodi causa — uti supponitur in nostra controversia, et ut supponit etiam Génicot, nam agit de occasione libera —, plane *nego.* Nam deficiente tali causa, nullum jus habes ad hanc gratiam divinam, imo eam temere expectas, quia, periculum vitando, ipsemet te ex eo liberare potes. Comparatio ergo procedit in eo quod in *utroque* casu, tum periculi corporalis tum periculi spiritualis, adest *gravis temeritas, si deest justa causa,* et eatenus tantum comparatio adhibetur. Cessat vero hæc gravis temeritas in utroque casu, si justa et proportionata causa adest. Claudicat tantum comparatio in eo quod, si adest talis justa causa, periculum spiritualis damni per gratiam divinam et remedia adhibita certo fit remotum et leve; nam Deus promisit certo se daturum gratiam spiritualem petentibus. Contra, periculum damni corporalis manet semper probabile et grave, etiamsi ob justam et proportionatam causam id sæpe subire licet; nisi forte Deus per quoddam miraculum adjuvaret, ad quod, quum de bono corporali et temporali agatur, non tenetur. Itaque in tertio comparationis, uti aiunt, nequaquam claudicat sed plane procedit comparatio, quia, deficiente justa causa, in utroque casu, gravis adest temeritas, ergo peccatum contra charitatem; quod probare volebat S. Alphonsus.

Facilis quoque est responsio ad ea quæ idem auctor ulterius hac de re objicit. « Patet discrimen, inquit, cum eo qui sine necessitate vitam corporis exponat periculo probabili: corporis enim pericula ope prudentiæ naturalis vitanda sunt ». *Respondeo,* etiam pericula animæ juxta ordinem a Deo statutum ope prudentiæ naturalis vitanda esse, scilicet ea non adeundo et declinando: « Deus enim, ut ait Tridentinum, jubendo monet *facere quod possis* ». — Pergit Génicot: « Neque ad ea (pericula corporis) evadenda dantur auxilia quæ conferri queant cum gratia supernaturali, qua Deus hominem munire solet, ut tentationibus et periculis spiritualibus resistat ». Sed *respondeo,* negandum esse prorsus quod Deus gratia

---

[1] Ad rem Lacroix: « Periculum probabile animæ est præsens malum animæ, sicut periculum probabile damni corporei, quale esset desilire ex alta fenestra, aut velle cum armis occurrere leoni, censetur præsens malum corporis; hinc qui illud temere vult, peccat. Ergo multo magis periculum probabile damni animæ etiam est præsens malum animæ; et qui illud vult, peccat » (V, n. 257). Cfr. etiam Cardenas, *Crisis.* I, disp. 18, n. 60 sqq.; item D'Annibale, *Summula.* I, n. 172 (69).

supernaturali hominem munire soleat contra graves tentationes et pericula spiritualia, quando homo ipsemet temere et sine justa causa eis se exponit. Hujusmodi enim gratiam Deus in Scripturis nullibi promisit, quinimo pericula voluntaria vitanda esse docet hac generali sententia: « Qui amat periculum, in illo peribit » (*Eccli.* 3, 27). Unde Tridentinum docet, Deum jubere « *petere quod non possis* »; tunc solum generatim « *adjuvat ut possis* ».

Firmo igitur talo stat hæc S. Alphonsi probatio, estque reipsa, ut ait, « ratio convincens ».

43. — Ex iis quæ in hac secunda ac tertia ratione diximus patet, thesim nostram fundamentum habere *dogmaticum*. Tria enim hæc, juxta ordinariam Dei providentiam, certa sunt:

1º Homo, suis relictus viribus naturalibus, non potest certo vitare peccatum in gravibus tentationibus et periculis animæ vere probabilibus; ad ea quippe certo superanda Dei gratiæ auxilium requiritur.

2º Deus ordinarie hanc gratiam non dat nisi humiliter eam petentibus.

3º Deus non exaudit preces eorum qui sponte et temere se gravi periculo et tentationi objiciunt. Hinc talem gratiam hisce in adjunctis nihilominus expectare, gravis est temeritas, Deique tentatio saltem interpretativa [1].

IV. — *Ex peccato indirecte seu in causa volito.*

44. — Qui vult ponere causam, vult etiam, saltem indirecte, effectum quem prævidet ex illa causa probabiliter secuturum, nisi proportionata adsit ratio ponendi hanc causam: est enim ille effectus voluntarius in causa.

Atqui in casu nostro periculum est causa [2] quæ, juxta prævisionem operantis, probabiliter producet effectum malum, nempe lapsum in peccatum; neque ulla est, ut supponitur, justa et proportionata ratio ponendi hanc causam, id est adeundi hoc periculum.

Ergo qui vult hoc periculum probabile, vult etiam, saltem indirecte et in causa, ipsum effectum seu peccatum probabiliter secuturum.

Minor patet.

Major sic declaratur. Dixi: *indirecte et in causa vult effectum*

---

[1] Merito Lehmkuhl: « Etsi lapsus nondum accidit, tamen vehementem tentationem temere subire nunquam non secum fert grave omnino labendi periculum: quod ex *dogmate* plane constat » (*Theol. Mor.*, ed. 11; II, n. 617). Cfr. quoque Aertnys in *Nouv. Revue théol.*, 1900, p. 501 sqq.

[2] Quo sensu periculum vocetur causa, vide supra n. 3, *nota*.

seu peccatum probabiliter secuturum; hoc autem sufficit ut quis culpæ gravis reus sit. Neque enim ad culpam gravem requiritur, ut voluntas *directe* effectum peccati intendat; neque etiam ut ipse actus peccati *certo* sequatur, a. v. ut necessaria sit conjunctio inter causam et effectum: sufficit ut quis *prævideat*, effectum peccati *probabiliter* secuturum, seu conjunctionem inter periculum et lapsum esse vere probabilem, simulque *deesse rationem* admittendi hoc periculum.

45. — Sane, qui captus dulcedine veneni quod scit probabiliter mortem allaturum, illud nihilominus sine ratione sumit, ab omnibus reus suicidii habetur, etiamsi mors æque probabiliter non sequatur; quia licet directe tantum intendat dulce venenum, tamen indirecte et in causa vult mortem. Qui duellum lethale committit, directe quidem vult honoris læsi reparationem quam hoc medio obtinere existimat, sed indirecte vult mortem, ac proinde reus est duplicis homicidii, tum sui ipsius tum proximi, etiamsi mortem suam non intendat, neque hæc certo, sed probabiliter tantum ex duello sequatur. Qui telo glandem ejicit in objectum quod prævidet æque probabiliter posse esse hominem ac bestiam, revera peccati homicidii reus est, etiamsi hominem occidere non intendat, neque hic et nunc mors reipsa sequatur. Eodem plane modo ille qui, allectus periculi illecebris, puta colloquio cum persona amata, ex quo scit probabiliter lapsum secuturum, se huic periculo sine ratione objicit, directe quidem vult et intendit rem periculosam, sed *indirecte* et *in causa* reapse vult ipsum peccatum seu mortem animæ, atque jam graviter reus est hujus speciei peccati, etiamsi ipse actus peccati non directe intendatur, neque certo, sed probabiliter dumtaxat sequatur [1].

Nihil autem ad argumentum nostrum refert, utrum periculum sit causa *physica* an *moralis*. Nam principium de voluntario indirecto seu in causa juxta omnes theologos etiam valet de causa morali, v. g. de jussu, de consilio, de scandalo aliisque. Sic qui prævidet ex manifestatione alicujus criminis proximum probabiliter diffamatum iri, jam peccati diffamationis reus est, etsi ipsemet hoc crimen uni tantum manifestaverit, alii autem libera eorum voluntate illud latius sparserint: est enim vera causa, etsi tantum moralis. — Neque ad vim argumenti nostri infirmandam objiciatur, hominem, posito etiam periculo probabili, *libere* peccare semperque peccatum vitare posse. Nam id verum est non solum in probabili periculo, sed etiam in periculo certo, quando quis semper aut fere semper cadit; unde objectio nimis probaret. Ad valorem igitur

---

[1] Hinc facile respondebis ad hæc verba Noldin: « Vix credibile est offerentem se periculo graviter peccandi cum seria et rationabili spe se non lapsurum, graviter peccare, cum affirmari nequeat eum velle peccatum, quippe quod non sit necessario conjunctum cum periculo cui se exponit » (*De Pecc.*, n. 325). Videlicet, offerens se sine iusta causa periculo graviter peccandi cum seria et rationabili spe se non lapsurum, sed *simul cum serio et rationabili* (seu vere probabili) *timore* se quidem lapsurum, non in se et directe, sed *indirecte* et *in causa* vere vult hoc peccatum. Neque, ut quid sit voluntarium in causa, requiritur necessaria illa coniunctio cum periculo cui se exponit, sed sufficit conjunctio vere et solide probabilis, ut ex sexcentis exemplis et ex communi hominum sensu liquet.

nostri argumenti sufficit, periculum adeo grave esse, ut quis prævideat, se *de facto* voluntatem suam probabiliter *mutaturum* esse et peccatum commissurum.

46. — Idem argumentum *alia forma* sic proponi potest. Qui tenetur sub gravi vitare aliquod malum, sive physicum sive morale, tenetur etiam sub gravi vitare medium, non solum quod certo, sed etiam quod probabiliter ad hoc malum ducere praevidet; secus enim non vere, sincere et efficaciter vult hoc malum vitare. Exempla abundant. Qui vere vult mortem vitare, etiam vitare debet media quæ probabiliter mortem afferent; qui debet vitare diffamationem proximi, etiam vitare debet ea colloquia ex quibus probabiliter proximi diffamatio sequetur, etc. — Atqui in casu periculum est medium probabiliter ducens ad malum morale seu ad lapsum in peccatum mortale. — Ergo homo etiam sub gravi tenetur vitare periculum, non solum certum, sed etiam vere probabile peccati mortalis. Si secus agit, non efficaciter vult vitare peccatum, neque illud vere aversatur; sicut non vere aversatur mortem qui sine justa et proportionata causa se probabili mortis periculo objicit, nec vere aversatur proximi diffamationem qui se probabili ejus diffamationis periculo exponit (Cfr. n. 88 sq.).

47. — Ex probatis profluit hoc *magni momenti principium*, quod Suarez his verbis enuntiat: « In moralibus perinde est aliquid facere et exponere se periculo faciendi » (*De Sacr. in gen.* disp. 16, sect. 2), a. v. perinde est committere actum peccati ac sine causa proportionata se exponere probabili seu gravi periculo committendi hoc peccatum; videlicet in utroque casu est peccatum ejusdem speciei. Nam eadem lex quæ prohibet e. g. actum contra fidem, charitatem, justitiam, castitatem etc., etiam prohibet se exponere periculo gravi ac probabili ponendi talem actum; irrationabiliter enim et imprudenter agit qui hujusmodi periculo temere se exponit, utpote non curans Dei legem ejusve transgressionem in hac materia [1]. Id unum concedendum est, adire periculum peccati mortalis non esse adeo mortaliter grave ac ponere ipsum actum peccati; quia in posteriore casu est peccatum ex genere suo, in se et directe volitum; in casu vero priore est peccatum per accidens seu ratione periculi, cui temere se exponit, adeoque indirecte tantum ac in causa volitum, ac proinde eo majus aut minus erit, quo temeritas se exponendi major aut minor erit [2].

[1] Ad rem D'Annibale: « Qui hisce occasionibus se exponit, peccat contra eam virtutem, quam in discrimen adducit v. g. fidem, pietatem, castitatem etc.; quippe quæ id vetat ». (*Summula*, I, § 172, *nota* 73).

[2] Hoc sensu dicit Cajetanus: « Eundo ad locum sive societatem ubi est periculum peccandi mortaliter... non urgente necessitate, peccatum est incautelæ majus vel minus juxta conditiones singulares periculi undique pensatas ». (*Summula*, V. *Periculum*).

V. — *Ex consectariis practicis sententiæ oppositæ.*

48. — Et sane; nemo ignorat, quot et quantis periculis, hisce imprimis temporibus, tam boni mores quam ipsa fides exponantur, v. g. periculosis libris et diariis, consortiis et societatibus, scholis, ludis, spectaculis etc. Jamvero, si hujusmodi pericula sine ulla justa causa adire tum solum sub gravi prohiberetur, quando quis in iis moraliter certo labitur, et non jam quando lapsus est vere et solide probabilis, ingens exinde oriretur periculum pro fide et moribus Christifidelium. Nam plurimi de peccato levi nihil curant, ac proinde hæc pericula in quibus probabiliter lapsuri sunt, adibunt, utpote a morali Christiana et a confessariis non graviter prohibita.

Adde, quod pericula, quibus Christiani initio suæ in mundo conversationis exponuntur, generatim non sunt illa quæ moraliter certo cum lapsu sunt conjuncta, v. g. lupanar, liber ex professo impius vel obscœnus, theatrum valde turpe, etc., sed illa alia plurima quæ probabiliter tantum cum lapsu connexa sunt, probabiliter etiam non connexa: nemo enim statim a summo incipere solet. Si itaque hæc gravia et probabilia pericula sine ulla causa adire sub levi dumtaxat prohibitum esset, permulti certe ea initio suæ juventutis non vitarent, et sic ad gravissima et probabilissima pericula, in quibus moraliter certus est lapsus, sensim et quasi sponte transirent. Atque ita, ut nobis quidem videtur, hæc æquo remissior sententia etiam pro pædagogia Christiana exitiosa esset et pedetentim ad magnam morum relaxationem animarumque ruinam conduceret.

Quinimo — ut quod sentimus ingenue dicamus — non pro laicis dumtaxat periculosa hæc doctrina videtur, sed pro ipsis etiam Ecclesiæ ministris et religiosis qui, præcipue hac nostra ætate, multis quoque expositi sunt periculis cum circa fidem tum præcipue circa mores, et qui haud raro hæc pericula non vitabunt, sed ex nulla vel levi causa ea quærent et adibunt, hoc innixi principio, quod non fere certe, sed tantum probabiliter in peccatum sunt lapsuri, quod etiam probabile est eos non esse lapsuros. Neque sufficiet eis dicere, in hisce casibus saltem leve committi peccatum: primo quidem quia multi Deo specialiter consecrati, proh dolor, non omnia peccata venialia deliberata vitare conantur; et præterea quia facile levem invenient rationem, ob quam hoc leve peccatum practice nullum esse concludent.

Génicot, ad præcavendam hanc laxiorem praxim, temperamentum quoddam suae doctrinae apponendum esse ducit: « Fatemur tamen, inquit, propter imprudentiam in salute exponenda, leviter peccare eum qui se, absque justa causa, probabili seu serio gravis peccati periculo

objiciat; immo sæpe veram occasionem proximam reperiri in *consuetudine*, quamvis in *singulis* actibus quibus frequentatur non habeatur nisi probabile periculum. Sic ponamus juvenem, qui crebro peccavit cum amasia, saepe tamen eam adire quin graviter contra castitatem delinquat: hunc censemus sub gravi teneri ad abrumpendam hanc consuetudinem, in qua pergere nequit sine morali certitudine novorum lapsuum » (n. 372).

Sed temperamenta hæc nequaquam sufficiunt. Etenim ad 1um, leve peccatum permulti non curant, ut diximus, adeoque hi omnes ab illis periculis adeundis abstinebunt tum solum si sub gravi id iis prohibitum est. — Ad 2um, omnia argumenta nostra invicte probant, hanc «moralem certitudinem novorum lapsuum» nullatenus requiri, sed jam graviter peccare illum qui semel tantum « absque justa causa se probabili seu serio gravis peccati periculo objiciat »; v. g. si quis prævidet, se visitando semel domum quamdam probabiliter contra castitatem esse peccaturum; aut se ex lectione unius articuli contra religionem catholicam probabiliter in peccatum contra fidem esse lapsurum, etc. Sic etiam ille juvenis, qui sine justa causa frequentat amasiam, crebro peccans cum ea, fere æque sæpe non peccans, in singulis visitationibus graviter peccat, quia *singulis* vicibus se *temere* exponit *probabili* periculo Deum graviter offendendi: eo enim in casu frustra expectaret Dei gratiæ auxilium quo incolumis servetur in periculo, quod ipse, si vellet, facile vitare posset [1].

Refutantur Objectiones

49. — 1° *Objicitur:* « Non apparet cur graviter saltem peccet, qui habet etiam solidam rationem opinandi se in hac occasione quam adit, non esse graviter peccaturum; non enim iste eligit rem quæ morali necessitate peccatum secum trahat ». Ita Génicot (n. 372).

Resp. Hoc argumentum est mera *petitio principii*. Etenim in forma redactum huc redit: ut periculum vitari debeat, requiritur ut « morali necessitate » seu certitudine peccatum secum trahat; atqui hoc non est, si periculum est tantum probabile; tunc enim adest etiam « solida ratio opinandi » peccatum non esse secuturum. Ergo [2]. — Prudens lector jam statim videt, in quo peccet hoc argu-

---

[1] Obiter hic advertat sagax lector, rationem formalem, ob quam periculum probabile sit vitandum, non esse « imprudentiam in *salute* exponenda », sed imprudentiam relate ad *offensam Dei* et *jacturam ejus amicitiæ;* quæ imprudentia jam committitur exponendo se sine ratione serio ac probabili periculo *unius* peccati mortalis, et non solum per « moralem certitudinem » multorum novorum lapsuum, quæ habetur in *consuetudine*. Aliis verbis: ratio formalis consistit in periculo ipsius *peccati in se* spectati, quod quilibet omnino vitare debet, sed quod quis, admittendo periculum, hic et nunc probabiliter commissurus est; non autem consistit in periculo *salutis* aeternæ, cuius jactura *sequela* dumtaxat esset peccati futuri; nam hoc postremum periculum ordinarie per *unum* peccatum non est hic et nunc vere probabile. Hanc intimam rationem non perspexisse, nostro judicio, gravissimus esset in re morali error; ex quo errore alioquin etiam funestæ illæ profluunt consequentiæ practicæ, de quibus in hac probatione quinta egimus.

[2] Eodem argumento usus fuerat Caramuel ante suam retractationem, ut videre est apud Cardenas, *Crisis*. I, disp. 18, n. 2 sq.

mentum. *Major* enim est ipsissima thesis opposita, quam rationibus inconcussis jam refutavimus; ergo non est probatio, sed simplex affirmatio et petitio principii. *Minor* nititur hoc principio: *Qui probabiliter agit prudenter agit;* videlicet qui fretus solida probabilitate opinatur se non peccaturum, ideoque se exponit periculo, prudenter agit, etiamsi probabiliter opinatur se quidam peccaturum. Hoc autem principium perperam plane nostræ materiæ applicatur, in qua non agitur de dubio circa solam actionis honestatem, sed de dubio *circa factum* quod absolute vitandum est, a. v. de futuro lapsu, cujus vitatio non pendet ex dictamine conscientiæ seu ex principiis reflexis. (Cfr. supra n. 36, 37).

Ruit ergo unicum argumentum Génicot; nam cetera quæ opponit, sunt tantum responsiones ad argumentum S. Alphonsi; quas inefficaces quoque esse ostendimus [1].

50. — 2º S. Alphonsus sibi hanc *objectionem* facit: « Nec obstat dicere quod ubi periculum est probabile, ibi etiam probabile est non esse periculum. Nam respondetur quod eo casu, licet peccatum sit incertum an sit vel ne committendum, certum tamen est periculum peccandi » (supra p. 25, § 6).

Responsio S. Auctoris clara est: periculum *in se*, seu in existendo, est *certum;* vocatur autem *probabile quoad effectum*, i. e. quoad peccatum futurum quod, utrum quis commissurus sit necne, incertum est; a. v. certum est, effectum seu lapsum probabiliter ex periculo certo existenti secuturum esse, seu certa est probabilitas peccati futuri. (Cfr. supra n. 31).

Hinc immerito Ballerini obscuritatis et petitionis principii arguit S. Doctorem, dicens: « Quid vero sibi S. Alphonsus velit, non adeo clarum est... Voluit forte dicere: certam esse probabilitatem periculi (*Resp.* potius: certam esse probabilitatem peccati futuri). Sed haec cum sit ipsa hypothesis, in qua quaeritur an peccet necne mortaliter qui illi periculo se exponit, nequit esse ratio pro parte affirmante » (*Opus*, tr. IV, n. 694). — *Resp.* S. Alphonsus hoc tantum dicit, ut occurrat objectioni, minime vero ut det rationem pro parte affirmante. Hanc quippe rationem proxime ante dederat, eamque « convincentem » dixerat; cui rationi Ballerini nihil quidquam respondit. Dicit tandem hic auctor: « Perinde ergo videtur S. Doctori probabile periculum peccandi et periculum proximum ». — *Resp.* Utique; juxta S. Doctorem aliosque antiquiores periculum proximum jam adest, etiamsi periculum non certe aut fere certe, sed probabiliter dumtaxat cum effectu peccati futuri coniungitur [2].

---

[1] Expresse Génicot refutatur etiam ab Aertnys in *Nouv. Revue théol.*, 1900, p. 511-514.

[2] Ad rem Cardenas: « Inter periculum proximum et periculum probabile discrimen invenerunt recentiores theologi, licet antiquiores pro eodem usurpaverint » (*Crisis.* I, disput. 18, n. 1). Per recentiores Cardenas intelligit Caramuel, ante suam retractationem, ejusque sequaces. Ergo antiquiores, eodem modo ac S. Alphonsus, periculum probabile jam pro proximo habent.

51. — 3º Forte quis contra thesim nostram hanc movebit difficultatem: si vera esset hæc doctrina, nemini liceret statum vitæ eligere, in quo multa habentur probabilia pericula lapsus, v. g. militis, cauponis, argentarii, chirurgi, advocati etc.; neque liceret adire universitates gubernii civilis, utpote ut plurimum atheas, aliaque similia gravia et probabilia lapsus pericula.

Resp. Objectio est *extra thesim*. Etenim, evitare omnes status seu vitæ conditiones quæ multa quidem gravia pericula, sed in communi ac e longinquo tantum et indeterminate involvunt, esset onus et incommodum gravissimum; permulti enim ad convenientem vitae statum, cui speciali modo apti sunt, pervenire non possent. Unde *justa et gravis* sæpe adest *causa* suscipiendi talem vitæ statum cum suis periculis; ac proinde, si debitæ adhibentur cautiones et remedia, jure meritoque expectari potest Dei gratiæ auxilium quo haec gravia pericula, quando postea in individuo occurrent, ex proximis remota et levia fiant. Ergo objectio versatur extra thesim nostram, quippe quæ agit de periculo probabili determinato et instanti cui quis hic et nunc sine justa et gravi causa se committit. (Cfr. n. 33).

Hinc licet ex justa causa hos vitæ status, etsi in communi periculosos, eligere. Licet quoque juveni catholico frequentare universitatem acatholicam, sed iterum tantum ex justa et gravi causa, adhibitis remediis, et si nulla catholica universitas datur. Si enim adesset etiam catholica universitas, et nulla alia haberetur gravis causa frequentandi acatholicam, tunc sane hanc adire non liceret, si in ea probabiliter ejus fides naufragium pateretur; quia tunc non posset Dei auxilium expectare quo e periculo eriperetur. Simili exemplo, si quis, occasione honestæ conversationis cum feminis *in communi*, frequenter in peccatum mortale, puta delectationis morosæ, laberetur, non tenetur omnes feminas evitare; esset quippe incommodum gravissimum. Serio alia adhibeat media, et certe non amplius peccabit, quia periculum evadet remotum. Secus esset, si quis ex conversatione cum femina aliqua *determinata* frequenter vel probabiliter in peccatum caderet, neque justa ac proportionata esset ratio eam adeundi.

Confirmatur Thesis auctoritate

52. — Quamquam thesis nostra ex rationibus intrinsecis plane certa videatur, lubet tamen eam auctoritatis quoque pondere fulcire. Jamvero, fidenter asserimus sententiam a S. Alphonso propugnatam esse *moraliter communem.*

Sufficere periculi probabilitatem ut quis huic se temere exponens mortaliter peccet, clare jam docet *S. Thomas*. Tractans enim quaestionem particularem de communicatione cum infidelibus hæc ait: « Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum

cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit quam fidelium a fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicare,... et maxime si necessitas urgeat; si autem sint simplices et infirmi in fide, de quorum subversione *probabiliter* timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, et præcipue ne magnam familiaritatem cum iis habeant, vel absque necessitate eis communicent » (II-II, qu. 10, a. 9). Et statim post: « Si domino periculum immineret ex communione talis servi (infidelis), deberet eum a se abjicere » (*l. c.* ad 3um). Ex contextu in corp. articuli patet, juxta S. Doctorem tale periculum jam adesse, si *probabiliter* lapsus secuturus sit. Haec autem doctrina valet de cujusvis peccati mortalis periculo, quod quis sine justa causa seu « absque necessitate » adit; nam quodvis peccatum mortale, utpote mors animae, est omnino vitandum.

53. — De *theologis antiquis* generatim testatur Cardenas: « Oppositam sententiam (quæ scilicet ait esse mortale se exponere periculo etiam probabili) docent tanquam certam *communiter* Doctores » (*Crisis.* IV, diss. 40, n. 28). — Ita quoque Viva: « Ex *communi* Doctorum sensu contra Caramuelem et alios paucos, non solum periculum peccandi *certum*, sed etiam *probabile* fugiendum est, non secus ac occasio peccandi proxima. In casu autem nostro habetur *periculum probabile* eo ipso quod *probabiliter* judicatur peccatum fore, quamvis *simul probabiliter* judicetur peccatum non fore » (*In prop.* 41 *Alex. VII*, n. 15) [1]. — Idem fassus est Caramuel: « Non licet se exponere periculo *probabili* peccandi, ut docet *communis omnium theologorum opinio* » (*Theol. fund.*, n. 519) [2].

Denique nostra ætate Berardi, qui plurimorum antiquorum sententiam ex professo excussit, ait: « Proposita a Caramuel quæstione in terminis, an sit lethale exponere se periculo non certo, sed solum probabili mortaliter peccandi, *omnes theologi majoris notæ*, v. g. S. Liguori, Viva, Croix, Roncaglia, Cardenas, Reuter, etc. *contra paucos obscuri nominis* asseveranter affirmative respondent ». Post adducta pro sua sententia illorum theologorum verba, pergit: « Huic sententiæ suffragantur *etiam theologi antiquiores*, v. g.

---

[1] Ex hisce clare patet, Vivam, quando ibidem censet aliquem non teneri se abstinere a periculo, « si *probabilius* sit te non peccaturum », intelligere: *ita probabilius* ut oppositum jam non sit vere et solide *probabile*.

[2] Immerito Génicot dicit: « Non constat, auctores non intellexisse probabilitatem, cui nihil opponatur, et quæ proinde morali certitudini æquivaleat » (n. 372). Nam plurimi antiqui expresse dicunt, *certum* periculum non requiri, sed *probabile* sufficere; vel etiam distincte asserunt, *utramque* partem *probabilem* esse (sic v. g. Viva, *l. c.*, Caramuel, infra n. 64). Præterea omnes quæstionem diserte ponunt de *probabili* periculo, quia de *certo* nulla quæstio esse potest. Ceterum ad ipsam notionem gravis periculi jam sufficit, ut probabiliter dumtaxat cum malo effectu futuro jungatur (cfr. supra n. 31, *nota* 1).

Sanchez, Filliucci, Segneri, Lopez, Reginaldus, Toletus, Navarrus, S. Carolus et D. Thomas », quorum locos ibidem videre est. Denique concludit: « Theologi contradicentes sunt pauci et fere omnes obscuri nominis, ut dixi. Tales sunt Caramuel (qui præterea, teste Cardenas, se retractavit), Leander e Murcia, Hozes, Mendo, Lumbier et Gobat ». (*De Occas.*, n. 5).

54. — Hic tamen omnino fac advertas ipsum *Caramuelem* qui merito princeps laxistarum audit, postea argumentorum pondere victum pristinam suam sententiam revocasse.

Re sane vera; in prioribus suis operibus (*Theologia Regularis* et *Theol. Fundamentalis*, edit. Francofurtensis, 1651) oppositam thesi nostræ sententiam demonstrare conatus fuerat, perperam innixus probabilismi principiis. Brevi post Diana, pro suo more adducendi quaslibet opiniones, hanc Caramuelis sententiam cum suis argumentis magis divulgaverat; ipse tamen, etsi auctor ad benigniores sententias approbandas valde pronus, eam diserte rejecerat; ait enim: « Hæc omnia docet Caramuel, quæ ex mente ejus dicta esse volo; ego enim affirmativæ sententiæ adhæreo » (Part. VII, tr. 11. resol. 29). Qua de re postea conquestus est Caramuel, excusans se quod more suo hanc sententiam non ut « thesin », sed ut « hypothesin » propugnaverat. Ipse tunc Caramuel in nova editione *Theologiæ Fundam.* quæ SS. Pontifici Alexandro VII dicata Romæ anno 1656 prodiit, ex professo et fuse impugnat illam sententiam, quam jam « improbabilem » et « laxam » vocat, et priora sua argumenta optime diluit; nostram autem sententiam dicit « communem » et « moraliter certam ».

Quærens enim: « An sit mortale se exponere *probabili* peccandi periculo? », primo exponit sententiam negantem: « Dicere quis posset, licere (scilicet quin mortale committat) homini se exponere probabili peccandi periculo, etiamsi nulla subsit necessitas et nulla succurrat utilitas ». Sed statim ait: « Video primum dicendi modum *communiter* rejici ab omnibus;... ergo assero primum modum esse *improbabilem* » (n. 496). Respondens deinde priori suo argumento ait: « Nec hic habet aliquid quod objurget qui defendit probabilitatis libertatem; quæ enim metaphysice absolutissima est, limitatur moraliter... a prudentia. Quoniam *probabile* gravis mali *periculum*, omnium prudentum opinione et judicio, non est solum probabiliter malum, sed *certo malum* » (n. 503). Post plura quæstionem solvens ait: « Dic eum qui *probabili* mortaliter peccandi periculo se exponit, peccare non jam probabiliter, sed *certo mortaliter* » (n. 511). Unde concludit: « Qui potest realiter vitare probabile peccandi periculum, etiam debet. Debet igitur non adire locum in quo est periculum, aut ex illo egredi qui potest. Sed quid dicemus de illo qui ex loco periculoso exire aut ad illum non venire non potest, puta si sit filiusfamilias, aut timeat scandalum aut gravia damna? Tenebitur periculum vitare moraliter » (n. 513). Denique iterum: « Non licet se exponere *periculo probabili* peccandi, ut *docet communis omnium theologorum opinio* » (n. 519). Vides ergo novam hanc Caramuelis sententiam thesi S. Alphonsi plane concordare. (Cfr. etiam infra n. 64).

55. — Nihilominus alii ejusdem ætatis laxistæ priorem illam ducis sui sententiam propugnare continuarunt, immerito innixi hujus viri auctoritate iisdemque futilibus rationibus. Postquam vero alii egregii theologi, imprimis e Societate Jesu, uti Cardenas et Lacroix, illam sententiam iterum impugnaverant, sæculo XVIII prorsus derelicta fuit. Horum insistens vestigiis S. Alphonsus illam quoque plane rejecit, ajens: « omnino tenendum oppositum » (supra p. 25, § 6), suaque auctoritate et rationibus effecit ut sæculo XIX theologi communiter quoque nostræ thesi calculum adjecerint [1].

Primus qui oppositam sententiam iterum restaurandam esse censuit, fuit Ballerini. Atvero hic auctor hanc quæstionem obiter tantum excussit. Tractans de occasione proxima (*Opus.* vol. V, tr. X, n. 107) lectorem remittit ad tractatum de *Peccatis* (vol. I, n. 693, 694), ubi inquit, « ostendimus, non bene quosdam induxisse necessitatem fugiendi probabile periculum peccandi ». Sed in hoc tractatu cl. Auctor nihil ostendit, nullam dat rationem pro sua sententia, nullumque responsum ad argumentum S. Alphonsi. Ballerinii ergo auctoritas hac in re negligi potest. Hac nostra ætate Génicot quoque, ut vidimus, thesi nostræ expresse adversatur. Quid de ejus rationibus dicendum sit, ex supra expositis satis abunde liquet.

56. — Conclusio. — Hæc quum ita sint, cum Berardi dicere fas est: « Sive itaque ratio intrinseca sive doctorum sententia inspiciatur, concludendum est, quod ad constituendam culpæ gravitatem in eo qui periculo se exponit, non jam certitudo peccandi exigitur, sed sola probabilitas sufficit » (*De Occas.*, n. 5). — Hinc est quod post S. Alphonsum aliosque thesin nostram *certam* esse dixerimus.

ARTICULUS II.

De genuina notione occasionis proximæ.

57. — Stabilita jam thesi de vitando periculo peccandi probabili, redire oportet ad definitionem occasionis proximæ, quam in hunc locum remisimus (Cfr. supra n. 4-13): hæc namque definitio ex illa thesi velut corollarium sponte sua profluit. Pro rei gravitate statuimus hanc alteram thesim.

---

[1] Testatur id etiam Gury; quærit enim: « An sit peccatum grave se exponere sine causa periculo labendi *probabiliter* in mortale? *Resp. Affirm.*, quia non licet uti probabilitate cum periculo animæ suæ. Ita *communiter* cum S. Ligorio » (*Theol. Mor.*, I, n. 154; al. n. 152). Adverte vero, in editionibus a Ballerini curatis responsum Gury, quod plane erat ad mentem S. Alphonsi, fuisse expunctum. Etiam Aertnys dicit sententiam nostram *communem* esse tum apud antiquos theologos tum apud recentes usque ad hæc ultima tempora (*Nouv. Revue théol.*, 1900, p. 502 et 511).

Thesis 2ª.

Occasio proxima proprie et formaliter definitur: Objectum externum, quod aliquem inducit in probabile saltem seu grave periculum lapsus, a. v. in periculum probabiliter saltem peccandi.

Explicatur Thesis

Post ea quæ supra (n. 31 sqq.) diximus, thesis hæc ulteriore explicatione vix indiget. Hæc pauca sufficiant.

Dicitur 1º *proprie et formaliter;* quia inquiritur hic de propria natura et genuina indole occasionis proximæ, quid nimirum ad eam constituendam necesse sit et sufficiat, ut alicui omnino sive physice sive moraliter sit vitanda. Agitur igitur de occasione proxima spectata non in abstracto et absolute pro hominibus in genere (occ. prox. materialis, objectiva, per se), sed considerata, ut in praxi considerari debet, *in concreto* ac *subjective* seu relate ad hoc individuum *in particulari*, positum in hisce adjunctis. (Cfr. n. 10).

2º *Objectum externum*, videlicet persona, vel res, vel societas, vel circumstantia quædam loci, temporis etc. (Cfr. n. 3).

3º *Quod inducit*, i. e. velut causa movens vel excitans concupiscentiam internam (ib.).

4º *In probabile saltem seu grave periculum.* Tale autem probabile periculum illud diximus, quod conjunctionem solide probabilem habet cum peccato futuro, licet etiam vere et solide probabile sit hoc peccatum non esse secuturum. *In se* igitur hujusmodi periculum certum quidem est; dicitur tamen probabile propter *effectum*, id est peccatum probabiliter tantum secuturum. (Cfr. n. 31).

58. — Adversarii hujus thesis sunt imprimis recentes quidam auctores, qui occasionem proximam, etiam formaliter et in concreto ac subjective sumptam, illam solam esse dicunt, in qua habetur quædam « conjunctio moraliter necessaria vel certa » cum lapsu futuro, vel in qua « deest solida probabilitas » vitandi peccatum futurum. Docent proinde etiam, occasionem tum solum esse proximam, quando quis quasi « semper aut saltem omnino frequentius » (alii dicunt: « plerumque », vel « ut plurimum ») in ea labitur. Si ita non est, sic pertendunt, occasio erit tantum remota, adeoque non erit mortale, etiam sine ulla ratione se huic exponere. (Vide infra n. 61, 62).

Probandum ergo assumimus, occasionem jam esse proximam, quamprimum in ea adest periculum vere et solide probabile peccati futuri.

Thesis hæc — nemine dubitante — est omnino juxta doctrinam S. Alphonsi. Id luculenter patet tum ex ejus sententia de vitando probabili periculo peccandi (cfr. thes. 1ª), quæ hujus theseos fundamentum est, tum ex eo quod docet de occasione proxima relativa seu per accidens: ad hanc enim postulat solummodo, vel ut quis « frequenter » ceciderit, vel ut « prudenter timeatur ipsius lapsus » (supra p. 5, § 2). Lapsus autem prudenter timetur, ubi primum ejus periculum est vere et solide probabile.

Probatur Thesis

I. — *Ex ratione theologica.*

59. — Proposita in thesi definitio occasionis proximæ logica necessitate deducitur ex thesi præcedenti.

Et sane: occasio proxima, de qua hic agitur, eatenus vitanda est, quatenus vitandum est periculum peccati quod in se continet; ac proinde adest vera et genuina occasio proxima, ubi primum in aliquo objecto externo adest periculum peccati vitandum.

Atqui non solum periculum peccandi certum, sed etiam periculum vere probabile et simpliciter grave est vitandum, uti in 1ª thesi demonstratum est.

Ergo occasio proxima illa vere et proprie dicenda est, quæ constituit hominem in periculo peccandi non solum moraliter certo, sed etiam vere et graviter probabili, i. e. in periculo probabiliter saltem peccandi.

Probatur major. Unica ratio, ob quam occasio proxima vitari debet, est quod periculum peccati in se continet, seu quod est causa indirecta peccati futuri, a. v. quia est res vel persona quæ, licet in se sit objectum indifferens vel saltem solum leviter malum, est tamen causa movens et excitans liberum hominis arbitrium ad consentiendum in aliquod peccatum futurum. Ergo tota ratio obligationis vitandi occasionem consistit in obligatione vitandi periculum peccandi: si periculum vitandum est sub gravi, eadem obligatione etiam occasio vitari debet, adeoque hæc proxima dicenda est; si sub levi vel nullatenus periculum est vitandum, eodem modo occasio, quæ proinde remota tantum erit. Aliis verbis: ubi primum adest gravis obligatio vitandi periculum peccati, inductum per aliquod objectum externum, ibi adest genuina ratio et natura occasionis proximæ graviter vitandæ.

Minor, in qua tota vis argumenti consistit, in 1ª thesi undique stabilita et ab oppugnationibus vindicata fuit. Omnes ergo rationes pro illa thesi adductae probant quoque hanc thesim alteram.

Scite Cardenas necessariam consequentiam inter primam et alteram nostram thesim sic ostendit: « Illa est occasio proxima peccandi letha-

liter, cui dum quis sponte se exponit, peccat lethaliter. Sed qui se exponit sponte periculo probabili peccandi lethaliter, peccat lethaliter. Ergo exponere se sponte periculo probabili peccandi lethaliter, est occasio proxima peccandi lethaliter. Consequentia patet, et minor demonstrata est in articulo proxime præcedenti. Nec minus certa est major. Nam adversarii qui excludunt a ratione occasionis proximæ periculum probabile, ideo illud excludunt, quia in periculo probabili peccandi lethaliter nolunt admittere peccatum lethale. Et si in periculo probabili inveniant peccatum lethale, nulla erit ratio, ob quam tale periculum excludant a ratione occasionis proximæ » (*Crisis.* IV, diss. 40, n. 50). Idem deinde variis exemplis ostendit, v. g.: « Quis enim dubitet, inquit, esse in occasione proxima mortis eum qui provocans vel provocatus aggreditur duellum? Et tamen periculum mortis istius individui non est certum, sed probabile. Ergo ad occasionem proximam mortis sufficit periculum probabile mortis » (n. 51).

60. — Age vero; triplici ratione dignosci potest, utrum aliqua occasio sit proxima necne.

1º *Ex communiter contingentibus;* id est quando homines in aliqua occasione constituti communiter ut plurimum vel fere semper peccant; ita esset v. g. concubinatus, lupanar, spectaculum admodum turpe, liber valde obscœnus etc. Ex eo enim quod homines in ea ut plurimum peccant, merito *præsumitur*, etiam hunc hominem in ea hic et nunc *saltem probabiliter* lapsurum esse. Et hæc vocatur occasio proxima *absoluta* vel *per se*, de qua supra (n. 5). Si quis tamen experientia vel aliunde noverit, talem occasionem absolutam sibi non esse periculum probabile, hæc *pro ipso in concreto* non erit proprie et formaliter proxima, uti supra (n. 10, 57) dictum est.

2º *Ex fragilitate intrinseca*, uti ex vehementi tentatione et inclinatione subjectiva, vel ex habitu vitioso; quam quidem intrinsecam et subjectivam fragilitatem aliquis experiretur, si in præsentia alicujus objecti externi constitueretur. Sæpissime enim fit, ut aliquod objectum, etsi in se communiter et plerumque non alliciens ad peccandum, aliquem in particulari graviter excitet, ita ut, licet hactenus nondum peccaverit, ejus lapsus sit tamen vere et solide *probabilis*. Dicitur talis occasio *relative* seu *subjective* et *per accidens* proxima, sed *a priori;* qua de re cfr. supra (n. 8, *a*).

3º Ex *frequentia lapsuum præteritorum*, ob quam etiam hic et nunc prudenter et serio timetur relapsus. Ut autem hic relapsus prudenter timeatur, sufficit ut sit vere *probabilis;* a. v. non requiritur ut quis antea *fere semper* aut *plerumque* ceciderit, neque ut *frequentius* lapsus sit quam incolumis e periculo evaserit; satis est ut hactenus *frequenter* in peccatum ceciderit: tunc enim, omnium judicio, etiam hic et nunc relapsus est vere probabilis ejusque periculum grave. Atque hæc quidem occasio est quoque *relative* et *subjective* proxima; sed probatur *a posteriori*. (Cfr. n. 8, *b*).

Practice, occasionem esse proximam, sæpissime constabit tum a priori tum a posteriori; quo casu etiam *frequens* lapsus præteritus non requiritur, modo lapsus futurus habeatur vere graviterque probabilis. (Cfr. n. 9).

II. — *Ex periculis quæ pro morum honestate ex oppositis definitionibus consequerentur.*

61. — Jure atque merito Joannes Cardenas, gravis Societatis Jesu ex sæculo XVII theologus, dixit: « *In ordine ad praxim* est *valde periculosa* ea opinio quæ adstruit, non esse occasionem proximam, neque ex obligatione fugiendam, quando periculum est *dumtaxat probabile* » (*Crisis.* IV, diss. 40, n. 58).

Re utique vera. Quam periculosa sit doctrina huic alteri nostræ thesi opposita, patet ex definitionibus occasionis proximæ quæ in quibusdam recentibus auctoribus circumferuntur. Censemus enim, eas — utique præter illorum auctorum intentionem — necessario ducere ad consequentias moribus vitæ christianæ valde exitiosas. Ne autem aërem verberare videamur, ipsa eorum verba adducere oportet. Suam sententiam variis efferunt modis, qui tamen eodem fere recidunt.

Celeber quidam sæculi proxime elapsi theologus docet: « Si lapsus non evenit *ut plurimum*, indicium est, vel ex parte objecti vel ex parte fragilitatis aliquid deesse quod occasionem faciat proximam ». (*De Pœn.*, n. 106). Ergo si quis frequenter tantum in occasione quadam labitur, v. g. decies ex viginti casibus quibus eam adit, occasio hæc non esset proxima sed solum remota, quia « lapsus non evenit *ut plurimum* ». Ex quibus necessario consequitur, aliquem qui, mera se recreandi causa, quavis dominica per annum adit cauponam, hacque inductus occasione, viginti sex vicibus gravia committit peccata ebrietatis, blasphemiæ, rixarum, sermonum obscœnorum etc., non teneri sub gravi hanc cauponam vitare. Idem dic de lupanari aliave domo suspecta, in qua quis frequenter quidem sed non « ut plurimum » labitur: deesset enim aliquid quod sibi hanc occasionem faciat proximam. Qui sine justa causa singulis dominicis profanos faciunt amores vel frequentant choreas, theatra, cinematographa etc..., et propter has occasiones alternis fere dominicis lethaliter contra castitatem peccant, neque eas vitare in confessione proponere volunt, idcirco absolutione privari non possent: non enim essent occasiones proximae, sed remotæ tantum, quia « lapsus non evenit ut plurimum ». Nemo non videt, quanta morum relaxatio in populo christiano ex hujusmodi doctrina sequeretur.

Paulo aliter rem definit recens quidam theologiæ moralis auctor. Ipse enim sententiam S. Alphonsi adducens et rejiciens dicit: « Nos illam tantum (occasionem) proximam censemus, in qua *desit solida probabilitas* hominem ea uti posse sine peccato » (*Th. Mor.*, II, 371). Ergo etiamsi quis solidam haberet probabilitatem, se domum aliquam sine ulla ra-

tione visitando graviter in ea peccaturum esse, v. g. copulam commissurum, tamen juxta hanc definitionem non teneretur sub gravi eam vitare, modo etiam habeat solidam probabilitatem non labendi. Hanc quoque consequentiam laxam esse valdeque in praxi periculosam, supra (n. 48 sq.) jam ostendimus. — In editione post auctoris mortem curata hæc definitio ita mutata est: « Alii (scilicet contra S. Alphonsum aliosque) rectius, ad mentem Lugonis et aliorum, proximam dicunt occasionem, in qua homo *semper aut saltem omnino frequentius* peccat ». Ast hæc mutatio periculum laxitatis non minuit. Ex hac enim definitione consequitur e. g. eum qui per annum bis quavis hebdomada sine ratione amasiam suam visitat et semel dumtaxat omni hebdomada copulam cum ea committit, non esse in occasione proxima, quia non « semper aut saltem omnino frequentius peccat ». Consequitur etiam, librum in cujus lectione quis frequenter quidem, sed non « semper neque omnino frequentius », puta decies tantum ex viginti vicibus quibus eum legit, consentit in delectationes morosas et pollutiones, aut in dubitationes circa fidem, hunc librum, inquam, ipsi non esse occasionem proximam, sed mere remotam, adeoque qua talem ipsi a confessario prohiberi non posse. Certe quivis, non theologus solum, sed simplex quoque christianus, illico perspectum habebit, has consequentias, quæ necessario ex illis definitionibus profluunt, maxime periculosas esse tum pro morum honestate tum etiam pro animarum salute.

Similia fere repetit alius operis manualis valde vulgati auctor: « Occasio proxima, inquit, illa dicitur, in qua periculum peccandi grave est, in qua proinde homines *plerumque* peccant » (n. 413). Advertat lector, illud « proinde » non esse logicam consequentiam, quia omnium prudentum judicio periculum aliquod jam est «grave», etsi non « plerumque » sed solum frequenter vel vere probabiliter cum malo effectu conjungitur, uti patet in duello aliisque sexcentis rebus. Pergit autem auctor: « Occasio dicitur proxima vel remota ex conjunctione ejus cum peccato; si *morali quadam necessitate* cum peccato conjuncta est, proxima, *secus remota est*... Affirmari potest, occasionem esse proximam quando adest *moralis certitudo* hominem in ea peccaturum, seu quando *deest solida probabilitas* hominem in ea vitaturum esse peccatum ». Deinde iterum postulat, ut poenitens « *plerumque* » aut « *fere semper* » peccaturus sit. — Occasionem esse proximam, si illa « morali quadam necessitate vel certitudine » cum peccato conjungitur, verissimum quidem est. Atvero assertio, occasionem esse dumtaxat remotam, si non adest talis moraliter certa, sed tamen graviter probabilis conjunctio, seu si quis non « plerumque » aut « fere semper » in ea peccaturus est, hæc assertio, inquam, vera esse nequit, quia in praxi ad consequentias nimis laxas duceret, uti ex exemplis supra citatis cuique compertum erit. Ceterum est illa assertio etiam gratuita, nullaque probata ratione.

62. — Quæ quum ita sint, nemo prudens mirabitur, Cardenam supra dixisse, doctrinam huic alteri thesi oppositam « in ordine ad praxim esse *valde periculosam* ». Hinc quoque Emin.^{mus} van Rossum de illa adversariorum notione ait: « Hæc notio occasionis proximæ nequaquam recta est et *ansam præbet doctrinæ nimis laxæ.*

Ex ea enim sequeretur, non existere obligationem vitandi periculum probabile peccandi mortaliter, seu probabile peccatum futurum, sed certum dumtaxat peccatum futurum, quod esset contra doctrinam communem theologorum et contra rectam rationem » (*De Judicio sacr.* ed. 2ª, n. 13). Ut scite hic advertit cl. Auctor, periculosæ illæ notiones et definitiones occasionis proximæ logice profluunt ex rejecta prima nostra thesi. (Cfr. supra n. 59) [1].

Absit ut egregios nostræ thesis adversarios generatim laxismi accusemus, quippe quum iidem plurima optima de theologia morali scripserint. Imo crediderim, ipsos illarum definitionum patronos ab hisce consequentiis periculosis, quæ theoretice ex illis principiis sequuntur, in praxi sacri tribunalis ut plurimum alienos fuisse. Voluerim idcirco eorum verba benigno quodam sensu interpretari, quemadmodum infra (n. 67 sqq.) complures antiquiores explicabimus. Ast quum ipsi etiam loquantur de occasione formaliter, relative et in concreto sumpta, item de occasione quam quis sine ulla ratione adiret, quum præterea primam nostram thesim diserte rejiciant, quo pacto eorum verba recte explicari possent, nescimus. Unde potius arbitramur, ea ex quadam inconsiderantia ipsis excidisse; id quod optimo cuique contingere potest.

Confirmatur Thesis auctoritate

63. — S. Thomas supra (n. 52) expresse docet, *occasionem* quamdam particularem, scil. communicationem cum infidelibus, alicui esse illicitam, si *probabilis* est illius lapsus. Ergo S. Doctor probabilem dumtaxat conjunctionem inter occasionem et peccatum futurum postulat, ut illa tamquam *proxima* vitanda sit.

Atque idem dicendum est de omnibus illis auctoribus, qui *quasi communiter* primæ nostræ thesi subscribunt (cfr. n. 53-55). Eo ipso enim quod non solum certum, sed etiam *vere probabile* periculum vitandum esse volunt, implicite saltem concedunt etiam aliquod objectum periculosum, quod probabiliter lapsus causa erit, esse vitandum, adeoque esse occasionem proximam. Nihil enim aliud est occasio quam periculum externum.

Magis expresse eamdem quam in hac thesi defendimus occasionis proximæ notionem tradunt permulti theologi posteriores usque ad S. Alphonsum, quorum plures citat Berardi (*De Occas.*,

---

[1] Idem laxitatis periculum notat ac vituperat etiam Aertnys his verbis: « Cum S. Alphonso multisque aliis gravibus auctoribus censemus, has notiones esse *nimis laxas*. Re vera, quis confessarius rationabiliter admittere poterit, aliquem qui quotidie determinatam quamdam adit personam et bis terve quavis hebdomada cum ea peccat, non versari in occasione proxima, quia non *semper aut fere semper* cadit, vel quia non *frequentius* cadit quam non cadit? » (*Nouv. Revue théol.*, 1900, p. 502).

n. 12), scilicet Brocchi, qui egregie de hac materia agit, Roncaglia, Tournely, Billuart, Alasia, Mazzotta. Hisce plures alii addi possunt.

64. — Sic e. g. Ludovicus Lopez dicit: « Licet magis peccatum quam occasiones peccati cavere debeamus, tamen quia vitare probabile peccandi mortaliter periculum sub mortali teneamur, ut dixit Cajetanus, ita etiam quando *occasiones* tam vehementes sunt quod hoc *periculum probabile* ingenerant, et ipsæ sub mortali vitandæ sunt; et *hoc nemini dubium est* » (*Instructorium consc.* part. I, cap. 21, ad 3). Notentur ultima verba.

Viva in celebri suo opere docet: « Advertendum, periculum peccandi aliud esse *certum*, aliud *probabile;* et utrumque, si oriatur ab extrinseco, *coincidit cum occasione proxima* peccandi » (*In prop.* 41 *Alex. VII*, n. 3). Item supra n. 53 [1].

Item Caramuel, utut ceteroquin laxioris doctrinæ fautor: « Si considerata et examinata experientia, *utraque* contradictionis pars tibi sit *probabilis*, debebis dicere: Licet probabile sit me non commissurum esse hoc peccatum, etiam probabile est me illud commissurum. Atqui est illicitum ut aliquis se exponat *probabili* peccandi periculo. Ergo debeo hanc *occasionem* fugere, vel alias certissime sum peccaturus » (*Theol. fund.* Romæ, 1656, n. 538.) Cfr. n. 54.

Cardenas, de quo supra (n. 59), præterea dicit: « Ad *occasionem* proximam peccandi lethaliter sufficere periculum *probabile, firmum est inter auctores majoris notæ* » (*Crisis.* IV, dissert. 40, n. 47).

65. — Ad illos theologos quod spectat qui post S. Alphonsum scripserunt, certe quamplurimi thesi nostræ diserte subscribunt. Hos accipe:

Scavini - Del Vecchio: « Occasio *proxima* est persona vel res externa, quæ hominem exponit *probabili* periculo peccandi » (III, n. 339); et paulo post: « Etiamsi tam probabile sit quod pœnitens iste in actu peccabit, quam quod non peccabit, periculum tamen proximum peccandi adest » (n. 341).

Panzutti: « Occasio *proxima*... brevius et pressius definitur ea quæ ex suapte natura, vel ex particulari alicujus dispositione exponit hominem *probabili* seu *verisimili* peccandi periculo » (*Th. Mor.*, III, 284).

Card. Gousset: « Occasio *proxima* ea est, quæ nos ita vehementer ad peccatum allicit ut qui in ea versatur, *probabiliter* aut *verisimiliter* in lethale peccatum incidat » (*De Pœn.* n. 557; ed. Parma, 1857).

Bouvier: « Occasio remota ea est quæ *probabiliter* de facto non ducet ad peccatum; *proxima* vero est illa in qua homo *verisimiliter* peccaturus est » (*De Pœn.* cap. 6, a. 3, § 2, sect. 3) [2].

---

[1] Alibi tamen Viva non satis accurate vel obscure loquitur; cfr. nota *c*) Gaudé ad textum S. Alphonsi (supra p. 4).

[2] Ad Gury quod spectat, ejus definitio sic sonat: « Occasio proxima est, in qua homines communiter ut plurimum peccant » (II, n. 628); quæ ad litteram est S. Alphonsi definitio occasionis proximæ *absolutæ* et *per se* (supra p. 5). Omisit vero auctor quæ dein S. Doctor dicit de occasione *respectiva* et *per accidens*, quæ quidem præcipua sunt; unde ejus definitio imperfecta est et incompleta. Attamen quia Gury primæ nostræ thesi assentitur (supra n. 55, nota), huic alteræ nostræ thesi minime contradicere, sed potius favere dicendus est.

MARTINET: « *Proxima* dicitur occasio, quæ *grave* continet periculum peccandi. *Grave* autem et *probabile* censetur periculum in quo, non quidem semper, nec etiam frequentius, sed frequenter peccatur, vel in quo, si nondum peccatum fuerit, gravis est ratio timendi ne peccetur » (*Th. Mor.*, t. II, l. 3, a 12, § 3).

JAUGEY: « Occasio *proxima* ea est, quæ vi sua inducit hominem in *grave* seu *probabile* periculum peccandi, seu in qua homo constitutus *probabiliter* peccabit vi ipsius occasionis » (*Th. Mor. De Pœn.* n. 472).

THEOLOGIA CLARAMONTENSIS: « Occasio peccati est *proxima* vel remota, prout *probabiliter* vel improbabiliter peccatum ex ea secuturum est » (Ed. 8ª, n. 298).

BERARDI prolixe thesim nostram probat et dicit: « Occasio *proxima* est persona vel res externa, propter quam homo exponitur *probabilitati* peccandi » (*l. c.* n. 12); quæ explicans addit: « Tamen non quælibet sed solum *gravis* probabilitas obligationem gravem vitandi occasionem constituere potest ». (n. 14).

KONINGS: « Occasio *proxima* illa est, quæ inducit *probabile* periculum peccandi » (*Th. Mor.* n. 1429).

CARD. D'ANNIBALE: « Periculum vel tenuiter probabile est, vel *graviter probabile;*..... si primum, occasio dicitur remota; sin alterum, *proxima* » (*Summ.* I, § 172). Item: « In proximis (occasionibus) periculum æstimari potest,... si hoc sit *vere probabile*, licet e contrario vere probabile sit hoc periculum non subesse » (ib. n. 65).

CARD. VAN ROSSUM: « Recta ratio dictat sufficere, ut occasio dicatur *proxima*, ipsam tantopere allicere ad peccatum, ut lapsus futurus sit *probabilis;* tunc enim periculum, utpote graviter provocans, grave erit adeoque proximum » (*De Judicio Sacr.* ed. 2ª, n. 13).

LEHMKUHL: « Occasio dicitur aut remota aut *proxima*, prout periculum labendi leve est, aut *grave* et instans » (*Th. Mor.* II, 617). Quomodo autem hoc grave periculum dignoscatur, deinde explicat ad mentem S. Alphonsi: « Proximam esse occasionem, colligitur 1º ex tristi experientia lapsus, si nimirum homo, quando versabatur in illis circumstantiis plerumque vel saltem *satis frequenter* re ipsa peccavit: si autem *notabiliter rarius* peccavit quam victor mansit, occasio ex lapsuum experientia proxima dici nequit; 2º colligitur ex vehementi tentatione, cui homo in illis circumstantiis exponitur ». Item alibi: « Est occasio *remota*, si sollicitatio *levis* est, vel gravis sollicitatio possibilis quidem est, at *non verisimilis*, atque periculum re ipsa peccandi non grave. E contrario, *proxima* dicitur occasio, si periculum labendi est *grave* seu sollicitatio ad peccatum solet esse vehemens » (*Casus Consc.* II, 595).

MARC: « Occasio *proxima* est illa quæ inducit *probabile* seu *grave* periculum peccandi » (n. 1819).

AERTNYS: « *Proxima* (occasio) est quæ inducit in proximum seu grave seu *probabile* periculum peccandi, in qua quis *probabiliter* lapsurus est in peccatum; remota est, quæ remotum seu leve periculum tantum creat, in quo quis probabiliter non est lapsurus » (*Th. Mor.* ed. 10ª, II, 469) [1].

CIOLLI: « Occasio *proxima* est relate ad aliquam personam, vel quia hæc in tali occasione *frequenter* lapsa est, vel quia, spectata ejus fragilitate, *probabiliter* labetur » (*Dirett. prat.* n. 70, III; item VI).

TANQUEREY: « Occasio *proxima* ea est quæ *grave* periculum peccandi constituit, ita ut in ea versantes *frequenter* in peccatum incidant »; hoc grave periculum deinde etiam *probabile* vocat (*Th. Mor.* III, 619, 622).

---

[1] Fuse hic auctor agit de notione occasionis proximæ in *Nouv. Revue théol.*, 1900, p. 500 sqq.

Prümmer: « *Proxima* occasio, quæ est *grave* periculum externum peccandi, in quo homo *frequenter* revera peccat mortaliter » (*Th. Mor. De Poen.* n. 449).

Schüch: « Nota *essentialis* occasionis *proximæ* in eo posita est quod periculum committendi peccatum sit *probabile* » (*Pastoraltheol.* § 310; ed. 15, p. 652). — Iisdem fere verbis Benger (*Pastoraltheol.* II, § 168).

Ojetti: « Periculum vel est tenuiter probabile, vel *graviter probabile*... Si primum occasio dicitur remota, sin alterum *proxima* » (*Synopsis*, v. *Occasio*).

Morino: « Occasio remota est quæ periculum continet tenuiter probabile... *Proxima* est quæ periculum *graviter probabile* continet » (*Theol. Mor.* II, n. 570; edit. 8ª).

Occurritur difficultati

66. — Apprime notandum est, nullam rationem intrinsecam ab adversariis nostræ thesi opponi. Solum igitur difficultatem quamdam facessere posset auctoritas multorum antiquorum, qui diverse de occasione proxima loquuntur. Alii enim eam esse dicunt, in qua *numquam* aut *raro* a peccando abstinetur, vel in qua *semper* aut *fere semper* peccatur, alii in qua *plerumque* aut *ut plurimum*, vel saltem *frequentius* occurrit lapsus [1].

Respondetur. — Meritissimo de hisce auctoribus ita Reuter: « Male ab aliquibus dicitur universaliter occasio proxima, in qua quis *frequentius* peccat quam non peccat, aut in qua *fere semper* peccat. Nam licet illa sit vere occasio proxima, tamen potest esse proxima, etsi non peccat frequentius quam non peccet » (*Neoconfessarius*, n. 168, 3). Re sane vera; primo quidem utrum occasio sit proxima necne, non ex sola lapsuum præteritorum frequentia, sed sæpe jam *a priori* seu ex vehementia tentationis vel inclinationis colligitur, ut supra (n. 8) vidimus. Deinde si *a posteriori* seu ex experientia dignoscitur, certe ad occasionem proximam constituendam minime requiritur, ut quis, computans numerum visitationum, fere semper, aut plerumque, aut frequentius in ea lapsus sit. Hæc enim doctrina sponte ad laxiores in re morali consequentias duceret, sicut supra (n. 61 sq.) satis abunde monstratum est. Hinc recte censet Berardi (n. 13), illas antiquorum locutiones ad designandam propriam et genuinam occasionis proximæ naturam esse rejiciendas, utpote « non accuratas », imo etiam « periculosas ». Unde etiam S. Alphonsus supra (p. 5, § 2) dixit, « perperam » illos auctores locutos fuisse.

67. — Nihilo tamen minus cum eodem Berardi (n. 15) arbitramur, maximam partem illorum auctorum antiquorum ita explicari posse ut, si eorum mentem inspicias, thesi nostræ non adversari

---

[1] Vide Brocchi, *De Occasione proxima* (1736), cap. 1; Berardi, *De Occas.*, n. 12.

videantur. Etenim hi maxime agunt de illa occasione, quæ « ex genere suo », uti loquuntur, seu *absolute* et *per se*, adeoque *objective* et pro omnibus generatim hominibus proxima est, puta lupanar vel concubinatus (quod exemplum ipsi sæpe adducunt). Ad hanc autem etiam S. Doctor noster, ut supra (n. 11) vidimus, jure postulat, ut homines communiter in ea plerumque peccent. Ast, si agitur de propria et formali definitione occasionis proximæ, hæc sumenda est *in concreto*, *subjective* et *respective* ad hanc individuam personam cum omnibus suis circumstantiis. (Cfr. supra n. 10, 57, 1°). Hinc S. Alphonsus de illa antiquorum definitione dicit tantum: « non placet » (n. 4); quia nempe incompleta est et confundit quæ essent distinguenda.

Præterea etiamsi de occasione *subjectiva* et *relativa* agerent, sæpe tamen alibi aliter loquuntur, vel tales apponunt conditiones ad permittendam occasionem, ut revera in ea non frequenter labatur et ut periculum probabile et grave hic et nunc ab ea exsulet. Quod ostendere non abs re erit de *Martino Navarro* (Azpilcueta), quippe qui primus occasionem proximam definire conatus est et quem multi presse secuti sunt.

68. — Hic igitur auctor rectam tradere definitionem occasionis proximæ — quam propinquam vocat — rem difficilem esse agnoscit. « Mallem, inquit, audire alium optime respondentem quam ipse respondere; quia nemo quem viderim id pro dignitate definit, et sufficiens ejus determinatio est difficilis » (*Manuale Conf.*, cap. 3, n. 10). Tum ille: « Occasio propinqua hujusmodi, a qua pœnitens necessario debet abstinere atque statuere se numquam ea usurum esse ut a confessario absolvi possit, est omnis illa et sola, quæ est peccatum mortale, aut talis occasio particularis, qua credit vel credere debet confessarius vel pœnitens, numquam vel raro se usurum esse ea sine peccato mortali, bene perpensis ejus circumstantiis... Dixi: *numquam aut raro*, ut excluderem eas quibus frequenter utimur sine peccato mortali, et includerem eas quibus rarissime utimur sine illo » (n. 14). Jamvero hanc definitionem parum rectam esse, jam patet ex ipsa ratione qua Navarrus eam probare intendit. Pergit enim: « Hujus definitionis probatio nititur eo quod nemo potest absolvi, nisi statuat, saltem virtualiter, numquam se in posterum mortaliter peccaturum et consequenter evitaturum esse occasionem,... quam *probabiliter* credit peccati mortalis causam sibi fore... At talis est occasio qua credit se *fere semper* ad sic peccandum impulsum iri ». Recta est *major* hujus probationis, imo est ipsa nostra thesis; non ita *minor*. Nam ut quis *probabiliter* credat occasionem sibi fore peccati causam, opus non est ut hæc *fere semper*, sed sufficit jam ut *frequenter* ad peccandum impellat, vel ut *prudenter* lapsus timeatur, a. v. ut *probabilis* sit lapsus, licet etiam vitatio lapsus sit probabilis. Gravi ergo inconsequentia laborat hæc probatio.

Sed tamen ipse Navarrus jam statim post periculosam suam definitionem, quasi a contrario, temperat et corrigit. Ait enim, bene posse aliquem manere in illa occasione a se descripta, « quando tales occurrunt

circumstantiæ, quæ persuadent, quod *numquam aut raro* peccabit propter eam, quamvis non se abstineat ab ea » (n. 15). Sed si tales sunt occasionis circumstantiæ, ut quis merito credere possit, se numquam aut raro in ea esse peccaturum, hæc occasio hic et nunc in concreto et subjective non est vere ac formaliter proxima sed remota; et quando Navarrus tales conditiones requirit, contradicit suæ definitioni; nam eo ipso concedit quod, si quis credit se æque frequenter in ea lapsurum esse ac non lapsurum, hæc occasio sibi sit vitanda, utpote vere proxima; quæ est nostra thesis [1].

Atque idem quod de Navarro dicendum est de pluribus aliis theologis antiquis qui simili fere modo locuti sunt, ut ostendit Berardi (n. 15), ad quem remittimus [2]. Hi quoque ut plurimum benigne explicari possunt, quia illorum definitio vera est de occasione *objectiva*, *per se* et *absolute* quæ hominibus communiter existit, ut supra cum S. Alphonso diximus: de occasione *formaliter*, *subjective* et *relative* sumpta definitio illa esset falsa.

69. — Hinc merito Suarez pro sua prudentia illam Navarri definitionem ita moderavit et correxit, ut ad constituendam occasionem proximam non postulet, ut fere semper, plerumque aut frequentius, sed solum ut *frequenter* in ea peccetur. « Ad judicandum, inquit, quod aliquid sit moralis occasio proxima necessarium est, ut vel ex genere suo talis sit quæ *frequenter* inducat homines similis conditionis ad tale peccatum, vel certe ut experientia constet *in hoc homine* habere talem effectum » (*De Pœn.*, disp. 32, sect. 2, n. 4). Hæc sane definitio multo melior est, et applicatur quoque occasioni subjectivæ et relativæ, quæ a posteriori constat. Unde illa Suarezii verba conveniunt cum verbis S. Alphonsi (supra p. 5, § 2), nostramque thesim sustentant. — Doctorem eximium permulti theologi secuti sunt.

[1] Concedendum tamen est, illam Navarri definitionem *in se* valde mancam, obscuram et periculosam esse. Idcirco jam brevi post Ludovicus Lopez eam ex professo et fuse impugnat, eamque variis laxis conclusionibus ansam præbere ostendit, ipsumque quoque suum auctorem ad tales conclusiones perduxisse (*Instruct. conscientiæ*, part. I, cap. 19-25). « Semper Navarrus, inquit, est in eadem salebra, scilicet quod occasio..... ut obligat ad sui expulsionem et vitationem, necesse est quod *semper aut quasi semper* inducat ad peccandum mortaliter ea utentem. Hoc falsum esse probavimus, dum ex Cajetano et aliis rationibus adductis probavimus, satis esse, etsi non quasi semper ad id induxerit ad peccandum,... quod *probabile* sibi periculum paratur nisi talem occasionem evitet » (cap. 23). Et postea: « Quis credet Navarro dicenti, prout insinuat, quod numquam imminet istud *probabile et necessario vitandum periculum*, nisi quando se viderit inde jam *quasi semper* pertractum ad peccatum? Quasi conscientia propriæ fragilitatis cum aliquibus lapsibus inde sibi accedentibus non sufficiat ad id periculi *probabiliter* timendum, licet non quasi semper inde fuerit lapsus » (cap. 24). Eodem fere modo de Navarro loquitur S. Alphonsus supra (p. 5, § 2).

[2] Reginaldus e. gr. qui postulare videtur modo ut quis *fere semper* (*Praxis*, lib. 5, n. 62), modo ut *frequenter* dumtaxat cadat (n. 63), aperte tamen docet: « Pœnitens, quamdiu credit aut *probabiliter dubitat* se non usurum aliqua occasione quin mortaliter peccet, tenetur habere firmum propositum illam vitandi » (n. 63; item lib. 2, n. 100). Sed qui sciens volens sine justa causa se exponit occasioni quæ *probabiliter* tantum conjungetur cum lapsu, profecto jam *dubitat* de lapsus vitatione et *probabiliter credit* se lapsurum esse; ac proinde hæc occasio ipsi est revera proxima, etsi non fere semper in ea labatur.

Quia tamen hæc definitio occasionem dumtaxat a posteriori seu ex experientia considerat, et non etiam a priori, neque hæc undique perfecta et completa dicenda est. Genuina autem occasionis proximæ notio omnino pendet ex controversia de periculo *certo* et *probabili* peccandi, ex qua necessaria consequentia deducitur (cfr. n. 59 sq.). Soluta semel hac quæstione, uti in 1ª thesi vidimus, juxta communem auctorum sententiam, ita ut ipse Caramuel victas tradiderit manus et docuerit esse mortale sine justa causa se exponere periculo non solum certo sed etiam probabili (cfr. n. 53 sq.), theologi magis magisque hanc doctrinam applicarunt notioni occasionis proximæ, quippe quæ non est aliud quam objectum externum creans periculum peccandi. Atque ita paulatim certum exploratumque habuerunt, ad privam propriamque occasionis proximæ naturam pertinere et sufficere, ut quis, omnibus consideratis, prævideat se in ea *vere probabiliter* lapsurum esse, etiamsi vitatio quoque lapsus sibi adhuc probabilis videatur, sive ille probabilis lapsus *a posteriori* seu experientia constet, sive *a priori* seu ex nota intrinseca fragilitate in gravi tentatione prudenter concludatur.

70. — Ex hactenus dictis hæc duo liquent: 1º Multi antiqui theologi incohærenter quidem, confuse et minus caute locuti sunt; plerumque tamen benigno sensu explicari possunt [1]. Quam ob rem eorum auctoritas nullum serium negotium facessit contra hanc nostram 2ªm thesim, quippe quæ rationibus intrinsecis firmiter stabilita sit, et alioquin plurimorum etiam auctoritate expresse fulciatur. 2º Contingit hac in re quod in multis aliis materiis theologicis: videlicet progressu temporis hæc notio occasionis proximæ, quæ initio implexa et confusa erat, paulatim explicata, evoluta et elucidata fuit, maxime per theologos qui post proscriptas ab Alexandro VII et Innocentio XI propositiones intimam naturam periculi peccandi ejusque vitandi obligationem magis ex professo declararunt. Nunc autem hæc notio jam ita certa et definita esse videtur, ut nullis oppositionibus et tergiversationibus infirmetur. Quapropter redire velle ad illas antiquatas, ambiguas et periculosas locutiones vel definitiones nobis quidem videtur scientiæ moralis regressus et prona ad morum relaxationem via.

---

[1] Ita quoque Brocchi illos antiquiores interpretatur: « Cum dicunt (doctores), tunc aliquam rem seu circumstantiam extrinsecam esse alicui determinatæ personæ occasionem proximam, quando ea *frequenter, ut plurimum,* aut *sæpe sæpius* ad peccatum induxerit, intelligendi sunt, *si aliunde non constet* illam rem seu circumstantiam... *probabiliter* in peccatum inductivam esse » (*De Occas. prox.*, cap. 2, n. 3).

Appendix

De sententia Cardinalis Lugonis.

71. — Recentes auctores qui thesi adversantur, ut supra (n. 61) vidimus, imprimis provocant ad auctoritatem Cardinalis Lugonis. Atvero, quum etiam Lugo nihil probet, sed tantum asserat, idque obiter tantum, possemus quidem ipsis hunc theologum dare, quin idcirco thesis nostra labefactetur: quæ enim gratis asserit unus alterve auctor, utut valde gravis, contra certe probata et contra permultos etiam auctores gravissimos, neminem prudentem movere poterunt; cuique enim facile quis error excidere potest, quum errare humanum sit. Qua de re apposite Thomas Sanchez: « Non est credendum doctoribus, quantumque doctrina polleant, dum careant fundamento » (*De Matr.* lib. 3, disp. 44, n. 3) [1]. — Nihilominus quo veritas in re tanti momenti magis clarescat, lubet hujus theologi sententiam paucis indagare deque ea crisim instituere.

72. — In tractatu *de Pœnitentia*, disp. XIV, Lugo hæc habet: « Supponendum est, occasionem peccati esse duplicem: alteram remotam, alteram proximam. Proximam appellant, quando talis est ex genere suo ut *frequenter* homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere. Remotam vero dicunt eam quæ talis non est. Cur autem illa appelletur proxima et hæc remota, *ratio videtur esse*, quod inter illam et peccatum nihil videtur mediare propter *quamdam conjunctionem necessariam moraliter*, quam videtur habere cum peccato; hæc autem non ita videtur conjuncta, sed remota, quatenus mediat major libertas hominis per quam consequitur peccatum » (n. 149). Paulo infra hanc « quamdam conjunctionem necessariam moraliter » vocat « *certitudinem moralem* » (n. 164). En unica ratio auctoris pro illa notione occasionis proximæ.

Itaque Lugo primo quidem eodem modo ac Suarez aliique multi (supra n. 69) occasionem proximam per *frequentem* lapsum exponit; quæ definitio, licet incompleta sit, recte tamen explicatur de occasione, quæ *a posteriori* proximam esse constat. (Cfr. n. 8 *b*), et n. 60, 3°). Sed fallitur Lugo indicans rationem suæ assertionis. Etenim ut quis frequenter labatur in occasione, sufficit ut quoties hanc occasionem adit, habeatur vere probabilis conjunctio cum peccato; tunc enim frequenter jam peccabit, licet etiam frequenter non sit peccaturus. Sin autem hæc conjunctio, ut vult Lugo, est moraliter necessaria seu certa, consequens erit ut semper vel fere semper labatur. Est ergo in Lugone quædam incohærentia.

Brevi post dicit: « *Alii* ergo addunt, occasionem proximam esse

---

[1] Vide quæ diximus in *Proœmio* de usu practico opinionis, quæ destituitur probabilitate intrinseca et solum nititur auctoritate quorumdam theologorum.

qua *numquam* vel *fere numquam* utitur homo consideratis circumstantiis absque peccato novo, ut qui detinet concubinam domi » (n. 149). — Denique ait posse absolvi pœnitentem, etsi occasionem proximam non physice vitet, « quando habet extraordinarium dolorem et propositum; hæc enim faciunt jam illam non esse occasionem proximam, quia homo sic armatus fortior multo est quam prius, atque adeo *probabilem* possumus de ipso sperare *victoriam* tentationum, a quibus antea *semper* superabatur » (n. 151). Hæc ille auctor.

73. — Sed, ut quisque prudens jam videt, ratio illa Lugonis « conjunctionem quamdam moraliter necessariam seu certam » postulantis non est nova probatio, sed gratuita assertio, a. v. est ipsa thesis contraria, quam invictis argumentis refutavimus. Pariter occasionem fieri remotam eo ipso quod « probabilis est victoriæ spes », quando etiam adest probabilis timor ruinæ spiritualis, gratis iterum contra superius probata asseritur et ad laxas consequentias duceret. Sequeretur enim v. g. non esse mortale sine ulla ratione adire personam turpiter amatam, cum qua quis prævidet se ob fragilitatem suam æque probabiliter copulam esse commissurum ac non.

Causa erroris Lugonis fuit, quod non satis attendit ad distinctionem inter occasionem *absolutam* et *relativam*, neque inter occasionem *necessariam* et *voluntariam*. Hinc falso existimavit, omnes occasiones quæ non sunt absolute et per se proximæ, seu quæ per se non semper aut fere semper cum peccato conjunguntur, vocandas esse remotas; ex quo iterum falso deducit, eos qui in talibus occasionibus versantur semper absolvi posse quin eas removeant. Ait enim: « Fere in omnibus statibus est occasio *remota* peccati mortalis. Unde inferunt *aliqui* ex auctoribus citatis, prudenter absolvi adolescentes qui versantur cum feminis laborando vel conversando, quæ in eadem domo non habitant, licet *sæpe* ex tali occasione peccaverint mortaliter cogitatione, consensu, tactibus vel copula; quia ea non censetur occasio proxima, sed *remota;* neque enim ex tali occasione *semper aut fere semper* solent homines peccare mortaliter; et aliunde ad tollendam illam occasionem oporteret pœnitentem in eremum abire, ut omni commercio cum feminis liber esset » (n. 150). Ut vides, Lugo hic ab occasione *proxima absoluta* statim transit ad occasionem *remotam;* re autem vera illi adolescentes qui laborando vel conversando cum feminis « sæpe ex tali occasione peccant mortaliter » generatim versantur in occasione *proxima relativa;* quæ quidem si est plane *voluntaria*, physice, sin autem *necessaria* — ut sæpe erit — moraliter seu adhibitis præsidiis removenda est. Hinc merito S. Alphonsus pro hac parte Lugoni contradicit (supra p. 5, § 2).

Ceterum ipse Lugo, hac laxa consequentia velut perterritus, eam aliis auctoribus attribuere maluit: « *alii* addunt », « inferunt *aliqui* », neque positive eam approbat. Præterea alibi expresse « absurdum » dicit « eum qui experitur se in ludo *frequenter* blasphemare et pejerare, non teneri vitare ludum » (n. 164). Hæc recte quidem et contra ea quæ superius ex aliis scripserat.

Itaque quæ supra dicit Lugo de « conjunctione quadam moraliter certa », deque occasione in qua « semper aut fere semper » labitur, vera tantum sunt de occasione *per se* et *absolute* proxima pro hominibus com-

muniter, non autem de occasione proxima *relative, in concreto* et *formaliter* sumpta (cfr. supra n. 5, 11). Quæ vero scribit de sufficientia « probabilis victoriæ » ut non vitetur occasio, vera quidem sunt, si opposita pars seu lapsus jam non est vere probabilis. Quæ si esset vere probabilis, falsa sunt, quando agitur de occasione plane *libera;* explicari tamen possunt de occasione quæ aliquomodo est *necessaria,* ubi scilicet adest causa proportionata eam adeundi aut in ea manendi; hanc enim vitare non tenemur, si *probabilis* est victoriæ spes, modo adhibitis præsidiis periculum e proximo remotum reddatur [1].

74. — Ex hactenus dictis hæc constant: 1º Lugo asserit tantum, et ubi probare videtur, hæc ipsa probatio est gratuita assertio, ergo petitio principii. Ejus ratio singularis de moraliter necessaria ac certa conjunctione occasionis cum lapsu futuro a theologis communiter, vel ab ipso Caramuele (supra n. 54, 64), implicite saltem rejicitur, quando hi juxta 1^am^ thesim docent, vere solideque probabilem conjunctionem periculi cum lapsu mortali sufficere, ut quis sine justa causa huic se exponere sub gravi prohibeatur.

2º Obiter tantum quæstionem de notione occasionis proximæ tractat, non ex professo et in propriis terminis (i. e. de periculo certo et probabili), sicut alii qui post ipsum scripserunt.

3º Scripsit confuse, non satis distinguens inter occasionem absolutam et relativam, liberam et necessariam.

4º Sibi parum constare videtur, modo dicens: « frequenter », « sæpe », modo cum aliis: « semper aut fere semper ».

5º Neque ipsemet certus esse videtur de iis quæ ex aliis refert; hinc: « alii addunt », « inferunt aliqui »; quæ ipse positive non approbat.

6º Denique notandum est, Lugonem illo tempore vixisse quo doctrinae laxitas apud theologos invaluerat; de quo tempore brevi post Alexander VII « non sine magno animi sui mœrore » testatus est, « complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas » prodiisse (*Decr. S. Inquis.*, 24 Sept. 1665). Certe S. Sedes reprobavit aliquas ejus doctrinas circa nostram materiam, quas in opere Pellizarii (*De Monialibus*) expunctas esse voluit; inter illas est hæc ipsa de *probabili* spe victoriæ. (Cfr. infra n. 94, 5º). — Utut igitur Lugo gravissimus fuit theologus et a S. Alphonso pro tractatu *de Justitia et Jure* valde laudatus, tamen in hac materia de occasionariis plures exceptiones contra ipsum faciendæ

[1] Adverte præterea, Lugonem non simpliciter et generaliter dicere, uti nostri adversarii, *probabilem* spem victoriæ per se et semper sufficere, ut occasio desinat esse proxima, sed tunc tantum quando quis « habet *extraordinarium* dolorem et propositum » et « antea *semper* superabatur » a tentationibus (n. 151; supra n. 72). Agit hic de casu particulari, non de notione generali occasionis proximæ. Ceterum vide infra n. 94, 4º, 5º.

sunt [1], neque ejus auctoritas tanti facienda est ac illorum theologorum qui post proscriptas a Romanis Pontificibus propositiones docuerunt, uti sunt e. g. Cardenas, Lacroix [2], et omnium maxime S. Alphonsus [3].

Quæ quum ita sint, immerito quidam recentiores, definientes occasionem proximam illam, « in qua desit solida probabilitas hominem ea uti posse sine peccato mortali » (supra n. 61), unice nituntur paucis quibusdam verbis Lugonis, iisque obiter prolatis, ambiguis, parumque cohærentibus et postea in opere Pellizarii expunctis. Contra, thesis nostra, quæ occasionem proximam jam tunc adesse adstruit, quando lapsus mortalis in ea perinde solide probabilis est ac lapsus vitatio, certis invictisque rationibus intrinsecis probata est et præterea permagna quoque auctoritate confirmata, ita ut, nostro judicio, *moraliter certa* dici debeat, non secus ac prima thesis, ex qua hæc altera logica necessitate profluit.

Scholion

De subeundo periculo in extrema necessitate spirituali proximi.

75. — Quoniam S. Doctor (supra p. 23, § 2) obiter dixerat, licitum esse se probabili periculo exponere, si occasio est « necessaria », ideo § 3 et § 4 incidenter docet, extremam necessitatem spiritualem proximi esse talem rationem gravem, ob quam quis, non solum possit, sed etiam debeat se exponere periculo probabili vel etiam probabiliori lapsus, modo necessaria remedia adhibeat, quibus periculum proximum fiat remotum.

Idem tradit lib. II, n. 26: « Licitum est ob salutem spiritualem proximi se exponere probabili periculo peccandi; quia periculum illud, quando adest gravis causa illud suscipiendi, non judicatur voluntarie suscipi... Imo cum communi dicunt (Salmanticenses), ad hoc teneri qui dubitat de suo periculo, dum periculum proximi e contrario est certum, nempe, si infans certo sit moriturus sine Baptismo, si tu non accedas, licet accedere non possis sine subversionis periculo ». — Alius casus esset

---

[1] Etiam Berardi de Lugone dicit: « Fatendum est, in auctore isto aliquam confusionem inveniri » (n. 12, nota). Ita quoque Aertnys in *Nouv. Revue théol.* 1900, p. 514.

[2] Hic auctor specialiter a S. Alphonso in nostra materia hisce verbis laudatur: « Doctus P. Lacroix qui egregie tractat de hoc sacramento Pœnitentiæ » (VI, 464).

[3] Ad rem Lehmkuhl: « Eos auctores, qui post Alexandrum VII et Innocentium XI scripserunt, id præ aliis prioris ætatis scriptoribus commendat, quod rationem habere potuerint thesium ab illis Pontificibus proscriptarum, cum ex anterioribus *etiam prudentissimi quique* scriptores facile hinc inde in opinionem, quæ postea damnabatur, impegerunt » (*Th. Mor.*, t. II, *Appendix* II).

si quis sacerdos peccare solet cum persona alterius sexus, quæ in periculo mortis versaretur et alii sacerdoti confiteri aut actum contritionis elicere moraliter non posset. — Similem casum, extra Europam præsertim haud raro occurrentem, indicat Berardi: « Si in vastissima parœcia propter sacerdotum penuriam unicus adesset confessarius illi populo quam maxime necessarius, illi utique, si forte occasione sui officii impuris delectationibus identidem consentiret, non ob id officium ipsum cum tanto populi damno relinquere teneretur » (*De Occas.*, n. 63); imo in eo permanere deberet. Intellige: modo necessariis utatur præsidiis, neque diu semper eodem modo relabatur. (Cfr. thes. 8ª).

76. — Horum igitur ratio est, quod talis « necessitas efficit ut periculum evadat remotum », adhibitis nimirum remediis. Præterea, stante tali necessitate, periculum voluntarie non quæris, sed invitus potius subis, neque adest « affectus ad peccatum » (§ 7). Unde non obstat propositio 63ª damnata ab Innocentio XI: « Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi »; quia occasio et periculum non directe quæritur, ut diximus. Ceterum propositio proscripta est propter suam generalitatem, quasi pro quocumque bono hoc liceret. (Cfr. infra n. 85). Valet ergo hæc regula generalis: quo major est necessitas, eo graviori et probabiliori periculo te exponere licet; nam, ut ait S. Doctor, « rationabiliter est sperandum quod Deus augebit auxilium, ubi major urgebit necessitas »; modo tamen, ut scite advertit, cures « te fortius præmunire orationibus et operibus piis ».

Quodsi periculum ita reapse redditur remotum, tunc sane non solum potes, sed et teneris, ut dicit S. Auctor, huic extremæ necessitati spirituali proximi in casu particulari succurrere; quia ex præcepto charitatis tali necessitati omnibus mediis licitis sub gravi succurrendum est.

77. — Atvero, si ob magnam alicujus infirmitatem spiritualem in periculo instanti lapsus esset « moraliter certus », tunc, juxta S. Alphonsum (§ 4 et § 7), non liceret tali periculo certo se exponere. Ratio est, quia objicere se periculo formali, quod certo non redditur materiale, peccatum est. Jamvero, ut ait S. Thomas, « homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum; et hujus signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato » (II-II, qu. 26, a. 4). Sane, ut quis e tali periculo eriperetur, requireretur gratia Dei adeo extraordinaria et efficax, quæ quasi miraculo in ordine morali æquivaleret. Atqui, rationabiliter supponi nequit Deum hoc miraculum patraturum erga committentem se huic periculo certo; nam, si Deus absolute salvare vult proximum in extrema necessitate spirituali versantem, tale miraculum directe erga ipsum proximum faciet, dando ipsi e. g. contritionem perfectam. — Cfr. Brocchi, *De Occas.*, cap. 9, n. 3.

Probata obligatione vitandi periculum probabile peccati mortalis et deducta inde genuina occasionis proximæ notione, jam oritur quæstio, quo modo tractandi sint qui in hujusmodi occasione versantur; a. v. agendum est de danda absolutione occasionariis. Quia autem duplex est occasio, alia *voluntaria*, *necessaria* alia, de utraque singulatim tractandum est. De prima agit S. Alphonsus *Dubio* 3º, n. 454, de altera *Dubio* 4º, n. 455.

CAPUT III.

De occasione proxima voluntaria.

Textus S. Alphonsi
(VI, 454)

« Dubitatur 3°. *An pœnitens qui versatur in occasione pro-*
« *xima voluntaria possit unquam absolvi?* ».

§ 1. — « Hic ante omnia oportet animadvertere quatuor « propositiones proscriptas in hac materia: — I° Propositio 41, « damnata ab Alexandro VII, dicebat: *Non est obligandus concubi-* « *narius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oble-* « *ctamentum concubinarii* (*vulgo* regalo), *dum, deficiente illa, nimis* « *ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium affi-* « *cerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.* — II° Propos. 61, « damnata ab Innocentio XI, dicebat: *Potest aliquando absolvi qui* « *in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult* « *omittere, quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* « — III° Propos. 62, ab eodem Innocentio damnata: *Proxima* « *occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut* « *honesta non fugiendi occurrit.* — IV° Propos. 63: *Licitum est quæ-* « *rere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel* « *temporali nostro vel proximi* ».

§ 2. — « Sed Dubium fit: *An qui non adhuc occasionem pro-* « *ximam removerit possit prima vel secunda vice absolvi?*

« *Prima* sententia affirmat. Et hanc tenent plures auctores, « prout Suarez [1], Palaus [2], Sporer [3], Elbel [4], Mazzotta [5], Viva [6] « (citans Cajetanum et Corduba; sed Pater Milante negat hos aucto- « res [a]) esse pro hac sententia); et Holzmann [7] cum Tamburinio

[1] De Pœnit., disp. 32, sect. 2, n. 3. — [2] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 18. — [3] Part. 3, cap. 2, n. 325. — [4] Confer. 4, de Proposito, num. 108. — [5] Tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3, v. *Infers* 2. — [6] In propos. 41 Alex. VII, num. 16. - *Milante*, exercit. 36, in propos. Innoc. XI, v. *Verum non satis*. — [7] De Pœnit., n. 584. - *Tambur.*, Method. Confess., lib. 3, cap. 3, n. 10.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — *a*) Milante citat solum Cajetanum, quem negat tenere hanc sententiam. — Cajetanus tamen, *Sum.*, *v.* Restitutio, *cap.* 6, *i. f.*, negat absolvi posse ante restitutionem realem, si jam absolutus,

« ac communiori (ut asserit); et consentit Roncaglia [b]) pro prima « vice, casu quo pœnitens nondum adverterit ad obligationem re- « movendi occasionem. — Ratio, quia, ut ajunt, talis pœnitens « potest esse bene dispositus ad absolutionem, etiam nondum occa- « sione dimissa, si vere proponat dimittere ».

§ 3. — « Sed hic distinguendum cum S. Carolo Borromæo [1], « inter occasiones quæ *sunt in esse*, prout cum aliquis concubinam « domi detinet, vel cum aliqua famula peccat cum hero quoties ab « eo tentatur: et inter occasiones quæ *non sunt in esse*, utpote si « quis ludendo prolabitur in blasphemias, aut versando in cauponis « prorumpit in rixas et ebrietates, aut convivando cum sociis ruit « in verbis et cogitationibus obscœnis, etc. — In occasionibus hujus « secundæ speciei, quæ *non sunt in esse*, recte docet S. Carolus quod « si pœnitens firme proponat ab eis cavere, potest per unam, aut « duas, etiamque tres vices absolvi [c]). Quod si postmodum emendatio « non apparet, differri ei debet absolutio donec ille cum effectu « occasionem derelinquat ».

§ 4. — « In occasionibus vero prioris speciei quæ *sunt in esse*, « ait S. Carolus, pœnitentem neque prima vice absolvendum (quas- « cumque promissiones proferat), nisi prius occasionem amoveat. « — Et hanc sententiam censeo (saltem ordinarie loquendo) omnino « sequendam. Eamque tenent [d]) Cardenas [2] cum Bonacina, Villa- « lobos et Candido; [Contin.] Tournely [3], Concina [4], Pater Se- « gneri [5]; auctor libri cui titulus: *Istruzione per li confessori novelli* [6]. « Item Navarrus [7], ubi ait: *Concubinarius cohabitans concubinæ*

[1] Actor. part. 4, Instruct. Confess., v. *Essendo dunque*. — [2] In propos. 61, diss. 40, n. 75 et seqq. - *Bonac.*, de Matr., qu. 4, punct. 14, num. 11 et 12. - *Villal.*, part. 1 tr. 9, diff. 25, n. 4. - *Candid.*, disquis. 24, art. 27, dub. 5, v. *Dico sexto*. — [3] De Peccat., part. 1, cap. 2, Append., reg. 1. — [4] De Pœnit., lib. 2, diss. 3, cap. 7, § 3; et § 4, num. 1 et 2. — [5] *Il Confessore istruito*, cap. 5, v. *Non è però meno*. — [6] Scil. Giordanini, Part. 1, cap. 10, n. 227. — [7] Man., cap. 16, n. 20.

---

restitutionem omiserit. Sed, *v.* Concubinatus, dicit: « Ad sui veram pœnitentiam exigit non solum omissionem actus carnalis, sed recessum a tali statu ». — Corduba autem, *Tract. de cas., qu.* 4, *coroll.* 1, concedit non solum posse iterum absolvi, sed etiam tertia et quarta vice, antequam occasionem dimittat.

[b]) Roncaglia, *tr.* 19, *qu.* 5, *cap.* 4, *qu.* 2, veram utique reputat hanc opinionem, « maxime, ut ait, in casu quo pœnitens ostenderet specialia signa doloris ». Sed continuo subdit: « Ego nihilominus nunquam ad praxim reducerem, quando commode differri posset absolutio; et interim obligarem pœnitentem ad occasionem removendam ».

[c]) S. Carolus concedit absolvi posse in hoc casu, semel et iterum dumtaxat.

[d]) Scilicet de eo qui versatur in occasione in esse.

« *adeo peccat, ut non debeat absolvi antequam ab ea separetur.* Co-« ninck [1], ubi: *Eos qui vivunt in concubinatu, nullo modo, extra casum* « *gravis necessitatis, expedit absolvere antequam de facto separentur.* « Azor [2]: *Resp.... non posse licite eum absolvi antequam ab ea* (sci-« licet concubina) *separetur* [e]). Item Rodriguez [f]), Silvester [f]), Fer-« nandez, Margarita, etc., apud Palaum [3]; ex D. Augustino [4], ubi « sic dicit: *Satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere,* « *nec earum suggestionibus aditum indulgere.* — Ergo tenetur pœ-« nitens ante absolutionem occasionem auferre; alias suggestio-« nibus aditum non præcluderet ».

§ 5. — « Ratio 1ª hujus sententiæ (ut ait Cardenas) videtur « esse, quia prima sententia videtur damnata in præfata prop. 61 « ab Innocentio XI. — Sed hæc ratio non convincit: nam aliud est « posse absolvi qui occasionem *non vult omittere* (ut dicebat propositio); « aliud, qui, licet non velit omittere ante absolutionem, bene tamen « vult omittere statim post absolutionem.

« Ratio 2ª, quia præceptum tollendi occasionem voluntariam « est negativum, id est non permanendi in occasione (prout est « præceptum non retinendi alienum): et hoc obligat semper et ad « semper. Unde qui potest occasionem statim removere et non re-« movet est in actuali transgressione præcepti, et ideo indispositus. « — Sed hæc ratio neque omnino satisfacit; vel saltem intelligenda « est in solo casu quo pœnitens nolit statim post absolutionem tol-« lere occasionem, et tantum promittat auferre in futurum. At, si « pœnitens in actu confessionis firme proponeret occasionem re-« movere statim ac domum redit, non video cur dicendus esset hic « indispositus et quod præcepto contraveniat ».

§ 6. — « Ratio potior et vera hæc mihi videtur esse: Ablatio « occasionis est res magnopere ardua; et non fit nisi quis magnam

[1] Disp. 8, n. 133. — [2] Part. 3, lib. 3, cap. 6, qu. 2. - *Anton. Fernandez*, Instruccion de Confesores, part. 1, docum. 8, n. 6, - *Margar. Confessor.*, part. 1, v. *Sciendum quod quando confessor*, fol. 21 t. — [3] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, num. 18. — [4] Can. *Satisfactio* 3, de pœnit., dist. 3. Cfr. Opusc. de ecclesiast. dogmatibus, cap. 24 (*al.* 54), inter S. Augustini supposititia opera, ap. Migne, Patrol. lat., tom. 42, col. 1218. Opus Gennadio tributum. - *Carden.*, in propos. 61, diss. 40, n. 108.

---

e) Azor hæc scribit de publicis concubinariis.

f) Rodriguez, *Sum., part.* 2, *cap.* 49, *n.* 16, (al. *cap.* 47, *n.* 17); Silvester, *v.* Concubinarius, *quær.* 2, male citantur a Palao; non enim requirunt ut concubinam relinquat ante absolutionem, nisi forte id intendat Silvester dicens: « Si nullum est scandalum aut recidivi periculum, absolvi potest ».

« vim sibi inferat, ut avellatur ab illa occasione, ad quam, propter « præteritam sui animi adhæsionem, remanet valde propensus. Et « ideo, si occasio non aufertur ante absolutionem, pœnitens de fa- « cili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod ten- « tationibus resistet; et sic, occasione non dimissa, profecto redibit « ad vomitum. — Qua de re, si talis vellet absolvi antequam occa- « sionem deserat, esset indispositus; quia se constitueret in proba- « bili periculo infringendi propositum. Ac propterea confessarius « qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique pec- « caret tam contra officium judicis, quia absolveret indispositum, « quam medici, non applicando illi remedium suæ saluti necessa- « rium ».

§ 7. — « Dices: Pœnitens qui habet pro se opinionem pro- « babilem debet absolvi; quia, cum sit dispositus, habet jus ad ab- « solutionem (juxta dicenda *n.* 604). Ergo si quis efformaret sibi « conscientiam probabilem juxta primam sententiam, teneretur con- « fessarius eum absolvere. — Respondetur 1° quod illicitum est « (ut diximus mox supra, *num.* 453, *Dubit.* 2) se voluntarie exponere « probabili periculo peccandi. Unde peccat pœnitens qui vult abso- « lutionem recipere, antequam occasionem dimittat, cum se immittat « in probabile periculum infringendi propositum; et ideo, tamquam « indispositus, nullum jus habet ad absolutionem. — Respondetur 2°: « Dato et non concesso quod pœnitens possit absolvi semel vel « iterum ante dimissam occasionem; tamen (ut communiter dicunt « DD., et ipsi adversarii concedunt) pœnitens non habet jus ut « statim absolvatur. Et propterea bene potest (et si potest, tenetur « confessarius, ut partes sui muneris recte agat) tamquam medicus « differre illi absolutionem, usquedum occasionem auferat ».

§ 8. — « Dixi tamen: *ordinarie*. — Nam merito excipiendus « est 1° cum Lugo [g]), Holzmann [h]) et Sporer [h]), casus quo pœnitens

---

[g]) Lugo, *disp.* 14, *n.* 151, loquitur de eo qui non vult occasionem deserere, quem nihilominus absolvi posse ait, « quando habet extraordinarium dolorem et propositum; hæc enim faciunt jam illam non esse occasionem proximam, quia homo sic armatus fortior multo est quam erat prius, atque adeo probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, a quibus antea semper superabatur ».

[h]) Holzmann, *de Pœnit.*, *n.* 586; Sporer, *part.* 3, *cap.* 2, *n.* 325, tractant de eo qui, semel et iterum jussus occasionem relinquere, eam tamen non deseruit; et dicunt eum posse adhuc absolvi, si afferat specialia doloris signa.

« afferat extraordinaria signa doloris; quia tunc propter hujusmodi « signa confessarius prudenter potest judicare non adesse in pœni- « tente periculum illud proximum infringendi propositum: signa « enim illa indicant pœnitentem uberiorem recepisse gratiam, qua « magis constanter se geret in occasione removenda. — Nihilominus « ait Roncaglia [1] quod ipse etiam in hoc casu absolutionem differret, « usquedum occasio auferatur, si absolutio commode differri posset. « Et ita etiam ego agerem.

« Excipiendus 2º cum Viva [2] casus quo pœnitens, si absolutio « differatur, non possit ad confessarium redire, vel nonnisi post lon- « gum tempus. Tunc enim, si ille jam fuerit confessus peccata sua, « et confessarius prudenter judicare valeat eum firmam habere vo- « luntatem tollendi occasionem statim ac poterit, tunc potest et « debet ipsum absolvere; quia tunc pœnitens habet jus ut statim « absolvatur. — Nec obstat dicere quod ipse tunc remaneret in « eodem periculo (ut mox dictum est) infringendi propositum. Nam « respondetur quod hoc casu tale periculum de proximo fit remotum. « Sicut enim ratione gravis damni (ut infra dicetur) non tenetur « pœnitens occasionem auferre, eo quod periculum per se proximum, « ratione illius necessitatis evadit remotum; ita in casu nostro, pe- « riculum illud infringendi propositum fit remotum ratione magni « oneris quod pœnitens deberet subire iterum repetendi confessio- « nem apud alterum: tunc enim est constitutus in morali necessitate « recipiendi absolutionem, antequam occasionem dimittat. — Hoc « tamen non admittendum, si pœnitens ab alio confessario jam fuerit « admonitus de occasione tollenda et non abstulerit; quia tunc ha- « betur tamquam recidivus, et minime est absolvendus, nisi forte « afferat extraordinaria signa doloris, ut supra ».

[1] *Roncaglia*, tract. 19, qu. 5, cap. 4, qu. 2, v. f. — [2] In propos. 41 Alex. VII, n. 16.

ARTICULUS I.

De propositionibus hac de re damnatis.

78. — Per modum introductionis S. Alphonsus præmittit quatuor propositiones a S. Sede damnatas, quas in antecessum paucis explicare juvabit.

In prima parte sæculi XVII laxior quædam morum doctrina in scholas catholicas introducta fuit, ac pedetentim late grassari cœpit. Testatur hoc decretum S. Inquisitionis, die 24 Sept. 1665, jussu Alexandri VII promulgatum, quod ita exorditur: « Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis crescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela ».

79. — Jam statim ab initio egregii viri, periculum illarum doctrinarum pervidentes, graviter contra eas monuerunt. Ita e. g. Mutius Vitileschi, Præpositus Generalis Societatis Jesu, in epist. 4 Januarii 1617 hæc ad omnes superiores scribit: « Nonnullorum ex Societate sententiæ, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est ne ipsam evertant, sed ne Ecclesiæ etiam Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui docent scribuntve minime hac regula et norma in delectu sententiarum utantur: *Tueri quis potest — Probabilis est — Auctore non caret;* verum ad eas sententias accedant quæ tutiores, quæ graviorum majorisque nominis Doctorum suffragiis sunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere et prodesse queunt, non vastare, non perdere » (*Instit. Soc. Jesu;* ed. Antverp. II, p. 749). Crescente autem malo, S. Sedes plures laxiorum auctorum libros in Indicem retulit, uti Joannes Sanchez (alias Sancius), Caramuel, Bauny, Pirot, Vidal, Moya, Pasqualigo, Pellizarius, Verde, Mendo, Fabri, Bissus (Monsa), Gualdo (Peguletus), etc. Præsertim versus medium hoc sæculum XVII, quum malum maxime invaluisset, magna adversus serpentem laxismum orta est oppositio. Erant non tantum theologi singulares, sed etiam Episcopi in litteris pastoralibus, imo integræ Universitates et Ordines religiosi, qui hoc certamen susceperunt. Sic inter alios Ordo S. Dominici anno 1656, in Capitulo Generali congregatus, hortatu Alexandri VII, ad molliores illas doctrinas oppugnandas se accingere statuit.

80. — Diffitendum quidem non est, etiam Jansenistas, qui initio non adeo a Catholicis discernebantur — quinque propositiones Jansenii damnatæ sunt anno 1653, — in illa oppositione suas habuisse partes. Inter hos præcipuus fuit Blasius Pascal qui in suis Litteris Provincialibus, a S. Sede proscriptis, modo valde astuto sæpeque plane fallaci et exaggerato hos benigniores theologos sugillavit, imo per meram calumniam illas laxiores doctrinas fere unice theologis Societatis Jesu, qui

præcipue hæresim Jansenianam oppugnaverant, adscripsit. Atvero asserere, Jansenistas fuisse unicam vel præcipuam hujus oppositionis causam, veritati consonum non est, neque etiam honorificum videtur Sedi Apostolicæ: acsi hæc in suo magisterii officio exercendo negligens fuisset, neque rei veritate, sed potius eorum incriminationibus permota fuisset, ut adeo graviter in molliorem doctrinam inveheretur. Ex ipso enim exordio decreti S. Inquisitionis supra citato nimis clare constat, saniem laxismi re vera multorum theologorum doctrinam infecisse et corripuisse.

81. — Itaque primum Alexander VII in memorato Decreto diei 24 Sept. 1665 et diei 18 Martii 1666 profligavit 45 propositiones laxiores. Deinde Innocentius XI per Decretum 2 Martii 1679 alias 65 opiniones ut minimum tamquam scandalosas et in praxi perniciosas proscripsit. Nequaquam tamen hujus Pontificis mens erat, omnes pervulgatas opiniones laxiores damnare, ac proinde alias, etiamsi S. Sedi denuntiatæ fuissent, suo silentio quasi approbare. Expresse enim id declarat in fine hujus decreti. Unde S. Alphonsus ait, multas adhuc superesse opiniones quæ, suo judicio, damnandæ essent, uti supra in *Proœmio* vidimus.

82. — Post illa igitur S. Sedis fulmina theologi generatim temperatius scripserunt. Ast, ut sæpe fieri solet, multi ex illis in oppositum extremum nimii rigoris inciderunt, atque ita, spiritu Jansenistico incitati, fideles ad sacramenta relinquenda et ad desperationem adigerunt. Unde Alexander VIII per Decretum 7 Dec. 1690 plures eorum opiniones damnavit. Sed neque hic Pontifex omnes æquo rigidiores doctrinas prohibere voluit. Atque ita factum est, ut sæculo XVIII haud pauci adhuc in nimiam indulgentiam inclinarint, plurimi vero alii nimiæ severitati addicti fuerint. Quos inter medius incessit præcipue S. Alphonsus [1].

Hisce præmissis, jam videamus supra (§ 1) a S. Doctore citatas propositiones proscriptas in materia occasionis proximæ.

83. — *Propositio* 41ª, ab Alexandro VII prohibita (cf. p. 65), agit de occasione quadam particulari, eaque continua seu « in esse », scilicet de concubinatu. Hæc propositio ad litteram invenitur apud Joannem Sanchez (etiam Sancius vocatur, ut distinguatur a Thoma Sanchez), qui hæc scripsit: « Si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo* [2], dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium affecerint, et alia famula ad id nimis difficile adinveniretur, ejicere

---

[1] Quæ hic breviter narrata sunt lector fusius juxta fontes exposita inveniet in opusculo nostro, cui titulus: *Ven. Innocentii XI de Probabilismo Decreti historia et vindiciæ* (Romæ, Pustet, 1904).

[2] « Est vox hispanica, quæ indicat dulcedinem et oblectamentum maxime in cibis sumendis ». Ita Scavini, *De Pœn.*, n. 340, *nota.*

illam non erit concubinarius obligandus » (*Selecta de Sacramentis*, disp. 10, n. 20).

Doctrina Sancii erat, occasionem proximam cum gravi incommodo non esse relinquendam, modo quis vere proponat non amplius peccare. Quæ quidem doctrina per se recte explicari potest. Sed Sancius hæc gravia incommoda sensu nimis largo accipiebat. Ex damnata igitur hac propositione liquet, relatas ibi rationes non esse incommoda satis gravia quæ liberent a removenda hac occasione concubinatus. Addebat Sancius (*l. c.*) aliud exemplum, nimirum concubinarium non teneri dimittere concubinam, si perderet centum ducatos aureos (hodie saltem ducentos « dollaros »), quos ipsi mutuo dederat. Hæc sententia damnata quidem non est; sed merito ab aliis theologis rejicitur [1]. Ratio est, quia hæc jactura pro viro mediocriter divite tantum incommodum non est, ut occasionem adeo periculosam reddat necessariam. Secus tamen esset, ut ait S. Alphonsus (III, 441), si concubinarius, perdendo hos centum ducatos, « in gravem necessitatem redigeretur »; quo casu adhibitis remediis periculum e proximo remotum reddere deberet.

84. — Alexander VII proscripserat doctrinam circa aliquam occasionem particularem. Tredecim annis post Innocentius XI aggreditur ipsum principium generale, tum circa occasionem voluntariam, tum circa occasionem necessariam. Damnavit idcirco tres propositiones, quæ a quibus auctoribus defensæ fuerint historice non constat.

Propositio 61ª, ab Innocentio XI damnata (supra p. 65), ostendit, tenendum esse hoc generale principium: Occasio proxima voluntaria est fugienda. Sensus propositionis est: potest aliquando (v. g. semel aut iterum) absolvi pœnitens, qui vult quidem relinquere peccatum, sed non vult vitare occasionem proximam *voluntariam*, scilicet quam potest omittere vel relinquere, sive hæc occasio est *continua*, ut indicare videtur illud: « qui versatur in occasione proxima », sive est *interrupta*, quod significat hoc: « quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit ». Contrarium igitur est: hujusmodi pœnitens ne prima quidem vice absolvi potest. Ulteriorem hujus propositionis explicationem et rationem ejus damnationis infra in thesi 3ª videbimus.

85. — *Propositiones* 62ª *et* 63ª, ab eodem Pontifice proscriptæ (supra p. 65), respiciunt laxas interpretationes circa occasionem *necessariam*. Itaque, ut quædam occasio involuntaria seu necessaria dicatur, per se non sufficit « causa aliqua utilis aut honesta », requiritur vero causa justa, i. e. gravis et quodammodo necessaria, uti supra (n. 34) juxta S. Alphonsum explicavimus. Neque sufficit quodlibet bonum spirituale, sive nostrum (v. g. adire locum peri-

[1] Cfr. S. Alph. VI, 455 (infra § 2); Cardenas, *Crisis*. disp. 18, n. 171 sqq.; Viva, *Trutina*. In prop. 41 Alexandri VII, n. 9.

culosum ad lucrandam indulgentiam), sive proximi (v. g. habere colloquium pium cum persona quæ est nobis occasio proxima). Multo minus sufficit quodlibet bonum temporale, puta ludere cum certa spe lucri, si ludus est occasio blasphemiæ, ebrietatis etc.; conservare concubinam, « si concubinario sit nimis utilis ad lucrandum temporalia bona, media negotiatione », ut Joan. Sanchez (*l. c.*) docuit. Ratio est, quia hæc omnia bona minoris sunt momenti relate ad grave peccandi periculum; neque proinde rationabiliter expectari potest speciale Dei auxilium, quo ex occasione incolumes egrediamur.

Apprime ergo notandum est, propositiones has prohibitas fuisse propter earum generalitatem, quasi quodvis bonum utile vel honestum, sive parvum sive magnum, sit per se ratio adeundi occasionem proximam vel in ea manendi. Nam sæpe bonum, sive nostrum sive proximi, sive spirituale sive temporale, adeo grave erit, ut liceat occasioni et periculo probabili vel etiam probabiliori se committere, atque adhibitis cautionibus et remediis, a Deo majus auxilium sperare. Tunc autem non « directe quæritur » occasio vel periculum, sed solum permittitur. Plures rationes, ob quas occasio habenda sit necessaria, expendemus infra n. 133-137. Vide etiam supra n. 75-77.

Antequam ulterius procedamus, logicus ordo postulat, ut obligationem vitandi occasionem proximam voluntariam statuamus, et quasdam cum ea connexas quæstiones solvamus. Hinc

ARTICULUS II.

De obligatione vitandi occasionem proximam voluntariam.

THESIS 3ª.

Est grave legis naturalis præceptum vitare occasionem proximam voluntariam peccati mortalis.

EXPLICATUR THESIS

86. — 1º « Occasionem *proximam* » illam intelligimus, quæ *in præsenti* vere est proxima, seu quæ propter præsentiam objecti externi, sive continuam sive interruptam, conjunctam cum vehementi internæ concupiscentiæ inclinatione, *probabile saltem et grave* creat peccandi periculum. Occasio igitur vere proxima non est illa quæ antea quidem graviter periculosa fuit, sed quæ propter mutata adjuncta externa aut interna ita esse desiit; neque illa indeterminata, quæ longe distans in posterum posset quidem grave ingerere peri-

culum, sed quæ tunc, adhibita diligentia, merito speratur non instans periculum creaturam esse. Agitur itaque in hac thesi de occasione *formaliter* et proprie proxima, non autem de illa quæ materialiter et objective tantum proxima dicitur; a. v. agitur de occasione, quæ hic et nunc *pro hoc individuo in particulari* proxima est (occ. prox. *respectiva*, *subjectiva*); nam occasio quæ in genere et communiter seu præsumptive tantum est proxima, aliquando per accidens pro aliquo in particulari non ita erit. Contra sæpe aliqua occasio subjective et per accidens proxima est adeoque vitanda, quæ non ita esset objective et per se. (Cfr. n. 10, 33, 57).

2º « *Voluntariam* » autem occasionem illam dicimus quæ hic et nunc sine gravi damno vel incommodo extrinseco vitari aut removeri potest, seu illam quam quis sine justa et proportionata ratione libere quærit aut retinet. (Cfr. n. 34, n. 132 sqq.).

3º «*Vitari* » autem occasio duplici modo potest: aut *physice*, tollendo ipsum objectum, aut *moraliter*, tollendo per remedia ejus influxum in voluntatem, adeoque ejus periculum. Nam in occasione proxima duo distinguenda sunt, et ratio *occasionis* et ratio *proximitatis:* per vitationem seu separationem physicam cessat utrumque; per separationem moralem manet quidem occasio, sed cessat ratio proximitatis, ac proinde fit remota.

Thesis hæc, intellecta de *vera* occasione proxima, *certa* est, uti patet ex propositione 61 ab Innocentio XI proscripta, supra (p. 65) a S. Alphonso citata. Sola enim ratio, cur hujusmodi homo absolvi non possit, est quia grave legis naturalis præceptum observare non vult.

Probatur Thesis

87. — Probant eam omnes illæ rationes, quibus 1am et 2am thesim demonstravimus. Nam occasio proxima eatenus est vitanda, quatenus importat periculum peccandi quod vitari debet, ut in 2a thesi vidimus (n. 59). Atqui est grave legis naturalis præceptum vitare periculum, non solum certum, sed etiam graviter probabile peccati mortalis, a. v. periculum probabiliter saltem peccandi mortaliter, ut in 1a thesi probatum est.

Et sane; sola præsentia illius personæ aut rei externæ in se peccatum nondum est. Voluntarie autem et sine ratione admittere illam præsentiam est peccatum *in causa* seu *ratione periculi;* quia nimirum commovet pravam concupiscentiam gravemque suscitat tentationem, in qua quis sine divinæ gratiæ auxilio suisque relictus viribus probabiliter saltem Dei offensam non evitabit. Hæc autem gratia sperari nequit ab illo qui plane voluntarie seu sine ratione, ac proinde temere se objicit probabili periculo hujusmodi Dei

offensæ. Qui ergo occasionem proximam vitare potest sed non vult, ac idcirco probabiliter peccaturus est, indifferentem se ostendit, utrum Deus a se graviter offendatur necne. — Præterea, si in hoc periculo probabili sperat Dei gratiam qua non labatur, temere agit et interpretative tentat Deum, quia ipsemet non facit quod potest ut lapsum vitet. — Denique, est etiam incuriosus gravis damni suæ animæ, quia sine ratione ponit causam, ex qua prævidet se probabiliter amicitiam Dei amissurum. — Hæc omnia autem profecto graviter a lege naturali prohibita sunt. (Cfr. supra n. 36-46).

88. — Neque *efficax propositum* non peccandi de cetero habet ille qui tali occasioni liberæ se committit; quia non vult adhibere media quibus peccatum vitetur (supra n. 1), sed sine justa ratione ponit causam, ex qua probabiliter peccatum formale secuturum esse prævidet. Unde etiamsi dicat, se *nunc* non velle hoc peccatum futurum, nihilominus quia prævidet se propter illam occasionem probabiliter voluntatem *mutaturum* esse, medium necessarium, quo hæc probabilitas destruatur et peccatum futurum certo vitetur, adhibere non vult. Proinde, admittendo sine ratione hanc probabilem peccati causam et non adhibendo medium necessarium quo illud certo vitetur, voluntate efficaci peccatum futurum evitare non vult. Aliis verbis: vere pœnitens proponere debet se omnia quæ moraliter potest facturum esse, ut peccatum, non probabiliter tantum, sed omnino et absolute vitet. Atqui tale propositum non habet qui sine ratione vult ponere causam ob quam prævidet se probabiliter saltem peccatum esse commissurum.

89. — *Dices* forte: hujusmodi homo *serio* tamen *nunc* ipsum peccatum vitare proponit; solum ejus periculum admittere vult, sperans se in eo non peccaturum. — *Respondeo :* num tale propositum vere serium dici possit, merito dubitatur; quum enim periculum seu probabilem peccati causam admittere velit, sibi illudit, putans se serio peccatum abhorrere. Sed transeat; de verbo non litigamus. Ast juxta omnes theologos propositum non peccandi de cetero debet esse *efficax*. Atqui efficaciter peccatum vitare non vult qui sine ratione se committit occasioni, credens se idcirco probabiliter propositum mutaturum; quia renuit adhibere medium necessarium quo illud certo vitetur, scilicet occasionis fugam; imo sine ratione causam ponit ex qua prævidet peccatum probabiliter secuturum. Secus est in occasione necessaria. Tunc enim adest ratio relative gravis ponendi talem causam, ac proinde proprie non libere et positive se periculo committit, sed illud potius subit, patitur ac permittit; quapropter, adhibitis remediis et auxiliante Dei gratia, merito sperare potest, probabilitatem peccati futuri elisum iri, seque certo peccatum esse vitaturum. (Cfr. n. 46).

90. — Optime ita brevi thesim probat Tanquerey: « Qui scienter ac volenter in proxima occasione versatur, ac simul gravem non habet rationem in ea manendi, eo ipso ostendit se amare periculum peccandi, ideoque peccatum ipsum, cum prævideat se in hac occasione probabiliter peccaturum; nam qui vult finem, i. e. vitationem peccati, eo ipso vult

media, i. e. vitationem gravis peccandi periculi. Porro qui amat periculum non est vere contritus; ergo absolvi nequit» (*Th. Mor.* III, 622). — Dici etiam potest cum Vermeersch (*Th. Mor.* I, 453), virtutem *prudentiæ* generalis præcipere, ut sufficientem curam positivam adhibeamus, qua officia gravia aliarum virtutum impleamus; atqui id non facit qui occasioni proximæ, seu gravi ea officia lædendi periculo, libere se exponit. Ast si quis opponeret, sufficientem illam curam adhiberi, quando etiam probabiliter in illo gravi periculo *non* peccatur, propositio *minor* ulterius probanda erit: quod quidem hactenus fecimus, præcipue in 1ª thesi. Ceterum, peccatum imprudentiæ generalis in omnibus peccatis includitur; quatenus qui agit contra rationem, imprudenter agit. « Imprudentia, inquit S. Thomas, est generale peccatum: sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, inquantum est directiva earum; ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis: nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis, quod pertinet ad imprudentiam» (II-II, qu. 53, a. 2).

Ex probatis tria consequuntur: *primo* toties quis graviter peccat, quoties sine ulla necessitate occasioni proximæ peccati gravis se exponit, etiamsi forte in hac occasione ulterius non peccat; *secundo* peccat eadem peccati specie, cujus periculo se, admittendo hanc occasionem, exponit; *tertio* minus tamen peccat exponens se occasioni proximæ quam qui ipsum peccatum committit, quia indirecte seu in causa dumtaxat peccatum vult. (Cfr. n. 47).

Hisce ergo stabilitis, duplex a nonnullis movetur quæstio, quam et nos discutere debemus.

Quæstiones

91. — Quæstio 1ª: *Num aliquando liceat occasionem proximam voluntariam, non physice, sed moraliter tantum vitare?*

Videlicet, ut supra (n. 86, 3º) vidimus, generatim docent theologi, occasionem proximam duplici ratione vitari vel removeri posse: aut *physice* seu *materialiter*, i. e. vitando vel auferendo ipsum objectum externum quo periculum creatur; aut *moraliter* seu *formaliter*, i. e. sine separatione, sed adhibendo remedia et cautiones, quibus periculum e gravi fiat leve, ex formali materiale, ex proximo remotum; quo casu ipsa etiam occasio e proxima fit remota. Pariter omnes theologi admittunt, in occasione necessaria regulariter sufficere grave peccandi periculum moraliter removere; item occasionem voluntariam ordinarie quidem physice esse vitandam. Sed disputant, utrum necne *aliquando* sufficiat, etiam occasionem *voluntariam moraliter tantum* vitare?

92. — Sunt qui id affirment. Diversi tamen diverse loquuntur. Alii enim id non concedunt in materia luxuriæ, avaritiæ et magnæ iræ, sed

quidem in aliis materiis, in quibus ut plurimum passio non est vehemens, nec habitus nimis intensus, nec tentatio valde urgens. Ita Cardenas (*Crisis.* I, disp. 18, n. 95-105; IV, diss. 40, n. 61), Brocchi (*De Occas.* cap. 7, n. 7) aliique; quibus, partim saltem, etiam Berardi (*De Occas.* n. 23-29) adhæret. Hi tamen verbis potius quam re ab altera sententia negativa dissentire videntur. — Alii id magis generatim concedunt, etiam « pro femina domestica », quæ esset occasio proxima. Sic Lugo, qui thesim de relinquenda physice occasione ita limitat, ut non solum excipiat occasionem necessariam, sed etiam occasionem liberam, scilicet « quando pœnitens haberet extraordinarium dolorem et propositum »; item « quando proponeret alia media adhibere » (Disp. 14, n. 151) [1]. Lugonem secuti sunt Tamburini (*De Conf.* l. 3, cap. 3, § 3) et Pellizarius (*De Monialibus*, cap. 10, n. 187; ed 1646).

93. — Alii tamen quæstioni positæ simpliciter negative respondent, omnesque exceptiones et limitationes excludunt. Ita e. g. Aertnys respondet: « Si sermo est de vera occasione proxima, quam nempe associat vel frequens lapsus, vel passio vivida, vel habitus vitiosus, vel animosa sollicitatio, victoriam sperare non licet sine separatione. Gravis enim tentatio sine Dei auxilio superari nequit; Deus autem temerarios non adjuvat, qui sine necessitate tentationi se exponunt; idque experientia plus nimio demonstrat ». (*Th. Mor.* ed. 8ª, VI, 304). Etiam Lehmkuhl ait: « Neque in libera occasione proxima id admitti potest, ut pœnitens mediis adhibitis eam remotam reddere conetur. Temeritas enim summa est, divino auxilio fidere in illis circumstantiis, in quibus divina lex fugam præcipit. *Eccli.* 3, 27: *Qui amat periculum, in illo peribit* ». (*Th. Mor.*, II, 618). Eodem fere modo loquitur Noldin: « Non licet admittere excusationem, qua pœnitentes promittunt se occasionem proximam adhibitis remediis non peccandi redditurus esse remotam, quando eam sine difficultate vitare possunt; nam non licet temere se exponere periculo peccandi, quod facile vitari potest, sed plane fugiendum illud est » (*De Pœn.* n. 414). Neque etiam S. Alphonsus aliique plurimi theologi antiqui et recentes umquam limitationes aut exceptiones in generali illa thesi memorant.

94. — Nostra responsio hæc est: si de *vera* occasione proxima libera agitur, sententia *negativa* magis convenit cum principiis theologicis et sola rationi et regulis prudentiæ consentanea esse videtur. Etenim:

1º Propositio 61ª, ab Innocentio XI damnata (cfr. p. 65), est absoluta, omnesque exceptiones excludere videtur. Contradictorium enim illius: « Potest *aliquando* absolvi qui etc. » est:

---

[1] En contextum Lugonis: « Hæc regula (de relinquenda occasione proxima) solet limitari. *Primo* ut possit absolvi pœnitens, quando habet extraordinarium dolorem et propositum; hæc enim faciunt, jam illam non esse occasionem proximam, quia homo sic armatus fortior multo est quam erat prius, atque adeo probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, a quibus antea semper superabatur. *Secundo* limitari solet, quod possit etiam absolvi non relicta omnino occasione, quando proponeret alia media adhibere, ut si occasio esset ex femina domestica, et proponeret numquam solus cum sola colloqui aut inveniri, ejus aspectum pro viribus declinare, etc. » (*l. c.*).

« *Non* potest *aliquando* absolvi..... ». Atqui hæc propositio explicari nequit de vitatione morali; nam verba: « quam potest omittere » omissionem seu separationem physicam indicant; item prohibitio eam « quærendi aut ei se ingerendi » certe de vitatione physica et materiali intelligenda est.

2º Deinde rationes *intrinsecæ*, quas cum Aertnys et Lehmkuhl adduximus et antea fuse explicavimus, sunt urgentes et maxime generales. Valent enim non solum in materia luxuriæ, avaritiæ et magnæ iræ, sed in omni materia in qua quis, propter vehementem passionem internam vel gravem tentationem aut habitum valde intensum, in occasione proxima seu in periculo vere et solide probabili versatur Deum offendendi. Valent ergo etiam in materia ebrietatis (v. g. caupona), in materia blasphemiæ (v. g. occasione ludi), in materia odii et inimicitiæ (v. g. occasione occursus inimici), in materia contra fidem (v. g. liber aut socius pravus) etc.; nam in hisce etiam occasionibus concupiscentia interna vehementer excitari adeoque grave periculum Dei offensæ instare potest: suum enim cuique est vitium prædominans. Has omnes occasiones, si plane liberæ sunt, ipse homo vitare potest, adeoque non sine temeritate a Deo auxilium speraret, quo grave peccandi periculum certo removeatur.

3º Accedit quod sententia affirmativa facile ad *periculosam* praxim ducere potest, cum peccatores pœnitentes, tum etiam personas pietati aut sacro ministerio deditas. Nam et hi haud raro in occasiones incidunt, quas facile evitare possunt, sed quibus affectu inordinato in se tantum leviter culpabili adhærent, in primis in materia contra sanctam puritatem. Eas sibi vere periculosas esse, adeoque occasiones proximas, sive a priori, sive a posteriori, compertum quidem habent. Sed, seducti ab illo affectu inordinato, facile sibi persuadere conabuntur, se aut extraordinarium habere dolorem et propositum, aut se orationem aliaque media diligentius adhibituros esse, ac proinde, innixi primæ sententiæ, occasionem non physice abrumpere, sed moraliter removere statuent. Ast ut plurimum fucum sibi faciunt et, transacto primo fervore, occasionis præsentia allecti, suisque relicti viribus, misere labuntur. Quæ tristi experientia nimis comprobantur.

4º Rationes Lugonis (cfr. n. 92) nihil probant. Nam ad 1^{um}: « extraordinarius dolor et propositum » quod quis hic et nunc in confessione ostendit, non efficit ut occasio e proxima fiat certo remota. « Multo fortior » erit, esto, nunc et brevi tempore post; ast transacto, ut solet, illo fervore extraordinario, præsentia objecti graviter allicientis non physice remoti aut vitati valde probabiliter ipsum iterum in peccatum impellet, sicut experientia constat. — Ad 2^{um}: neque illa « alia media » quæ adhibere proponit, certe efficacia sunt in adeo periculosa occasione feminæ domesticæ; quia speciale hic re-

quiritur Dei auxilium, quod expectari quidem potest in occasione necessaria, temere autem expectaretur in occasione libera. (Cfr. supra n. 38-40).

5º Denique hic omnino animadvertendum est, oppositam doctrinam, quam Pellizarius fere ad verbum ex Lugone exscripserat, a S. Congr. Indicis male notatam fuisse. Ejus enim opus *De Monialibus* decreto 21 Aprilis 1693 in Indicem relatum fuit, « donec corrigatur ». Nova autem editio, Romæ anno 1755 a Montano curata et « correcta juxta animadversiones S. Indicis Congregationis », locum illum in quo hæc doctrina tradebatur plane omittit [1]. Unde, nostro judicio, sententia Lugonis, Pellizarii aliorumque paucorum jam non amplius probabilis dicenda est. — Fac tamen advertas, hos auctores scripsisse ante condemnatam ab Innocentio XI propositionem 61^am^ [2].

95. — Quod attinet ad alios auctores sententiæ affirmativæ (Cardenas aliosque), opinamur illos, si eorum mentem inspicias, parum aut nihil a nobis dissentire; quod nominatim de Berardi dixerim. Nam exceptiones quas statuunt non agunt de vera et formali occasione proxima, prout eam antea (n. 57) definivimus, de illa nimirum quæ propter magnum ejus influxum in præsenti creat grave ac solide probabile periculum offensæ Dei; sed aut spectant occasionem quæ antea fuit quidem proxima, hic et nunc autem, sive propter mutata adjuncta externa sive propter constanter mutatam inclinationem internam, proxima esse desiit, — aut respiciunt occasionem quæ potius medium peccati est quam ejus causa movens (cfr. supra n. 3), — aut agunt de occasione de qua nondum constat eam esse graviter periculosam, quod sane in aliis materiis sæpius quam in aliis contingere potest [3].

Quæ quum ita sint, sententiæ negativæ simpliciter adhærendum esse censemus.

---

[1] Locus, jussu hujus S. Congregationis expunctus, hic est: « Qui (Doctores) tamen bene limitant regulam superius traditam, non solum in casu quo occasio vitari non possit absque periculo scandali aut infamiæ aut alterius magni damni — sicut nos etiam limitavimus —, sed etiam quando pœnitens ostendit *extraordinarium dolorem ac propositum*, quæ faciunt jam illam occasionem non esse proximam; cum homo sic armatus multo fortior sit ad resistendum quam prius, ideoque *probabiliter sperari* possit ipsum resistentiam facturum tentationibus quibus antea succumbebat. *Ita de Lugo* (D. 14, De Pœnit. n. 151), item docens de pœnitente qui *modo statuat adhibere alia media* ad cavendum peccatum, ut si occasio sit ex femina domestica, et ille proponat nunquam solus cum sola colloqui aut inveniri, effugere ejus aspectum, jucundam ei faciem exhibere etc. » (Cap. 10, n. 187; ita in ed. 1646). Textum Lugonis vide supra n. 92, *nota* 1.

[2] Textus Pellizarii ex editione emendata (n. 191) nihil probat pro sententia affirmativa, quia, ut ex contextu patet, ibi agitur de alia quæstione, scil. de monitione facienda illi qui invincibiliter credit se permanere posse in proxima occasione.

[3] Berardi e. g. hunc casum exceptionalem ponit: « Si ex una parte ageretur de occasione *parum* alliciente, quæ ideo per oppositionem nonnullarum cautelarum remota reddi possit, et ex alia præsumi deberet, quod pœnitens sic bene dispositus easdem cautelas reapse adhiberet » (*l. c.*, n. 22). Sed talis occasio non est vere proxima, utpote *non graviter* movens ad peccandum.

96. — Quæstio 2ª: *Num confessarius semper monere debeat pœnitentem de gravi obligatione vitandi occasionem proximam voluntariam?*

Certum est, haud raro existere bonam fidem circa hujusmodi obligationem, sive quod pœnitens nescit aliquam occasionem sibi esse proximam, sive quod videt quidem obligationem vitandi peccatum, non autem vitandi etiam ejus occasionem proximam. Hujusmodi ignorantia invincibilis vix aut ne vix quidem admitti potest quoad concubinatum aliasque occasiones per se admodum periculosas, quarum proximus finis est peccatum, uti lupanar, spectaculum ex professo turpe, liber omnino impius aut valde obscœnus etc. Raro etiam existet quoad occasiones relativas « in esse » valde periculosas, præcipue in materia turpi, v. g. persona domestica. Sæpe tamen aderit circa occasiones relativas interruptas, uti sunt choreæ, cauponæ, ludi, theatra, pravi amici, visitationes adamantium etc., præcipue si agitur de solis peccatis cogitationum aut oris, vel si aliqua, etsi non sufficiens, causa eas adeundi adest.

97. — Age vero; specialis adest ratio, ob quam confessarius per se abstinere non debeat a facienda monitione circa obligationem vitandi occasionem proximam voluntariam; quæ quidem ratio non existit in aliis multis obligationibus. Etenim si propter monitionis omissionem pœnitens manet in occasione proxima, generatim sequentur peccata *formalia*, quorum occasio est causa; in aliis autem obligationibus si adest ignorantia invincibilis, v. g. de facienda restitutione, de invaliditate matrimonii etc., ex neglecta monitione sequentur tantum peccata *materialia*. Unde regulæ generales de omittenda monitione haud ita simpliciter ad casum occasionis proximæ applicari possunt.

Hinc est quod Benedictus XIV, in const. « Apostolica » 26 Junii 1749, docet monendos esse non solum illos qui neglecto publico officio aut publicis criminibus aliis scandalum præbent (v. g. prælatos, principes etc.), sed « pari jure » illos pœnitentes, « quorum mores ac vitæ exempla *in proxima peccati occasione versantur*, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus ac morosis delectationibus, quibus assentiri consueverunt » (§ 20). Quam doctrinam refert S. Alphonsus (VI, 616; *H. Ap.* tr. 16, n. 115).

Hinc etiam est quod S. Congr. Indicis ex opere Pellizarii expunctam voluit doctrinam quæ tenet, confessarium non debere monere et adstringere « monialem ad dimittendam occasionem proximam peccandi... dato quod monialis de facto ex sua fragilitate non sit illam dimissura », ac proinde « incipiet permanere in illa cum peccato, cum prius in ea maneret sine culpa », scil. propter suam bonam fidem (*De Monial.* cap. 10, n. 191; ed. 1646). Merito autem hæc doctrina reprobata fuit; nam, uti post Cardenas (*Crisis.* disp. 18, n. 236) dicitur in editione jussu S. Congr. Indicis expurgata,

« hæc doctrina generalis periculosissime applicatur circa obligationem expellendi occasionem proximam. Primo quia peccatori occasionario probabilissime plus nocebit taciturnitas confessarii quam monitio: etenim... monitio et absolutionis negatio maxime deterret pœnitentes a continuatione occasionis; et pœnitens, qui si non moneatur, perseverabit in occasione proxima, si moneatur et absolutione privetur, punctus conscientiæ stimulis, si non statim, aliquando saltem emendabitur. Unde genus pietatis est in hac re esse crudelem. Secundo quia ea doctrina admissa in hac materia occasionis proximæ, aperitur via confessariis timidis, ut sibi facile persuadeant peccatores occasionarios qui ad eorum genua pervolvuntur invincibiliter ignorare propriam obligationem » (ed. 1755, cap. 10, n. 191). Hæc sane verissima sunt.

98. — Nihilo tamen minus censemus cum Berardi (n. 31-46) aliisque recentioribus, haud raro, nostris imprimis temporibus, dari casus in quibus confessarius, per modum exceptionis, possit et debeat omittere aut ad tempus differre monitionem pœnitentis in bona fide existentis circa obligationem vitandi occasionem proximam voluntariam. Casus est, si ex *una* parte prudenter timetur, ne pœnitens debilis in fide et praxi religionis, si monetur, a sacramentis alienaretur et per diuturnum tempus in plura et majora peccata rueret, et si ex *altera* parte bonum commune non obstat. Ratio est, quia tunc confessarius e duobus malis minus eligit seu permittit. Nam si monet absque spe ullius fructus, pœnitens non solum illa committet peccata formalia quæ ex occasione sequentur, sed etiam formaliter peccabit quoties huic occasioni se exponit. Si non monet, posterioris generis peccata materialia tantum sunt, et circa prioris generis peccata formalia negative se habet. Hoc igitur in casu unicus monitionis effectus esset pœnitentem in pejorem conjicere conditionem.

99. — Neque hæc sententia repugnat doctrinæ Benedicti XIV qui, ut ex contextu satis patet, tantum statuit, « regulariter » monendos esse occasionarios. Neque obstat correctioni operis Pellizarii, ex qua solum habetur, regulam generalem de omittenda monitione, si deest spes fructus, « periculosissime » applicari occasionariis; rationes autem ibidem allatæ in nostro casu supponuntur non occurrere. Neque contraria est doctrinæ S. Alphonsi qui, ut scite advertit Berardi (n. 44), duos dumtaxat adducit casus, in quibus semper monitio est facienda et veritas aperienda: primo « quando pœnitens interrogaret » (quo casu jam cessat bona fides), et secundo quando sequeretur damnum spirituale communitatis (*H. Ap.* tr. 16, n. 116); non autem memorat casum pœnitentis in occasione proxima versantis.

100. — Dictum est: *si ex altera parte bonum commune non obstat*, a. v. si non adest scandalum fidelium. Ratio est, quia confessarius debet anteponere bonum spirituale communitatis bono privato sui pœnitentis; bonum autem commune damnum pateretur,

si scandalum dantes non admonerentur et ad sacramenta admitterentur. Qua de re ita S. Alphonsus: « Non obstat quod pro illo (pœnitente) tunc admonitio sit ei causa ruinæ; quia confessarius est minister non tantum constitutus pro consulendo bono particularium pœnitentium, sed etiam pro bono totius reipublicæ christianæ, ideoque præferre debet bonum commune bono privato sui pœnitentis » (*H. Ap.* l. c.; item *Th. M.* VI, 615). Hanc doctrinam, quam ibidem « communem » dicit S. Doctor, etiam pro occasionariis valere, ex ipsa ratione adducta patet. Idem præcipit Benedictus XIV in const. « Apostolica » (§ 20).

Concludimus ergo, quæstioni propositæ negative esse respondendum: sententia hæc cum debitis restrictionibus et limitationibus practice tuta est. Ita quoque censent Tanquerey (n. 613), Génicot (n. 372) aliique recentiores.

101. — Ex hactenus dictis hæ *conclusiones pro praxi* statui possunt.

Monitio de *vitanda occasione proxima* voluntaria per se semper *facienda* est, etiamsi hic et nunc fructus pro pœnitente non speretur, in sequentibus adjunctis:

1º Si agitur de occasionibus *pessimis in re turpi*, circa quas bona fides vix supponi potest, uti sunt concubinatus, lupanar, scenæ aut choreæ omnium consensu graviter obscenæ, libri aut socii ex professo corruptores etc., brevi omnes illæ quarum finis proximus et præcipuus est peccatum et hominum corruptio.

2º Si agitur de *gravissimis fidei periculis* pro hominibus in fide mediocriter institutis, v. g. lectio assidua librorum aut foliorum fidem ex professo impugnantium, societas ex fine suo impia et antireligiosa, frequentatio concionum hæreticorum aut incredulorum de rebus religionis. Talibus enim occasionibus implicati si non monentur, certe in fide naufragabuntur; si monentur, aderit forte quædam spes fructus, saltem suo tempore. Præterea adest plerumque ratio scandali. Circa hæc generatim animadvertendum est, facilius monitionem omitti posse in occasionibus peccandi contra mores quam in periculis fidei: jactura enim fidei omnium malorum fons est. Si quis e. gr. infirmus in praxi religiosa, tum libros contra fidem legeret, tum amasiam sibi periculosam frequentaret, neque spes est ut utraque occasio statim abscindatur, confessarius prioris remotioni insistat, posterioris autem vitationem hic et nunc per formalem monitionem et absolutionis denegationem non urgeat, ne hujusmodi pœnitens plane, et quoad fidem et quoad mores, pereat.

3º Ratione boni communis semper facienda est pœnitentis monitio, si in aliqua regione *fides periclitaretur* aut *falsa de moribus opinio spargeretur*. Ecclesia namque numquam permittere potest, ut depositum fidei et morum in magnum discrimen veniat; ac proinde confessarius qui, ut supra ait S. Alphonsus, est « minister constitutus etiam pro consulendo bono totius reipublicæ Christianæ », id quoque impedire debet. Casus

esset de societatibus, conventiculis aliisque occasionibus, in quibus propagatur modernismus, spiritismus, budhismus, liberalismus, socialismus aliave hæresis aut falsa doctrina, onanismus matrimonialis, lectio librorum aut foliorum pravorum etc., si nimirum pœnitens sua auctoritate vel exemplo alios ad hasce occasiones frequentandas permoveret, etiamsi forte pro seipso hic et nunc grave periculum non subesset. Si enim hujusmodi pœnitens, non monitus et in his occasionibus persistens, ad sacramenta accederet, populus facile crederet, Ecclesiam ejusque ministros non curare de hisce rebus fidei et morum, ac proinde eas haud ita certas esse, vel saltem non ita necessarias ad salutem.

4º Item, ob rationem boni communis, monitio gravisque prohibitio semper facienda est *sacerdotibus, religiosis, superioribusque ecclesiasticis,* qui propter aliquam occasionem (v. g. theatrum, folium pravum, familiaritatem cum personis suspectis aut impiis etc.) suo exemplo causa essent ruinæ spiritualis aliorum.

5º Item, ob eamdem rationem, confessarius simplices fideles monere debet, si obsistendum est *introductioni* alicujus occasionis proximæ publicæ, modo solida adsit spes fructus pro communitate (parœcia aut regione), etsi non pro quovis pœnitente in particulari, ita ut aliqui, relative pauci, pereant. Casus contingere potest pro choreis, spectaculis, lectione periodicorum, ludis publicis in diebus festis, ornatu indecenti mulierum, scholis sic dictis neutralibus, adamantium visitationibus præmaturis aut cum hæreticis etc. Ratio est, quia si confessarii initio non monent, illasque occasiones etiam sub absolutionis denegatione non prohibent, populus crederet eas haud ita periculosas esse, easque paulatim magis magisque frequentaret cum plurimorum damno spirituali. Neque idcirco expectandum est, usquedum pro singulis pœnitentibus sit occasio proxima; sufficit ut in communi occasio proxima et periculosa adsit: bonum enim commune in casu bono privato aliquorum paucorum præferendum est. Secus tamen sæpe esset, si agitur de talibus occasionibus publicis jam existentibus; tunc enim ex monitione minor fructus pro communitate sperari potest; quia multo difficilius est communem abusum jam existentem exstirpare, quam ejus introductionem prævenire. Unde magna prudentia hac in re est procedendum, inito ut plurimum consilio cum aliis ejusdem regionis confessariis, vel etiam cum Ordinario loci.

6º Denique in universum de fugienda occasione monendus est pœnitens *firmus in fide,* qui, licet hic et nunc monitionem ægre ferat eique obedire paratus non sit, tamen propter eam nequaquam a sacramentis avertetur, sed *brevi* redire speratur. Quum enim occasio proxima multorum peccatorum fons sit uberrimus, confessarius ignorantiam fidelium in re tanti momenti tollere debet, eosque de gravi obligatione eam vitandi instruere, tum ut doctrina morum in Ecclesia illibata servetur, tum etiam in salutem ipsorum fidelium. Neque obstat quod hic pœnitens sine absolutione discedat et initio forte plura peccata formalia committat. Nam, quum adhuc firmus sit in fide, solida adest spes fore ut post tempus relative breve ad meliorem frugem redeat, propria quoque edoctus experientia, se peccatum vitare non posse, nisi etiam occasionem, ejus causam, fugiat. Unde tunc melius dispositus erit ad plane abrumpendam occasionem. Jure igitur S. Alphonsus cum aliis monet, « non ita facile judicari debere, pœnitentem cognita veritate parere nolle, etsi non

statim, saltem cum animi commotio sedata erit» (*H. Ap.* 16, n. 115); quapropter monitio facienda est, « si poenitens brevi sit monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat» (*Th. M.* VI, 616). — Nihilominus, ut supra (n. 98) dictum est, si merito timetur — idque nostris temporibus collapsæ fidei haud raro contingit —, pœnitentis offensionem longius duraturam esse, ejusque majus damnum inde oriturum, confessarius monitionem omittere aut ad tempus magis opportunum differre debet, excepto casu quo bonum commune periclitaretur.

102. — Restat ergo, monitionem de fugienda occasione proxima voluntaria tunc solum *omitti posse*, quando hæc quatuor adjuncta simul concurrunt: 1º Si adsit ignorantia vere invincibilis; 2º si ex omissa monitione nullum majus damnum pro communitate oriatur; 3º si occasio non sit adeo pessima adeoque periculosa in rebus fidei et morum, ut per se quasi semper ad peccatum ducat; 4º si agatur de pœnitente debili in fide et praxi religionis, qui propter monitionem et gravem prohibitionem per longum tempus in pejorem rueret statum. Conditiones illæ præsertim occurrere possunt circa occasiones per accidens seu relative proximas, v. g. circa choreas, spectacula et cinematographa, libros eroticos, folia et periodica, socios et amicos leviores, personam domesticam quæ proprie concubina non est sed alicui inservit, visitationes adamantium cum aliqua spe matrimonii etc.

Denique si *dubitatur*, num monitio pro bono publico sit necessaria, vel etiam utrum bonum, pœnitentis an communitatis, in casu prævaleat, generatim bonum publicum privato bono anteponendum est. Ceterum, valet hic regula S. Alphonsi: « In dubio utrum correctio profutura an nocitura sit,..... librandum esse timorem damni et spem utilitatis, et eligendum esse quod videtur præponderantius ». (*H. Ap.* tr. 16, n. 116; *Th. M.* VI, 616).

Tandem fac advertas, si monitio gravisque prohibitio omittenda esse judicatur, paternam tamen exhortationem de vitanda tali occasione generatim expedire; quæ quidem exhortatio neminem offendet et salutarem haud raro effectum sortitur.

ARTICULUS III.

De agendi ratione cum iis qui peccant propter occasionem voluntariam interruptam.

103. — Quum igitur apud omnes theologos certum exploratumque sit, ad veram pœnitentiam requiri etiam firmum et efficax propositum fugiendi occasionem proximam voluntariam, oritur jam quæstio, num et quoties qui in tali occasione lapsi sunt absolvi possint, antequam eam reapse fugerint aut removerint?

Varii varie respondent. *Prima* sententia, inquit S. Alphonsus (supra p. 65, § 2), affirmat, hosce occasionarios « prima vel secunda vice » absolvi posse, antequam occasionem vitaverint aut removerint. S. Doctor hanc sententiam non simpliciter rejicit, sed vult eam non esse satis accuratam, quia non rite distinguit quæ necessario distinguenda sunt, uti ex mox dicendis patebit.

Opposita huic sententia indiscriminatim docet, occasionarios ne prima quidem vice absolvendos esse, nisi prius occasionem vitaverint, idque probare nititur ex prop. 61 ab Innocentio XI proscripta. Unde concludit Concina: « Ergo iuxta decretum Ecclesiæ nunquam absolvendus iste est, nisi prius, cum possit, occasionem dimittat » (*De Pœn.* lib. 2, diss. 3, § 3, n. 4). Ast hæc ratio fallax est, ut ostendit S. Alphonsus § 5.

Sed est adhuc *alia* sententia quæ hæc docet: confessarius, ut judex, peccantem ob occasionem proximam, sive interruptam sive continuam, semper absolvere potest, modo hic vere doleat et proponat eam removere vel non amplius adire. Dilatio absolutionis est tantum consilium, quo confessarius, ut medicus, uti poterit; quod tamen consilium sequendum non est, si aliqua rationalis causa secus agendi adsit. Ita aliqui recentiores. (Cfr. infra n. 130).

104. — Itaque S. Alphonsus cum multis aliis theologis sequitur hic (§ 3) probatissimam doctrinam S. Caroli Borromæi, qui distinguit inter occasionem « in esse » seu *continuam*, quæ semper *præsens* est, et occasionem « non in esse » seu *interruptam*, quæ per intervalla ex professo quæritur. (Cfr. supra n. 15). Distinctionem hanc plurimi theologi et confessarii in re nostra maximi momenti esse reputant, idque jure meritoque. Etenim, si quis occasionem vehementer ad peccatum allicientem semper apud se præsentem retinet, multo magis multoque sæpius ejus concupiscentia excitatur, ac proinde multo graviori exponitur periculo, quam si ex industria alio pergere debet, ut occasionem videat et præsentem habeat. Ad hanc rationem psychologicam pro praxi sedulo attendisse, adeoque *duplicem* illam occasionis proximæ speciem distinxisse, progressus est scientiæ pastoralis. Quapropter et nos de utraque hujus occasionis specie distincte agemus.

105. — Quæ circa pœnitentes occasione voluntaria *interrupta* irretitos debeat esse confessarii agendi ratio, sequens docebit thesis.

Thesis 4ª.

I. Qui peccat propter aliquam occasionem proximam voluntariam et interruptam, eamque non amplius aditurum sincere promittit, aliquoties, v. g. bis terve, absolvi potest. — II. Quodsi postea emendatio non appareat sed eodem modo lapsus fuerit, generatim a confessario, ut judex est, absolvi nequit, nisi speciale quoddam doloris et propositi indicium præbeat.

Thesis hæc est S. Alphonsi (supra p. 66, § 3). Idem docet in *Praxi:* « Dicendum quod in occasionibus quæ *non sunt in esse*, recte docet S. Carolus quod pœnitenti, firme promittenti se ab eis abstinere, potest semel, bis et etiam ter absolutio dari. Quod si deinde ille occasionem non aufert et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat » (n. 66).

Prima pars thesis statuitur contra aliquos rigoristas; *altera* contra quosdam theologos æquo benigniores.

Prænotanda

106. — In antecessum lectorem hoc monitum volumus: quoties in hac vel in sequentibus thesibus loquimur de absolutionis dilatione aut recusatione, hæc tria supponimus:

1º Quod confessarius omnia fecerit quæ charitas paterna suggerit, ut pœnitentem ad verum dolorem et efficax propositum disponat; ad quod quidem sub gravi tenetur. Hæc autem exhortatio persæpe efficiet, ut pœnitens speciale aliquod doloris et propositi signum præbeat. (Cfr. thesis 17ª).

2º Quod confessarius si absolutionis dilationem pœnitenti necessariam aut utilem judicet, eam humanissimis semper verbis imponat ipsumque persuadere conetur hanc in ejus cedere bonum. (Cfr. infra n. 384 sq., 428).

3º Quod non adsit ratio specialis, ob quam pœnitenti, sive certo sive dubie disposito, statim absolutio, saltem sub conditione, concedi debeat, v. g. timor ne dilatio absolutionis ipsi magis nocitura quam profutura sit (cfr. n. 457), vel ne sine absolutione dimissus a sacramentis alienetur et in peccatis tabescat (cfr. thesis 22ª). — Atque hæc quidem quæ postea fuse exponemus, hic semel pro semper dicta sint.

Probatur prima pars

107. — Re sane vera: confessarius prudenter judicare potest, pœnitentis propositum non amplius adeundi occasionem adhuc firmum esse, etiamsi aliquoties promissionem fefellerit. Ita quoque in vita quotidiana prudenter adhuc creditur sincere aliquid promittenti, licet hic, speciali quadam occasione illectus, una alterave vice proposito inconstans fuerit.

Neque relapsus *per se* signum est pœnitentis propositum præcedens fuisse infirmum, sed solum mutatam esse ejus voluntatem. Hinc recte S. Alphonsus: « Non semper verum est, tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur id quod proponitur; alias, quoties pœnitens recideret, toties teneretur repetere confessiones. Relapsus enim non semper est signum propositi infirmi, sed sæpius tantum signum est mutatæ voluntatis » (VI, 451; supra p. 1).

Immerito hic objicitur propositio 61ª, damnata ab Innocentio XI (supra p. 65): propositio enim expresse loquitur de eo qui occasionem « *non vult* omittere », ut advertit etiam S. Alphonsus (§ 5).

Neque etiam obstat doctrina S. Alphonsi de recidivo formali, de quo agit infra (VI, 459, § 9; cfr. thesis 15ª); quia occasionarius, de quo in hac thesi 4ª agitur, non supponitur esse etiam recidivus in *habitum* peccandi propter aliquam occasionem, ut infra (n. 336) dicetur.

Probatur altera pars

108. — Profecto, si pœnitens jam sæpius, puta bis terve, promissionem fefellit, confessarius jam non sufficientem fidem ejus proposito habere poterit. Quum enim hujusmodi occasio sit plane voluntaria et per actum positivum alibi quæri debeat, facile eam vitare potuit. Unde si post repetitas promissiones eam adhuc semper eodem modo adiit, prudenter dubitabit confessarius, num præcedens ejus propositum vere firmum fuerit. Quapropter hujusmodi pœnitenti, utpote dubie disposito, confessarius, ut judex, absolutionem differre debet, usquedum emendatio appareat. Licet ergo relapsus per se non sit signum infirmi propositi, tamen *talis* relapsus post plures repetitas promissiones grave saltem ingenerat dubium propositi infirmi.

Sin autem hujusmodi pœnitens non « eodem modo » (*Prax.* 66) peccaverit et in eo aliqua seria « emendatio appareat » (supra p. 66, § 3), v. g. quia minus sæpe quam antea occasionem adierit, vel si nunc *alia specialia* doloris et firmi propositi signa dederit, tunc sane confessarius eum absolvere potest; quia hoc casu præsumptio dubiæ dispositionis eliditur et adest spes plenæ emendationis brevi secuturæ [1].

109. — Res exemplo illustrari potest. Paterfamilias gravem ob rationem filium suum districta jussione vetat aliquam adire domum, quam adire nulla cogit necessitas. Sincere illud promittit filius, sed post aliquod tempus frangit fidem, illamque domum semel et iterum visitat. Altera vice graviter id vetat pater, promittitque filius. Sed hic nihil emendatus eodem modo inconstans est. Tertia adhuc vice gravioribus verbis insistit

---

[1] De signis *specialibus*, quæ præsertim post diligentem confessarii adhortationem persæpe aderunt, vide theses 17ªm et 18ªm.

pater; tertio quoque promittit filius; sed nihilominus eadem ac antea facilitate præcepto inobediens et genio indulgens, sine justa causa eamdem adit occasionem. Profecto post tot irrita conamina pater prudenter saltem dubitabit de firmitate et efficacia propositi filii sui. Fieri quidem posset, ut filius tertia vel quarta vice adhuc sincere asserat se firmum habere propositum domum illam non amplius adeundi, sed facile ipsemet se seducit. Propositum enim firmum et efficax est illud quod est « aptum efficere quod proponitur », ut ait S. Alphonsus (n. 451). De hujusmodi autem aptitudine post tot irrita promissa merito dubitabit pater: præsumptio enim stat contra filium. Tum solum quando filius denuo novis specialibusque indiciis sui propositi sinceritatem et efficaciam ostendit, pater ipsi iterum prudenter fidem præstare potest; quia talibus signis præsumptio eliditur.

Eodem plane modo confessarius de filio suo spirituali judicare debet, si hic post pluries repetita monita et promissa semper eadem facilitate occasionem proximam quærere pergit, neque nunc specialibus signis sui propositi firmitatem ostendit. Merito igitur concludit S. Alphonsus: « Si postmodum (i. e. post bis terve datam absolutionem) emendatio non apparet, differri ei debet absolutio, donec ille cum effectu occasionem derelinquat » (supra p. 66, § 3).

Confirmatur utraque pars auctoritate

110. — Thesis nostra est ipsissima doctrina S. Caroli Borromæi, cujus auctoritas hac in re est permagna (cfr. thes. 9ª) et cujus verba S. Alphonsus infra (VI, 458, § 5) adducit. Ex illis patet, S. Doctorem nostrum adhuc paulo benignius loqui quam Archiepiscopum Mediolanensem. Hic enim post « primam aut secundam pœnitentis pollicitationem » absolutionem differendam esse præcipit; S. Alphonsus autem dicit: « potest per unam, aut duas, *etiamque tres* vices absolvi » (h. 1. et alibi).

Generatim ad *theologos antiquos* solidæ doctrinæ quod attinet, certe neminem invenies qui doceat, occasionarios recidivos, eodem modo ac ceteros peccatores, semper absolvi posse, quando cum signis ordinariis ad confessionem accedunt. Multi quidem non præcise distinguunt inter occasionem « in esse » et « non in esse ». In universum tamen tenent, occasionarios aliquoties quidem absolvi posse, sed non amplius esse absolvendos, postquam pluries promissa de vitanda occasione fefellerint. Aliquot tantum hic verbotenus adducere lubet. De ceteris sermo redibit ubi de recidivis agemus. (Thes. 14ª).

111. — Suarez de obligatione restituendi vel *relinquendi occasionem proximam* peccandi hæc docet: « Observandum est, *non semper* debere confessorem cogere pœnitentem, priusquam illum absolvat, ut id exsequatur quod facere tenetur, id est ut restituat etc.; quia hæc obligatio non semper urget pro statim, et quia satis est ut pœnitens credatur habere firmum propositum suam obligationem implendi, cui credendum est, *præsertim si tunc primum incidit in eam*

occasionem seu obligationem et non est inventus infidelis vel inconstans in similibus propositis, neque ex aliis conjecturis potest talis suspicio probabiliter concipi... Aliquando vero *oportet remittere* pœnitentem et illum non absolvere donec suam obligationem impleat, *præsertim quando iterum atque iterum* illam confessus est, et implere promisit, neque implevit; quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi, et ejus *propositum moraliter non potest judicari efficax;* quandoquidem convincitur esse in magna mora, et posse et non facere. Quapropter oportet confessores in hoc esse cautos et constantes, *ne graventur peccatis alienis;* quod notavit Cajetanus, S. Antoninus et Navarrus» (*De Pœn.* disp. 32, sect. 2). Suarez igitur ut rationem allegat præsumptam propositi infirmitatem.

Laymann de recidivis, etiam occasionariis, generatim dicit: «Interdum vehemens est suspicio et justa præsumptio *propositum emendandi simulatum aut non sufficiens* esse, si videlicet pœnitens *post duas vel tres confessiones* eamdem peccati speciem eodem vel majore numero afferat et nullus emendationis conatus antecessisse videatur: hoc casu *differenda* erit absolutio... Id vero limitari debet, nisi pœnitens in præsenti confessione *specialia* qualia antea nunquam doloris signa ostenderit, quibus præsumptio illa de mala confitentis dispositione merito elidatur» (lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10).

S. Leonardus a Portu Mauritio presse sequitur S. Carolum Borromæum. Postquam enim dixit cum occasionariis «in esse» severe agendum esse, ita pergit: «Multo minore rigore majoreque indulgentia utendum esse videtur in occasionibus quæ *non sunt in esse*, v. g. ludi, crapulæ, conversationes, cauponæ, amantium visitationes et similia; quia in hisce, juxta memoratam S. Caroli instructionem, si pœnitens eas vitare promittit, idque ex corde, saltem per *duas* vel *tres* vices absolvi poterit; supposito semper quod promissio profecta sit ex animo firmiter deliberato et contrito. Quodsi alias promisit, nec se emendavit, vult sanctus Archiepiscopus, ut absolutio *differatur* usquedum occasio omnino relicta fuerit». (*Disc. mist. mor.* n. 23; item n. 25.)

Item Reuter: «Absolvendus non est qui non vult vitare occasionem proximam *interruptam* graviter peccandi, v. gr. choreas, tripudia, consortia, in quibus frequenter peccat graviter..... Quodsi serio promittat se vitare velle talem occasionem, potest *prima* vel *secunda* vice qua peccata ista confitetur absolvi... Quodsi ille semel vel iterum sive eidem sive diverso confessario fidem fregerit, ac tertio emendationem promittat, *differenda* est absolutio, usquedum emendatio appareat; quia cum ab illa occasione abesse facile possit neque eam vitet, ei qui fidem jam aliquoties non servavit, *credi ultra non potest.* Excipe, nisi circumstantiæ sint mutatæ» (*Neo-conf.* n. 172).

112. — Ex dictis satis superque constat, thesim S. Alphonsi, hinc contra rigoristas illinc contra auctores remissiores, et rationi prorsus consentaneam esse, et magna quoque antiquorum auctoritate munitam. Unde ex *recentibus* theologis permulti huic doctrinæ expresse subscribunt, quos inter exempli gratia sunt:

Scavini: «Qui occasionem proximam voluntariam sincero animo dimittere promittit, si agitur de occasione *absenti* et *non in esse*..... potest *semel* aut *bis* et etiam *ter* absolutio dari; quod si deinde ille occasionem non aufert et eodem modo peccat, tunc *nequit absolvi*, nisi prius illam occasionem removeat» (*De Pœn.* n. 340).

Frassinetti: « Iis qui frequentant occasiones alterius speciei (i. e. *interruptas*), si serio promittunt se eas vitaturos..., absolutio *bis* vel *etiam ter* dari poterit; sed si dein non se emendant, absolutio ipsis *differenda est*, quoad reipsa occasionem vitaverint... Est hic rigor necessarius, quia si semper se absolutos vident, licet promissis non steterint, difficilius vim adhibent necessariam ad occasionem peccati abrumpendam ». (*Th. Mor.* n. 461).

Lehmkuhl: « Qui versati sunt sæpius in proxima occasione libera *non continua... aliquoties* absolvi possunt, si serio promittunt vitare occasionem, neque gravis ratio præjudicii contra eos existit » (*Th. Mor.* II, 624).

Ciolli: « Absolvi potest *bis vel ad summum ter* qui versatur in occasione proxima voluntaria *non permanente*, si sincere promittit se eam vitaturum » (*Dirett. prat.* n. 70, VIII).

Tanquerey: « Qui versatur in occasione proxima voluntaria et *interrupta*, v. g. frequentando popinas, pravos socios aut periculosa spectacula, statim absolvi potest, dummodo sincere proponat se hanc occasionem vitaturum. Si vero hoc promissum *pluries* fregerit, v. g. *tribus vicibus*, absolutio *deneganda est*, usquedum sincerum propositum emendationis occasionis fuga demonstraverit » (n. 625).

Müller: « Si agitur de occasione *non in esse*, pœnitens, modo serio proponat ab ea se cavere, potest *una* vice aut *duabus* etiamque *tribus vicibus* absolvi... Quodsi postmodum emendatio non appareat, absolutio ei *differri debet*, donec occasionem derelinquat, quia fidem jam aliquoties non servanti credi ultra nequit » (*De Pœn.* § 156, 4).

Schüch: « Si occasio est *quæsita* (*non in esse*), pœnitens, si serio se eam vitaturum promittit, prima vice absolvi potest... Si *bis* vel *ter* admonitus, non serio se emendavit, *differenda* est absolutio, usquedum propositi firmitatem non verbis tantum sed facto ostenderit » (*Pastoralitheol.* § 310, 2).

Idem docent Aertnys (n. 475), Marc (n. 1823), aliique complures.

Firmo igitur talo stat hæc 4ª thesis S. Alphonsi, utpote primis prudentiæ regulis plane consona et gravissima quoque theologorum auctoritate confirmata.

De doctrina æquo laxiore quorumdam recentiorum sermo redibit infra (n. 130), tum etiam in tractatu de recidivis.

ARTICULUS IV.

De agendi ratione cum iis qui versantur in occasione voluntaria continua seu "in esse „.

Thesis 5ª.

Qui versatur in occasione voluntaria continua seu « in esse », eaque valde periculosa, ordinarie loquendo, ne prima quidem vice absolvendus est, nisi prius occasionem removeat.

113. — Hanc doctrinam S. Alphonsus hic (p. 66, § 4) et alibi constanter sustinet. In *Praxi* ait: « In occasionibus quæ sunt *in esse* cum eodem S. Carolo omnino neganda est absolutio, nisi occasio prorsus

auferatur » (n. 66). Fortius etiam in *Conf. Dir.:* « Qui in hisce vel similibus occasionibus proximis versatur nullo modo absolvi potest, ne prima quidem vice, nisi prius occasionem removeat, etiamsi cum jurejurando et cum mille signis veri propositi promitteret; secus graviter peccat tam confessarius qui eum absolvit, quam ipse pœnitens qui accipit absolutionem, antequam occasionem abstulerit » (cap. 15, n. 10). Item in *Selva* (Istr. IV, n. 14). Imo ipsi etiam populo hanc doctrinam inculcandam esse vult, uti patet ex ejus *Institut. Catech.* (p. 2, cap. 5, n. 31).

Explicatur Thesis

114. — Dicitur 1°: *Ordinarie loquendo;* quod infra (n. 123-128) juxta ipsum S. Doctorem exponemus.

Dicitur 2°: *Valde periculosa.* Hæc addimus ad mentem S. Alphonsi. Supponit enim S. Auctor, quod pœnitens sit « valde propensus » in hanc occasionem, quod ejus remotio sit « res magnopere ardua », ob quam « magnam vim » sibi inferre debeat (§ 6). Ex quibus conclude, absolutionem prima vice dari posse, si occasio non adeo vehementer attrahat pœnitentem, ita ut merito expectari possit, ipsum hanc brevi post absolutionem remoturum esse. Qua de re cum Lehmkuhl hæc regula statui potest: Si redire ad confessarium pro absolutione recipienda pœnitenti notabiliter gravius est, quam actu implere obligationem removendæ occasionis, potest ipsi statim absolutio concedi. « Si e contrario gravis obligationis impletio pœnitenti durior est, quam iteratus accessus ad confessarium, confessario prudentia dictat, ut prius postulet duriora, dein absolvat » (*Neo-Conf.* n. 188, *i*; item *Theol. Mor.* II, n. 557 et 626). Ita v. g. si cui certe gravius est ad confessarium redire quam pecuniæ summam relative modicam restituere, potest ipsi statim absolutio concedi. Item, si quis domi librum haberet obscœnum, cujus lectioni non valde adhæret, confessarius prudenter judicare potest, pœnitentem sincere promittentem se statim post confessionem librum destructurum, non versari in periculo gravi infringendi hoc propositum.

Doctrina igitur hujus theseos maxime practica est in casu concubinatus, etiam occulti; vel si quis alibi sustentat concubinam quam sæpe, puta aliquoties per hebdomadem, adit, quæ est occasio quasi-continua; item « cum aliqua famula peccat cum hero quoties ab eo tentatur » (§ 3). Sed tamen etiam alii dari possunt casus hujusmodi occasionis continuæ valde periculosæ, e. g. imago vel statua valde lasciva pro homine luxurioso; « photographia » amasiæ quam quis frequenter ex libidine contemplatur; liquor alcoholicus quem ebriosus præter necessitatem domi servat; pecunia injuste possessa ab homine avaro; instrumentum domesticum quod « radio » dicitur, si cuipiam fuerit occasio proxima peccandi contra fidem vel mores; beneficium ecclesiasticum simoniace acquisitum;

subscriptio ephemeridis aut periodici vel horum collectio, quæ ex professo fidem catholicam impugnat, et cujus lectioni pœnitens valde inhæret, etc. Brevi, sunt ejusmodi occasiones quas quis semper moraliter præsentes habet, et quarum remotio ipsi est « res magnopere ardua ». Licet ergo frequentiores casus sint in materia turpi — quia passio luxuriæ generatim est omnium vehementissima, — tamen in aliis quoque materiis, imprimis justitiæ et fidei, eadem ratio occurrere potest. Unde S. Alphonsus in *Praxi*, (n. 66), postquam per modum « exempli » indicavit « concubinam » et « famulam », addit: « *et similia* ». Eodem modo loquuntur S. Carolus Borromæus (infra n. 117) et S. Leonardus a P. M. (ib.). Item Lehmkuhl ait: « *Similiter* in *aliis* occasionibus. Qui v. gr. adulterinas monetas vel syngraphas fabricavit atque machinam etiam nunc detinet, raro sane absolutione donandus est, nisi *antea* revera machinam destruxerit » (*l. c.*).

Adversantur huic thesi Joannes Sanchez [1] et aliqui antiquiores nimis benigni. Quibus accedunt quidam recentes theologi qui docent, etiam occasionarios « in esse » sæpius absolvi posse antequam occasionem amoveant, modo eam amovere vere proponant; esse tantum consilium absolutionem differre, si facile fieri potest, neque ulla adest rationabilis causa secus agendi. (Cfr. infra n. 130). — Favent autem thesi theologi antiqui quamplurimi et recentes numero longe majore.

Thesis hæc, limitata juxta supra exposita, *certa* est, uti ex probandis patebit.

Probatur Thesis

I. — *Ex officio Judicis.*

115. — S. Alphonsus, postquam (p. 67, § 5) ostendit infirmitatem duarum rationum, ipse tum (§ 6) « rationem potiorem et veram » indicat. In *Praxi* hanc rationem paulo fusius ita exponit: « Ratio, quia talis pœnitens est indispositus ad absolutionem, si petat eam, antequam occasionem removeat. Etenim eam recipiendo se immittit in proximum periculum frangendi propositum [2], et sic remanendi in eadem occasione. Clarius rationem hanc explicemus. Certo mortaliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria et

---

[1] Cardenas ait: « Joannes Sanchez primus docuit, posse concubinarium absolvi ter vel quater cum proposito expellendi concubinam et antequam illam realiter expellat, nempe quando est in ejus potestate physica et morali concubinam expellere. Quam sententiam Castro-Palao appellavit audaciam » (*Crisis.* I, disp. 18, n. 107; cfr. item IV, diss. 40, n. 72-74). Revera, Sanchez dicit posse absolvi concubinarium, « etsi ter aut quater confessus in promissione elongandæ concubinæ defecisset » (*Selecta.* disp. 10, n. 4).

[2] Advertas velim, S. Doctorem hic vocare periculum *proximum*, quod in textu Theol. Mor. (supra p. 68, § 6) dixerat *probabile;* ipsi namque aliisque antiquioribus probabile periculum jam est proximum. Cfr. supra n. 18 et n. 50, *nota.*

eam non tollit. Cum autem opus tollendi occasionem sit maxime arduum et non impleatur nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert, qui jam est absolutus; quia, ablato timore sine absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat; et ita in ea remanendo certe quidem recidet: prout quotidie experimento probatur in pluribus pœnitentibus qui, carpta absolutione ab aliquo confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, et statim deterius relabuntur » (n. 66; item in *Conf. Dir.* cap. 15, n. 10). — Itaque ratio S. Alphonsi in hanc formam reducitur:

Est indispositus qui voluntarie seu sine juxta causa se exponit proximo periculo peccandi.

Atqui hujusmodi occasionarius « in esse » qui absolvi vult ante occasionem amotam, voluntarie se exponit proximo periculo peccandi, nimirum periculo infringendi suum propositum de amovenda occasione; quod quidem propositum sub gravi habere debet. — Ergo est indispositus.

Major ab omnibus admittitur.

Minor quoque certa est ex experientia quotidiana, uti S. Alphonsus aliique theologi et confessarii passim testantur. Quæ experientia fundatur hac ratione psychologica: auferre occasionem *præsentem* in quam pœnitens est « valde propensus », est « res magnopere ardua », ad quam perficiendam « magnam vim et violentiam » sibi inferre debet. Atqui hanc magnam vim generatim ac « ordinarie loquendo » non sibi inferet hujusmodi pœnitens, postquam absolutionem acceperit; nam, etiamsi id sincere promittat, tamen, seductus objecti semper præsentis illecebris, facillime voluntatem mutabit et propositum removendi occasionem infringet. Quæ ratio specialis infringendi propositum non adest, si occasio non est continua et præsens, sed alibi quæri debet, ut in occasione *interrupta.* (Cfr. n. 104).

Ergo pœnitens qui, antequam occasionem « in esse » removeat, absolutionem accipere vult, exponit se proximo periculo infringendi propositum et non implendi gravem obligationem, ac proinde *per se* non est dispositus ad recipiendam absolutionem; eodem plane modo ac dispositus non est quilibet alius pœnitens qui hic et nunc se proximo peccandi periculo objicere velit. — Fieri quidem potest ut pœnitens hoc periculum proximum *non advertat* et in bona fide versetur circa obligationem prius removendi occasionem. Sed, quum hic agatur de gravi periculo peccati formalis, confessarius, ordinarie loquendo, ipsum hac de re monere debet (cfr. n. 97 sq.); qua monitione bona fides tollitur, et pœnitens nihilominus volens recipere absolutionem indispositus esset.

Recte igitur S. Alphonsus in *Praxi* suum argumentum ita con-

cludit: « Hinc diximus quod, propter prædictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat pœnitens qui ante remotionem occasionis absolutionem petit, et gravius peccat confessarius qui illum absolvit » (n. 66). « Gravius » nimirum peccat confessarius, quia non solum cooperatur indignæ receptioni sacramenti a pœnitente indisposito, sed ipse etiam indigno sacramenta administrat. — Atque hæc prima ratio desumpta est ex officio confessarii ut judicis [1].

II. — *Ex officio Medici.*

116. — Sed præterea confessarius ille etiam peccat contra officium medici, « non applicando illi (pœnitenti) remedium suæ saluti necessarium », ut dicit S. Doctor in textu (§ 6); nam dilatio absolutionis et pœnitentis « timor sine absolutione remanendi » (*Prax.* n. 66) est, ordinarie loquendo, remedium moraliter necessarium, ne pœnitens iterum cœno peccatorum se immergat; uti probatum est in propositione minore argumenti præcedentis (n. 115). Vide etiam infra thesim 7am (n. 145 sqq.).

Confirmatur Thesis auctoritate

117. — Pœnitenti, voluntarie ac sine justa ratione versanti in occasione continua valde periculosa, ordinarie loquendo, absolutionem esse differendam, donec hanc occasionem reliquerit, complures viri sanctissimi et theologi præstantiores, communi quasi consensu, docent; idque non consilii, sed præcepti loco habent.

S. Carolus Borromæus, qui auctor est celebris hujus distinctionis occasionis « in esse » et « non in esse », de prima occasionum specie hæc habet:

« Si occasio est *in esse*, uti concubinam habere aut *similia*, confessarius ipsum absolvere non debet, nisi prius occasionem de facto relinquat». (Cfr. infra n. 188).

Jam diu ante, S. Thomas a Villanova graviter monuerat confessarios, ne hujusmodi occasionarium ante absolverent quam occasionem dimisisset.

Comparans talem peccatorem Lazaro a Christo suscitato vult, ut prius e sepulcro occasionis exeat et dein absolvatur. « Illum, inquit, qui a Domino vi-

---

[1] Est quod mireris, ipsum Joannem Sanchez, etsi laxistam, argumentationem nostram plane probare. Ait enim: « Quis non videat, potentem facile ejicere concubinam, antequam ad confitendum accederet, et non ejicientem, periculo manifesto se exponere post factam confessionem non expellendi... At, periculo non ejiciendi concubinam se exponere, peccatum mortale est » (*Selecta.* disp. 10, n. 6; item n. 8). Sanchez inde quidem concludit, eum qui « sæpe jam monitus est », scilicet « ter aut quater », non amplius absolvendum esse; sed ratio perinde valet pro concubinario qui prima vice confitetur, quia tunc jam adest grave periculum non standi promissis seu non ejiciendi concubinam.

vificatus, desiderio salutis a vitiorum sepulcro foras egreditur, vos, o Sacerdotes, solvite et sinite abire. Cavete ne eum in sepulcro solvatis; prius exeat ut solvatur... Non suscitat e sepulcro medicus sed Deus; sed quem suscitat Deus, hunc solvit medicus. *Prius ergo vadat* et concubinam e domo pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam prout potest resarciat, mercenariorum labores et pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur et veniam petat; et *tunc ad confessarium redeat et absolvatur.* Hic rectus est ordo... Hæc contra quosdam confessarios nostri temporis, *pie impios et impie pios*, dicta sint, qui ne confitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia manere permittunt. At quanto melius esset ad modicum contristare quam in æternum damnare » (*Conc. in Fer. VI post Dom. IV Quadrag.* n. 11, 12). Hæc sane ante omnia valent de occasionibus valde periculosis quæ sunt « in esse ».

Hisce concordant monita S. Francisci Xaverii in epistola ad P. Gasparum Bersæum qui in regione degebat, « ubi peccandi magna licentia, pœnitendi rarissimus est usus ».

Pœnitentes variis gravatos peccatis et occasionibus irretitos « plerumque, inquit, juverit non continuo absolvere », sed per aliquot dies differre. « Hoc spatio curabis, ut si quam injuste isti detinent alienam rem, dominis restituant; si famam cujuspiam læserunt, dictum revocent; si amoribus inconcessis implicati vixerant, flagitiosa cum quibusvis commercia abrumpant, occasionesque jam nunc amoveant culparum. Talia in posterum *quantumvis prolixe ac serio pollicentibus* haud tuto creditur sine pignore. Fac repræsentent in antecessum quod se præstituros asseverant... Ergo *antequam* illos salutari sententia culpis solutos omnibus dimittas, *hæc ut prævertant omnino exige.* Alias, quæ humana fragilitas est, brevi relapsos in præcipitium, a cujus lubrica declivitate non satis eos longe submoveas, inutiliter dolebis » (Mart. 1549; ed. Bononiæ, II, p. 46). Quæ verba sane de puro consilio explicari non possunt. Neque, uti cuique patet, prædictis obstat quod idem Sanctus alibi monet, ut sacerdos maritum rixosum cum uxore « suaviter adducat, ut libens patiatur differri sibi absolutionem ad dies aliquot ».

Doctrinam S. Caroli Borromæi expresse sequitur S. Leonardus a Portu Mauritio.

« Distinguere oportet, inquit, occasiones quæ sunt *in esse*, sicut S. Carolus eas distinguit, et occasiones quæ *non sunt in esse.* Ad primas, quæ magis pestiferæ sunt, destruendas ferro et igne opus est, neque S. Archiepiscopus hisce pacem dari vult ». Adductis quibusdam harum occasionum exemplis, v. g. concubina, effigie amasiæ pro homine libidinoso, famula domestica quæ cedit importunis heri sollicitationibus, « et *aliis similibus* », ita pergit: « *Certum* est, in similibus casibus *absolutionem dandam non esse, nisi prius actu amputetur occasio* ». Dein: « Regulam hanc teneat (confessarius): si occasio proxima est *in esse*, ferro et igne opus est, specialiter in duabus materiis, avaritiæ scilicet et lasciviæ. Quando habitus est valde intensus, tentatio admodum fortis et inclinatio vivida, respiciendum non est ad pœnitentis promissa, sed sancto quodam rigore aperte ipsi dicendum: Vade, tolle occasionem, et redi ad absolutionem accipiendam ». (*Discorso.* n. 22).

Hisce addere lubet Ven. Paulum Segneri qui, loquens de occasione occulta « in esse », vult ut confessarii non credant pœniten-

tium promissis de removenda occasione post acceptam absolutionem:

« Ego dico, ne fidem ipsis attribuas, et ne, citra casus *extraordinarios* ab universali regula exceptos, errorem hunc muneri tuo probrosissimum admittas, nempe absolutionem conferendi priusquam occasio sit ablata, quando tolli potest. Prius sagitta extrahenda est, ac tum medendum vulneri. Obsides dandi sunt, priusquam pax firmiter stabiliatur. Ejiciantur primo abominationes e templo, et tunc de sacrificiis Domino offerendis cogitandum. Non ignoro, quarumdam esse sententiam [1] posse *prima* vice absolvi pœnitentem, data promissione se quamprimum suæ satisfacturum obligationi ac deserturum pravam cum femina peccandi consuetudinem (« mala practica »). Ego vero repeto quod dixi: *regulariter loquendo, ne id facias ;* nam experientia demonstrat, tales pœnitentes ita absolutos, finito tempore Paschali, non solum nulla retia ista evadendi gerere sollicitudinem, verum etiam consopiri... Hæc ipsa periculi remotio medium est quod maxime ad emendationem conducit; ac proinde, si non adhibetur, evidenter ostenditur, aut infirmam aut inefficacem esse voluntatem illius qui illud negligit. Denique, etiamsi *immerito censeres,* pluris facienda esse præsentia pœnitentis verba quam ejus opera præterita, ac proinde omni modo persistere velles judicare, *ipsum sufficienter esse dispositum* et ita absolvere: permitte ut candide hæc tibi dicam; *jam non agis ut bonus confessarius ;* et si partes obis judicis, certe non satisfacis officio medici; ad quod graviter quoque es obstrictus, ut postea demonstrabo. Sit contritus pœnitens quantum tibi videatur; nihilominus æquum non est ipsum sanum relinquere in faucibus draconis, cum ipsum ex tam atroci periculo, qualis est relapsus, eripere possis, idque remedio quod est *unicum* adversus hoc malum, nempe urgendo ut ea ad quæ tenetur præmittat et differendo absolutionem usquedum omnia impleverit » (*Conf. istr.* cap. 5. al. *Non è però*).

Hæc quidem sancti illi confessarii et theologi qui, zelo animarum incensi, non minore certe rigore ac S. Alphonsus, occasiones admodum periculosas « in esse » ante absolutionem amovendas esse, non suadent tantum, sed districte præcipiunt.

118. — Sed et alii celebratissimi theologi *antiqui* thesim nostram confirmant, e quibus, ne longi simus, aliquot dumtaxat verbotenus adducemus.

Navarri verba citantur a S. Alphonso in textu (§ 4). Pergit autem idem auctor: « Idem quod diximus de concubinariis dicendum est de illa persona quæ, cuidam alteri cohabitando, non potest ob suam fragilitatem vitare ac, ut rectius dicamus, videtur ei quod non vitabit peccatum mortale, nisi separetur ab ea » *Man.* cap. 16, n. 21).

Ludovicus Lopez: « Cohabitans concubinæ non est absolvendus, antequam separetur... Idemque dicendum de ea persona quæ creditur non aliter vitatura peccatum » (*Instruct. consc.* part. 1, cap. 78).

Card. Toletus de concubinariis generatim dicit: « Tales nullo modo sunt absolvendi, quin primum ejiciant concubinas » (*De Instruct. Sac.* l. 5. cap. 10).

---

[1] In nota remittit ad Joannem Sanchez, de quo supra n. 114, *nota.*

Reginaldus docet: « Cum pœnitens occasionem habet recidendi ex cohabitatione seu conversatione cum aliqua persona, jubendum esse illi, antequam absolvatur, ut forti christianoque animo dicat eidem personæ cum qua male versatur et peccat: sibi denegari absolutionem nisi separentur » (*Praxis.* l. 2, cap. 8, n. 103).

Castro-Palaus: « *Conveniunt doctores*, nec prima vice concubinarium esse absolvendum, nisi prius expellat concubinam » (tr. 2, disp. 2, punct. 10, § 3, n. 18).

Bonacina dicit, « pœnitentem regulariter non esse absolvendum, antequam dimittat concubinam, seu quamdiu persistit in occasione peccandi »; hancque doctrinam *communem* esse testatur, addens: « ita communiter » (*De Matr.* qu. 4, punct. 14, n. 11, 12).

Coninck, post verba a S. Alphonso (*l. c.*) adducta, ita prosequitur: « Juramentum sacerdos nec exigere nec admittere debet, sed *jubere debet* eos ante absolutionem separari » (*De Pœn.* disp. 8, n. 133). Si confessarius id jubere debet, sane Coninck hoc non ut consilium, sed ut præceptum habet, eodemque modo intellecta vult illa verba apud S. Alphonsum: « nullo modo expedit ».

Sayrus: « Cohabitans concubinæ *absolvendus non est, antequam eam ejiciat...*, quia sic cohabitando exhibetur saltem occasio proxima peccandi, quæ in se peccatum mortale est, ac proinde indignum et incapacem se reddit absolutionis » (*Clavis.* l. 8, cap. 2, n. 9).

Fagundez de concubinariis præcipit: « Tales *non sunt absolvendi*, nisi *prius* ipsam concubinam ejiciant; quia ad sui veram pœnitentiam exigunt, non solum omissionem et cessationem ab actu carnali, sed etiam recessum a tali statu, qui non datur nisi per veram ejectionem concubinæ... Quodsi domi concubina non habeatur, differenda est absolutio concubinariis arbitrio prudentis confessarii, quoadusque videantur ab statu et consuetudine peccandi decessisse » (*Decal.* l. 6, cap. 2, n. 3, 4).

Tamburini vult, « ut non possit concubinarius absolvi, nisi domo ejiciat concubinam, vel si ea habitat extra domum, nisi firmiter proponat, ad eam non accedere, *addita experientia alicujus temporis*, juxta prudentiam confessarii » (*Decal.* l. 7, cap. 1, § 2, n. 2). Si Tamburini experientiam alicujus temporis exigit, hæc sane *ante* concessam absolutionem adhibenda est.

Cardenas: « Mihi a principiis intrinsecis certa est sententia quæ docet, *ne semel quidem* posse absolvi concubinarium nisi prius expellat feminam, cum potest expellere » (*Crisis.* disp. 18, n. 119). Quam thesim hoc loco fuse probat ratione et auctoritate.

Francolini: « Cum occasio est maxime voluntaria, ut est concubina quam quis domi suæ alit ut cum ea commodius peccet, severissime agendum est, et ideo is *nec semel* est regulariter absolvendus, antequam hujusmodi concubinam domo ejiciat, *utcumque promittat se ejecturum* » (*De Praxi discipl.* l. 3, cap. 10, n. 8).

Lacroix tenet, « *ne quidem semel* absolvi posse qui domi retinet mulierem, ob quam ipse est in periculo vel occasione proxima peccandi » (lib. 6, part. 2, n. 1831).

Reuter: « Si quis occasionem proximam *continuam*, quæ sine peccato et gravi incommodo et nunc et ante vitari poterat, ideoque voluntaria est, non deseruit, per se loquendo *absolvendus non est*, nisi eam *prius* deserat, etsi promittat se eam deinceps deserturum. Ita S. Carolus Borromæus. Et ratio est, quia, cum pœnitens eam facile deserere potuerit neque deseruerit, suspectum est ejus propositum, exponiturque periculo proximo relabendi eamque non de-

serendi, nisi timor negandæ absolutionis retrahat ». Hanc regulam, quam variis exemplis illustrat, confirmat deinde auctoritate S. Caroli Borromæi, S. Francisci Xaverii et S. Thomæ a Villanova (*Neo-Conf.* n. 173).

119. — Sed hæc abunde sufficiunt de antiquis theologis ut liquido constet thesim nostram quam maxima fulciri auctoritate. Ad quæ adverte: 1º Auctores illi uno ore hanc agendi rationem confessariis, non solum ut consilium suadent, sed disertis verbis *præcipiunt*. 2º Licet imprimis agant de concubinatu, eoque occulto, ratio quam allegant valet de omni occasione continua valde periculosa, i. e. cui pœnitens valde inhæret et cujus remotio est res magnopere ardua; id quod multi indicant addendo: « *et similia* ». (Cfr. n. 114).

120. — Hoc argumentum ex auctoritate antiquorum Ballerini (*Opus. De Pœn.*, n. 110 sq.) labefactare conatur; ast invita Minerva. Etenim primo nihil respondet ad innumeros illos sanctos vel præstantissimos auctores quos adduximus. Deinde quos opponit auctores parum contra thesim nostram efficiunt. Nam alii de occasione proxima *indiscriminatim* loquuntur, neque se agere dicunt de iis qui versantur in occasione *continua*, de qua sola in hac thesi 5ª agitur; alii de hisce quidem agunt, sed asserunt tantum, eos *promittere* debere occasionis remotionem — quod et nos dicimus; — non tamen dicunt, eos jam statim absolvi posse. Sic e. g. Suarez, cujus verba supra (n. 111) retulimus, de occasionariis *in universum* docet: « *Non semper* debere confessorem cogere pœnitentem, priusquam illum absolvat, ut id exsequatur quod facere tenetur,... quia hæc obligatio non semper urget pro statim ». Sed et nos cum S. Alphonso idem plane dicimus: valent enim hæc verba primo quidem de occasione *interrupta* (thes. 4ª); deinde interdum etiam de occasione *continua*, de qua thesis nostra statuit, quod « non semper » quidem, sed solum « ordinarie loquendo » absolutio sit differenda usquedum separatio fiat. Quinimo Suarez hoc loco satis indicat se thesi favere: expresse enim supponit, « ex aliis conjecturis » suspicionem de inconstantia propositi removendæ occasionis « *probabiliter* concipi » non posse; atqui si occasio continua est valde periculosa, certe talis suspicio probabiliter concipi potest, ut alii theologi passim aiunt et testatur experientia. Etiam Busenbaum docens, « magnam præsumptionem » indispositionis adesse « in iis qui aliquoties moniti concubinam non separant » (*ap. S. Alph.* VI, 433 9º), nequaquam significat, tales concubinarios statim absolvi posse, aut confessarios qui illos aliquoties absolverint recte egisse. Quodsi pauci quidam auctores nimis ambigue aut etiam nimis benigne hac de re loquuntur, eorum profecto auctoritas non valet contra ingentem illam theologorum turbam quos adduximus.

121. — Unde mirari non subit, etiam ex *recentioribus* theologis prudentiores plerosque omnes doctrinæ Sancti Alphonsi expresse adhærere.

Ita e. gr. LEHMKUHL: « Si occasio est *continua, plerumque nullatenus absolvi debet* qui eam nondum removit. Ita etiam S. Carolus Borromæus, S. Alphonsus,

S. Franciscus Xaverius, S. Thomas a Villanova, qui in tractando foro pœnitentiali eximie versati erant » (*Theol. Mor.* II, n. 618). Item: « Qui versantur in proxima occasione libera eaque *continua*:... *vix unquam* absolvi possunt, antequam re ipsa occasionem reliquerint » (n. 624).

Scavini: « Si agitur de occasione *præsenti* seu *in esse*, pœnitens, nisi prius occasionem reliquerit, ne *prima* quidem vice, ordinarie loquendo, etsi illam amovere promittat, est absolvendus, si illam possit statim dimittere » (*De Pœn.* n. 340).

Gury: « *Quær.*, an pœnitens qui promittit sincere se derelicturum esse occasionem peccandi proximam possit absolvi, antequam eam deseruerit? *Resp.* Negative, generatim loquendo, si agatur de occasione *continua* seu *in esse*, ne *prima* quidem vice » (*De Pœn.* n. 576; al. n. 477).

Philippus Salvatori, in opusculo a Ballerini pluries edito, hæc habet: « Illi qui *domi* habet occasionem proximam liberam vel qui *penes se* tenet rem furtivam, *semper absolutionem differrem, etiamsi dat signa veri doloris ;* idque propter duas rationes: tum quia utraque obligatio, ut suppono, statim adimpleri potest,... tum quia præsens oblectamenti et pecuniæ possessio tantam in cor hominis exerit vim, ut obligationis suæ obliviscatur; unde expedit eum quadam necessitate constringere ut se haud vinci sinat ». Hoc autem monitum dicit innixum doctrinæ certæ et praxi tum propriæ tum aliorum quos consuluit (*Instr. prat.* part. 2, § 1; ed. Ballerini 3ª, p. 195).

Müller: « Si agitur de occasione *in esse*, pœnitens ne *prima* quidem vice absolvendus est » (*Th. Mor.* § 156, Princ. III).

Berardi de casu concubinatus occulti dicit: « Regula esset adhibere rigorem et differre absolutionem, usquedum promissio adimpleta fuerit de facto » (*De Occas.* n. 51) [1].

Frassinetti: « Quando agitur de occasionibus prioris generis (scil. *in esse*) ordinarie neganda est absolutio, donec ablata fuerit occasio » (*De Pœn.* n. 461).

Ciolli: « Ordinarie nec prima vice absolvi potest qui versatur in occasione proxima voluntaria *permanente*... Est *communis* doctorum antiquorum et recentium » (*Dirett. prat.* n. 70, VIII).

Prümmer: « Si quis versatur in occasione proxima voluntaria et *continua*, generatim absolutio differenda est, usquedum pœnitens hanc occasionem reapse removerit. Hinc e. g. concubinarius non est absolvendus, antequam concubinam e domo ejecerit » (*De Pœn.* n. 451).

Bucceroni: « Si occasio est *præsens* seu *in esse*, quæ facile dimitti statim possit, absolvendus non est pœnitens, antequam occasionem deseruerit » (*Comment.* V, n. 28).

Aertnys, post expositam et probatam doctrinam S. Alphonsi dicit: « Hac in re *Doctores* tam antiquiores quam recentiores *consentiunt*, uti probavi in periodico *Revue Théol.* 1901, p. 257 sqq. » (II, 476).

Tanquerey: « Qui versatur in occasione proxima libera et *continua* (v. g. in concubinatu) regulariter non est absolvendus, antequam de facto occasio remota fuerit. Ita *communiter* cum S. Alphonso;... contrarium quidam pauci tenent: Ballerini-P., Génicot, Noldin » (*Theol. Mor.* III, n. 624). Merito hic auctor hanc sententiam post S. Alphonsum *communem* dicit; unde ab aliis auctoribus adducendis abstinemus.

---

[1] Ita in editione 6ª, in qua auctor totam illam quaestionem de occasione *in esse* reformavit et priores editiones in multis emendavit.

122. — Singulari tamen mentione dignum est, quod ipsa etiam quædam Concilia Provincialia hanc agendi rationem confessariis sequendam præscribunt. Sic Conc. Prov. *Coloniense* anni 1860 hæc habet: « Caveat confessarius, ne imprudenti benignitate crudelis evadat in pœnitentes. Quod tunc imprimis accideret, si illis, qui in proxima graviter peccandi occasione libere et sua sponte versantur, absolutione, *nondum dimissa occasione*, facile largiretur » (Tit. II, cap. 14; *Coll. Lac.* V, 351). Item Conc. Prov. *Neogranatense* anni 1868 dicit: « Non sunt absolvendi..... qui in proxima et libera peccandi occasione versantur, *nisi eam removerint* » (Tit. IV, cap. 8; ib. VI, 513).

Probatum igitur manet, thesim nostram quam maxima theologorum omnium temporum auctoritate firmari; refragantes esse relative paucos. Unde nostro judicio opposita sententia neque intrinsece neque extrinsece vere probabilis dici potest.

Exceptiones dilucidantur

123. — Supra in thesi (n. 113) cum S. Alphonso diximus, *ordinarie loquendo* pœnitenti in occasione voluntaria et continua versanti differendam esse absolutionem, usquedum occasionem dimiserit. Jam in § 8 (p. 68 sq.) S. Auctor id explicat et duas recenset exceptiones a statuta regula generali.

1ª Exceptio: *Si pœnitens in raro quodam casu extraordinarium dolorem et propositum ostendit.*

Explicanda est hic quædam antilogia in sancto Auctore. Supra enim (n. 452, § 10; cfr. p. 21) dixerat: « Ordinarie loquendo nunquam absolvi debet pœnitens qui versatur in occasione proxima voluntaria, *etiamsi extraordinaria signa doloris afferat*, antequam occasionem removeat ». Hic autem (n. 454, § 8; p. 68 sq.) excipit casum « quo pœnitens *afferat extraordinaria signa doloris* ». — Ex contextu vero et locis parallelis apparens illa contradictio optime solvitur. Videlicet in postremo loco S. Doctor non intendit dicere *quælibet* signa extraordinaria sufficere ut hujusmodi occasionarius « in esse » statim absolvatur — qualia e. g. in simplici recidivo sufficiunt ut dispositus habeatur, et quæ sæpe occurrunt (cfr. infra thes. 18ª) —, sed *talia* postulat signa quæ magnum et *extraordinarium dolorem et propositum* produnt, et quæ *raro* tantum inveniuntur. Vult enim ea signa esse talia ut « confessarius possit judicare non adesse periculum illud propositum infringendi », a. v. hoc periculum jam non debet esse solide probabile, sed debet esse moraliter certum pœnitentem statim post absolutionem occasionem illam esse remoturum. Hinc

ita expressius in *Praxi:* « Excipitur casus in quo pœnitens *talia* afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter judicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione » (n. 67). Quapropter supra in textu (p. 66, § 4) dixit, talem pœnitentem non esse absolvendum, « quascumque promissiones proferat »; et in *Conf. Dir.:* « Etiamsi id cum juramento et cum mille signis veri propositi promitteret » (supra n. 113). Quibus consonant quæ S. Doctor dicit in *Selva:* « Dictum est: *ordinarie loquendo;* quia in aliquo *casu raro* confessarius absolvere posset aliquem, antequam occasionem removeat, uti esset, si pœnitens jam ostendisset *magnum* emendationis propositum una cum *magna* animi compunctione » (Istruz. IV, n. 15). Et alibi talem casum exponens ait: « Si concubinarius est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo *casu raro:* puta, si vir nobilis doleat profusis lacrymis, vel post terribilem concionem auditam, vel si confiteatur territus a morte socii, vel a magno periculo mortis evasus ». Sed neque hoc pro praxi admittit S. Doctor, nisi quædam necessitas urgeat; statim enim subdit: « Hoc tamen tantum admittendum puto, quando est moraliter impossibile quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit; vel quando urgeat necessitas communicandi ad vitandam magnam infamiam. Nam alias semper absolutio est differenda; quia experientia nimis constat, quod, obtenta absolutione, difficulter occasio postea aufertur, et sic facillime reditur ad vomitum » (*Th. M.* III, 436).

Certum igitur est, juxta S. Alphonsum in hac prima exceptione a regula requiri signa talia quæ *extraordinarium dolorem et propositum* ostendant; quod quidem tantum *in raro quodam casu* accidit.

124. — Hinc merito ait Em.mus van Rossum: « Doctrina de signis extraordinariis, quam S. Doctor tradit ad dignoscendam veram dispositionem *simplicis recidivi*, inconsiderate applicari non potest pœnitenti, in *occasione voluntaria in esse* versanti... Nisi dicere velimus, S. Doctorem sibi ipsi contradicere, ac non intellexisse quid scripserit, dicendum evidentissimum esse, signa extraordinaria, quæ in simplici recidivo veram dispositionem arguere possunt, non sufficere secundum doctrinam S. Doctoris ad absolvendum eum qui in occasione voluntaria in esse versatur, ea nondum remota. Unde prima illa exceptio est pro *casu raro* » (*Comm. de jud. sacram.* ed. 2, p. 62). Consentiunt alii quoque recentiores. Sic Bucceroni de hisce signis extraordinariis scite ait: « Absolvi potest (pœnitens) ante dimissam occasionem, stante *extraordinario dolore et proposito*, quia tunc grave periculum (scilicet inconstantiæ in promissis) ex optima dispositione removetur » (*Comment.* V, n. 28). Et Berardi hanc primam exceptionem ita explicat: « Si non solum adessent signa extraordinaria, sed omnia essent ita disposita, ut de separatione proxime ventura *jam dubitari non posset* » (*De Occas.* n. 52).

125. — Concludendum igitur est: signa illa extraordinaria debent esse talia quæ extraordinariam conversionem ostendant et

certitudinem moralem ingerant de removenda statim occasione. Porro talia signa in raro tantum aliquo casu occurrunt. Si occurrunt, pœnitens, utpote dispositus, *per se* statim absolvi posset. Sed tamen etiam in hoc casu raro, confessarius, ut *medicus*, ipsi differre deberet absolutionem, «si commode differri posset», ut S. Doctor in fine textus (supra, p. 69) cum Roncaglia dicit, id est, si nulla adest necessitas absolutionem statim accipiendi (cfr. III, 436). Etenim, semper aliqua ratione timendum est, ne salutaris illa doloris extraordinarii impressio ex præsentia personæ amatæ brevi transeat, neque unquam in posterum redeat. Quare confessarius potius hac ipsa dispositione extraordinaria utatur oportet, ut per dilationem absolutionis remotionem occasionis certo consequatur et sic pœnitentis perseverantiam stabilem reddat.

Hæc præsertim valent in materia turpi, et omnium maxime si de persona cohabitante agitur. Nam in aliis casibus, quando nimirum non est tanta peccati adhæsio, sæpe paulo mitius de tali dispositione extraordinaria judicari potest, quia facilius exsulat periculum probabile infringendi propositum. (Vide supra n. 114).

126. — 2ª Exceptio: *Magna difficultas redeundi ad eundem confessarium aut iterandi confessionem apud alium.*

Ratio hujus exceptionis clara est. Si pœnitens aut nequaquam aut « nonnisi post longum tempus » redire posset ad confitendum, ipsique « magnum onus » esset apud alium confessionem repetere adeoque diu in statu peccati mortalis remaneret, jam « constitutus est in morali necessitate accipiendi absolutionem »; proinde periculum infringendi propositum non amat, sed invitus illud subit; non secus ac ille qui est in occasione necessaria. Atqui qui in tali versatur conditione, jure a Deo sperare potest gratiam illam specialem et uberiorem, qua adjutus propositum suum de statim dimittenda occasione exsequatur. Unde periculum infringendi hoc propositum e proximo evadit remotum, ac propterea « tunc pœnitens jus habet ut statim absolvatur ».

Atvero hic sedulo advertendum est, utramque difficultatem debere esse *vere gravem*. Nam S. Doctor in sua argumentatione merito recurrit ad « magnum onus », ad « grave damnum », uti in occasione necessaria. Quapropter in hac exceptione applicanda confessario magna prudentia opus est. Ut enim experientia constat, haud raro reperiuntur pœnitentes, qui faciliore negotio longam suscipiunt peregrinationem ut carpant absolutionem, quam ut personam turpiter amatam statim dimittant. Neque etiam onus apud alium sacerdotem iterandi confessionem multis pœnitentibus ita grave est. Certe tamen grave erit pœnitenti qui hactenus ex rubore peccata reticuisset et sacrilege confessus fuisset; quapropter huic omnino

absolutio statim danda esset, ne secus periculo exponeretur iterum sacrilege confitendi simulque permanendi in occasione.

Itaque *per se* necessitas repetendi apud alium confessionem non sufficeret, ut pœnitens statim absolvatur, sed tantum « si magnum incommodum inveniret in iteranda confessione apud alium », sicut Marc sanctum Alphonsum explicat (II, 1822); eodem modo Aertnys (II, 476); item Berardi: « Si oporteat absolvere pœnitentem hic et nunc, quia redire non possit, et confessionem repetendi apud alium nimiam difficultatem habeat » (*De Occas.* n. 52) [1]. Valeat igitur hic regula supra (n. 114) a Lehmkuhl tradita: si pœnitenti notabiliter gravius est ad confessionem redire vel confessionem apud alium repetere, quam statim occasionem removere, hic et nunc danda est absolutio; secus non.

Ceterum circa hæc recensita incommoda generatim notandum est, ea pensanda esse relate ad maximum commodum quod sperari potest ex dilatione absolutionis: si nempe pœnitens per hoc remedium valde probabiliter erueretur ex hac occasione adeo periculosa quæ multorum hactenus peccatorum causa fuit, et ita per tempus multo longius, forte semper, in statu gratiæ esset perseveraturus: certe, nisi alia obstet ratio, illa incommoda relative minora subire deberet, ut tantum commodum consequeretur.

127. — In fine hujus numeri (§ 8, p. 69) S. Doctor dicit, hujusmodi pœnitentem, qui ob prædictas graves rationes jam *semel* absolutus est, sed promissis de removenda occasione non stetit, non amplius esse absolvendum, « nisi forte afferat extraordinaria signa doloris, ut supra » in prima exceptione, i. e. nisi extraordinarium dolorem ostendat, quo periculum probabile iterum infringendi propositum removeretur.

Post hanc explicationem illius: « *ordinarie loquendo* » nemo mirabitur, S. Alphonsum in *Selva* dixisse, has duas exceptiones occurrere dumtaxat « in casibus rarissimis » (Istr. IV, n. 15).

128. — Ut supra (n. 106, 3º) notavimus, in hac etiam thesi supponimus agi de pœnitente qui firmus adhuc stat in fide, neque ob dilationem absolutionis sacramenta est relicturus. Attamen hisce tristibus temporibus haud ita raro occurrit hæc *tertia* exceptio: *si nempe prudenter timetur, ne pœnitens ob dilationem a sacramentis alienetur et in peccatis tabescat.* Tunc enim, ut infra (thesi 22ª, III) videbimus, juxta S. Alphonsum etiam dubie disposito absolutio

---

[1] Alibi optime idem Berardi: « Manifestum est quidem, plures pœnitentes magnam habere difficultatem repetendi confessionem apud alium; unde si isti absque absolutione dimitterentur, periculis pluries indicatis, nempe indignationis, sacrilegiorum etc. exponerentur. Sed non minus manifestum est, plures alios pœnitentes (et maxime illos qui confessarium stabilem non habent, et jam innumeris confessariis eadem peccata accusaverunt) nullam omnino repetendi confessionem apud alium difficultatem habere. Tunc autem ex hoc capite quænam damna erunt timenda? In hac itaque hypothesi dicerem, circumstantiam de qua loquimur, quominus absolutio differatur non impedire » (*De Recid.*, n. 159).

statim sub conditione conferenda esset; ergo a fortiori concedenda est absolutio illi qui promissis nondum inconstans fuit et hic et nunc firmiter proponit, se statim post confessionem occasionem esse remoturum; secus enim dilatio periculum infringendi propositum potius augeret, ut merito advertit Aertnys (II, 476), ac proinde pœnitens in pejus rueret.

Sunt quidem et aliæ exceptiones, in quibus illico danda est absolutio occasionariis « in esse », v. g. periculum mortis in quo statim occasio tolli nequit, necessitas communicandi, periculum gravis infamiæ; verum hæ exceptiones proprie non pertinent ad hanc thesim, ubi agitur de occasione *voluntaria* quæ *statim* auferri potest, sed ad thesim sequentem; quia hæ exceptiones efficiunt ut hujusmodi occasio, saltem ad aliquod tempus, sit moraliter *necessaria*. Unde eas in proxima thesi tractabimus.

Refutantur Objectiones

129. — *Objectio*, quam ipse S. Alphonsus in textu (supra p. 68, § 7) sibi opponit, huc redit: Debet absolvi pœnitens dispositus, qui habet pro se opinionem probabilem. Atqui probabile est, pœnitentem de quo in thesi esse dispositum. Ergo absolvi debet.

Respondet S. Doctor bifariam. 1º Negat *Minorem*. Non enim probabile est, hunc pœnitentem esse dispositum; nam vult quod certo non licet: vult enim se exponere periculo probabili infringendi propositum, scilicet non removendi occasionem, ad quod sub gravi tenetur. Atqui exponere se periculo probabili peccandi, seu non implendi obligationem gravem, illicitum est. (Cfr. thes. 1ª). Ita ex parte judicis. — 2º Distinguit *Majorem:* debet absolvi hujusmodi pœnitens, *transeat;* debet *statim* absolvi, *nego;* nam, juxta Doctores communiter, « non habet jus ut statim absolvatur »; propter graves enim rationes pœnitenti etiam disposito absolutio differri potest, imo debet quando bonum pœnitentis hoc postulat, ut in casu. (Cfr. n. 116 et thes. 20ª). Ergo « dato sed non concesso », quod confessarius ut judex pœnitentem tamquam dispositum absolvere posset, tamen ut medicus ipsi absolutionem differre « tenetur » usquedum occasio auferatur.

130. — Objectiones quæ ab aliquibus recentioribus contra thesim moventur, hæ sunt:

Obj. 1º. « Quæstio, an confessarius possit pœnitentem absolvere antequam occasionem dimiserit, a recentioribus doctoribus inducta est; nam veteres ne suspicati quidem videntur, quemquam id negaturum. Consilium, quod subinde doctores monent suggerendum, ut, si facile fieri possit, prius removeatur occasio, paulatim a qui-

busdam versum est in regulam necessariam ». Ita Ballerini (*Opus. De Pœn.* n. 110). — Quem sequens Génicot censet, doctrinam S. Alphonsi aliorumque non esse sequendam: « Nam ita, absque ratione convincenti, erigitur in obligationem quod antiquiores theologi tantum ut consilium prudentiæ confessarii submisere » (n. 373).

Resp. Ex iis quæ copiose adduximus (n. 117 sq.) cuique evidenter constabit: 1º hanc quæstionem nequaquam a recentioribus inductam esse, sed quamplurimos et celebratiores theologos antiquos, una cum pluribus sanctis, hanc quæstionem *ex professo* tractasse, et asseveranter dixisse, versantes in occasione voluntaria continua, præcipue si de persona cohabitante agitur, ordinarie loquendo, absolvendos non esse, antequam occasionem dimiserint; — 2º eosdem theologos, a S. Carolo Borromæo usque ad S. Alphonsum, id non ut consilium suggessisse, sed ut *regulam præceptam* ordinarie sequendam statuisse. Objectio ergo nititur argumento historico plane falso.

Obj. 2º. Consilium hoc sequendum tantum est, « quando nulla rationabilis causa secus agendi appareat,... ut si pœnitenti grave accideret, Communionem omittere ratione solemnitatis, indulgentiæ, magnæ devotionis erga Patronum etc. ». Ballerini (*l. c.* n. 113).

Resp. Causæ illæ, scilicet omissio Communionis, « ratione solemnitatis, indulgentiæ, magnæ devotionis erga Patronum etc. », re vera minoris sunt momenti ut propterea pœnitens in tam gravi periculo non dimittendi occasionem proximam relinquatur, ac proinde « rationabiles » non sunt. Præterea ita frequentes sunt, ut omnibus fere concubinariis occultis, separationem promittentibus, statim absolutio concedenda foret; quod magnam morum corruptelam induceret. Secus esset, si Communio omitti non posset absque nota gravis infamiæ; tunc enim, ut auctores communiter dicunt, pœnitens esset in morali necessitate statim recipiendi absolutionem. Neque etiam quod pœnitenti « grave accideret », hanc ingratam medicinam sibi præberi, per se ratio valida est. Medicina enim hæc, licet ingrata, generatim huic occasionario est necessaria ut e faucibus diaboli eripiatur, ac proinde a sanctis et theologis est præscripta. Prudens autem medicus, modo sane quam humanissimo potest, præbet medicinam necessariam, etiamsi ingrata sit et infirmus reluctetur. Neque hæc amara medicina ordinarie nocebit, quinimo pœnitens postea, remota nempe occasione periculosa, de ea data gaudebit, sicut infirmus post recuperatam salutem. Si tamen ea vere nocitura prævidetur, casu nimirum quo pœnitens adeo indignaretur ut propterea sacramenta relinqueret et in peccatis tabesceret, tunc sane confessarius, ut prudens medicus, eam non præbebit; imo etiam pœnitenti dubie disposito statim absolutionem, utique conditionatam, concedet, uti docent S. Alphonsus aliique auctores. (Cfr. supra n. 128).

Obj. 3º. Ratio S. Alphonsi « supponit quod minime certum est, scilicet graviter peccare eum qui se tantum probabili periculo exponeret »; hæc ergo obligatio a lege naturali non imponitur. Ita Génicot (n. 373).

Resp. Esse certum legis naturalis præceptum vitandum esse periculum probabile et grave peccati mortalis, undique in 1ª thesi probavimus, et rationes ab egregio adversario oppositas diluimus. Sed præterea in casu nostro adesse periculum valde probabile et gravissimum infringendi propositum seu non removendi occasionem proximam in eaque voluntarie remanendi, docent passim theologi et, experientia ducti, testantur sancti missionarii, quos plerosque supra adduximus.

Obj. 4º. Propter duas illas exceptiones, quas memorat S. Alphonsus, ejus doctrina practice non ita multum ab opposita sententia discedit. Hæc Génicot (*l. c.*).

Resp. Si illæ exceptiones juxta hermeneuticæ regulas explicantur: i. e. juxta contextum et locos parallelos sancti Doctoris, uti supra (n. 123 sqq.) fecimus, utraque doctrina practice multum differt.

Obj. 5º. Regula de auferenda ante acceptam absolutionem occasione continua « nimis dura » est: « Cum enim pœnitens supponitur sufficienter dispositus, negatio absolutionis rationem remedii habet, quo præcaveatur relapsus; atqui confessarius non potest obligari ad præscribendum remedium quod non est omnino necessarium, neque jus habet tale remedium injungendi ». Ita Noldin (III, n. 414).

Resp. Pace clarissimi adversarii, plura hic advertere liceat. 1º Nequaquam « nimis dura » hæc regula dici potest, quippe quæ inspirata a vera charitate erga miseros peccatores, qui secus gravi periculo permanendi in statu peccati expositi relinquuntur; unde a tot viris sanctis aliisque præstantissimis theologis eam ordinarie sequendam confessariis graviter inculcatam vidimus. Quinimo opposita praxis potius dura dicenda est; ac propterea S. Thomas a Villanova confessarios illam imprudenter sequentes « impie pios et pie impios » vocat (supra n. 117). Consentiunt alii Sancti supra adducti. — 2º Neque pœnitens, qui sciens volens tam gravi periculo infringendi propositum et non removendi occasionem se committit, « sufficienter dispositus » haberi potest. — 3º Etiamsi dilatio absolutionis esset tantum remedium, erit, saltem ordinarie, testibus sanctis et doctoribus, remedium moraliter necessarium et certe efficacius, quam ejusdem immediata concessio; atqui, ubi agitur de præcavenda morte animæ per relapsum, confessarius obligatur adhibere remedia certe efficaciora, eodem modo ac tenetur medicus, ubi periclitatur vita corporalis. (Cfr. thes. 7ª). — 4º Confessarius certo « jus habet tale remedium injungendi »; nam, ut passim docent

theologi, pœnitens, etiamsi ceteroquin dispositus esset ut a confessario ut judice absolveretur, jus tamen non habet ut statim absolvatur, si urget gravis quædam obligatio quam secus probabiliter non esset adimpleturus. Si pœnitens hoc remedium dilationis accipere nollet, ostenderet se non esse sub omni respectu rite dispositum (Cfr. supra p. 68, § 7, 1° et thes. 20ª).

Easdem similesve rationes, a cl. Pighi objectas, confutatas etiam vide apud Emin. Card. van Rossum (*Comment. de jud. sacr.*, ed. 2ª, p. 56-67)

Atque hæc quidem hactenus de occasione proxima voluntaria; ad necessariam transeamus.

CAPUT IV.

De occasione proxima necessaria.

131. — S. Alphonsus primo (n. 455) tractat de ratione agendi confessarii, prout judex est, cum iis qui degunt in occasione proxima necessaria; deinde (n. 456) de ejus cum iisdem agendi ratione, prout est medicus. Unde duplex articulus.

ARTICULUS I.

De ratione agendi confessarii, ut judicis, cum iis qui versantur in occasione proxima necessaria.

Textus S. Alphonsi
(VI, 455)

« Dubitatur 4º. *An possint absolvi qui sunt in occasione proxima necessaria?* ».

§ 1. — « Ut supra innuimus, illa quidem dicitur occasio *ne-* « *cessaria* quæ non potest relinqui vel physice vel moraliter. — « *Physice*, nempe si quis esset in carcere aut triremi, a quo discedere « non posset; vel si esset in articulo mortis, in quo non haberet « tempus vel modum expellendi amicam. *Moraliter* vero, nempe si « occasio tolli non posset sine scandalo. — In his casibus bene absolvi « potest, occasione non sublata; cum non teneatur pœnitens tunc « illam auferre ».

§ 2. — « Sed hic Dubium fit: *An possit quis manere in occasione « proxima, si aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in « vita, fama aut fortunis?*

« Negat Merbesius [1], dicens pro nullo damno temporali aliquem « excusari a dimittenda occasione proxima. Et in parte consentit « Wigandt [2], ubi ait esse obligationem auferendi occasionem, etiamsi « infamia sit subeunda.

« Communiter tamen affirmant doctores non teneri pœnitentem « occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus

---

[1] De pœnit., qu. 48, cas. 4, reg. 2, 5 et 6. — [2] Tr. 5, n. 50, resp. 3.

« sit: dummodo interim sit paratus uti mediis præscriptis. Ita Na-
« varrus [1], Sanchez [2], Lugo [3] cum communi, Palaus [4], Tournely [a]),
« Anacletus [5], Holzmann [6], Bonacina [7], Viva [8], Elbel [9], Laymann [10],
« Renzi [11], Sporer [12] (qui tamen [13] cum Palao non excusat aliquem
« mediocriter divitem, qui ne patiatur damnum centum ducatorum,
« occasionem non vellet deserere). Et consentit Concina [14], si pœ-
« nitens ex dimissione occasionis deberet pati infamiam aut gravis-
« simum detrimentum ».

§ 3. — « Ratio, quia occasio peccandi non est in se peccatum
« neque affert necessitatem peccandi; quapropter bene potest cum
« ea consistere vera detestatio peccatorum et firmum propositum
« non relabendi ac adhibendi debita remedia. Et quamvis præceptum
« vitandi occasionem proximam per se obliget ad non permanendum
« in occasione; tamen illud intelligendum est obligare cum quis
« voluntarie in occasione persistit: non vero si maneat ex necessitate.
« Moraliter autem hæc necessitas intervenit, quando sine magno de-
« trimento aut incommodo nequit occasio dimitti; etenim tunc pe-
« riculum formale et proximum, opportunis adhibitis mediis ad non
« relabendum, fit materiale et remotum. Non enim qui est in peri-
« culo, sed *qui amat periculum* (ut dicitur in Eccli. 3), *in illo per-*
« *ibit:* non autem amat periculum qui invitus subit. Hinc optime
« S. Basilius [b]) dixit: *Qui urgenti aliqua causa et necessitate, se pe-*
« *riculo objicit vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet,*
« *non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire: et ideo*
« *magis providebit Deus ne illo pereat.* — Idem satis confirmatur ex
« cap. *Laudabilem, de frig. et mal.*, ubi sic habetur: *Quod si ambo*
« (sermo est de conjugibus ab initio impotentibus) *consentiant simul*

[1] Man., cap. 3, n. 20. — [2] Decal., lib. 1, cap. 8, num. 3. — [3] Disp. 14, num. 152. — [4] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, num. 8. — [5] Tr. 14, dist. 8, num. 46. — [6] De Pœnit., n. 580, v. *Dixi.* — [7] De Matr., qu. 4, punct. 14, n. 11. — [8] De Pœnit., qu. 3, art. 4, n. 6 et 7. — [9] Confer. 4, de Proposito, num. 104. — [10] Lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 9. — [11] De Pœnit., cap. 2, sect. 1, qu. 15. — [12] Part. 3, cap. 2, n. 326. — [13] Loc. cit., n. 328. - *Palaus*, loc. cit., n. 14. — [14] De Pœnit., lib. 1, diss. 3, cap. 2, § 4, n. 27. - *Sanch.*, Decal., lib. 1, cap. 8, n. 3.

NOTÆ CRITICÆ EX EDITIONE GAUDÉ. — [a]) Contin. Tournely, *de Peccat., part.* 1, *cap.* 2, *Append., reg.* 3, monet ut eo casu absolutio differatur, si possit, usque ad certa emendationis signa; si vero non possit, et pœnitens alia remedia lubenter accipiat, absolvatur.

[b]) S. Basilius ita a Sanchez, *Decal., lib.* 1, *cap.* 8, *n.* 3, citatur; sed citatus textus non est S. Basilii; forsitan est commentarium in ejus Constitutiones monasticas, cap. 5.

« *esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem.* Ergo (ut « notat Sanchez), ne ipsi infamiam patiantur, bene eis permittitur « simul habitare cum periculo tactuum ».

§ 4. — « Remedia autem pro his qui reperiuntur in occasione « proxima præsertim peccati turpis sunt, videlicet: major oratio, « frequentior usus sacramentorum, quotidie ante imaginem cruci- « fixi renovare promissionem non amplius peccandi, vitare ne ver- « setur solus cum sola, fugere ab aspectu complicis, et similia ».

§ 5. — « Hinc dicunt Sporer [1] cum communi, Busenbaum (ut « supra, *n.* 433, *ad* 10), Mazzotta [2], Palaus [3] cum Graffio, Fer- « nandez, etc.; Laymann [4] cum Navarro [5], Sanchez, Sá, Henriquez, « Cajetano et Philiarcho, quod ii qui ab officio, negotiatione, aut « domo in qua peccant discedere nolunt, quia sine magna difficul- « tate non possunt, absolvendi sunt, si sint parati remedia adhi- « bere [c]). — Idem dicit Viva [6] de chirurgis qui in medendis mulie- « ribus, et de parochis qui in excipiendis earum confessionibus, « pluries peccant, si aliter ipsi non possent vivere juxta suum « statum. Vide dicta *Lib.* V, *n.* 63, v. *Diximus* ».

Explicatur quæ sit occasio necessaria

132. — Quid sit occasio proxima *physice* necessaria, explicatione non indiget: S. Doctor in textu (§ 1) aliqua exempla adducit. Ab aliquibus vocatur etiam *simpliciter* necessaria, quia prorsus vitari nequit. Occasio autem *moraliter* necessaria ea est, quæ omnino quidem vitari posset — ac proinde physice est libera —, sed nonnisi cum gravi damno aut incommodo extrinseco.

133. — In dijudicanda aliqua occasione *moraliter* necessaria alii rigidius, laxius alii locuti sunt.

Certe nimis severa est sententia Merbesii et Wigandt apud S. Alphonsum (§ 2). Sed contra nimis laxa est regula quam tradit

[1] Part. 3, cap. 2, n. 322. — [2] Tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 2, qu. 1. — [3] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 12 et 17. - *Graff.*, Decis. aur., part. 1, lib. 1, cap. 28, n. 23. - *Anton. Fernandez*, Instruccion de Confesores, part. 1, docum. 8, num. 3. — [4] Lib. 5, tr. 6, cap. 4, num. 9. — [5] Man., cap. 3, num. 21. - *Sanch.*, loc. cit., n. 3. - *Sà*, v. *Absolutio*, num. 12, (in edit. genuina, num. 13). - *Henriq.*, lib. 4, cap. 24, num. 4. - *Cajetan.*, Sum., v. *Periculum*. - *Philiarch.*, part. 2, lib. 2, cap. 32, concl. 3. — [6] De Pœnit., qu. 3, art. 4, n. 9.

---

[c]) Non omnes hic citati auctores dicunt istiusmodi pœnitentes esse absolvendos aut posse absolvi; sed quidam ex iis (quod sane eodem recidit) negant teneri occasionem deserere: et sunt Sanchez, Cajetanus et Viva.

Joannes Sanchez, nimirum eamdem sufficere causam, quæ excusat a lege positiva, v. g. a præcepto jejunii, audiendi Missam etc.; unde concludit, concubinam ejiciendam non esse, « si (quis) ex ejectione magnum emolumentum esset non acquisiturus; sufficit namque proponere deinceps non peccare » (*Selecta.* disp. 10, n. 20).

Atvero, cessatio lucri extraordinarii, quæ juxta auctores (cfr. S. Alph. III, 301) sufficit in casu particulari ad omittendam Missam præceptam, *per se* non sufficeret ad constituendam occasionem moraliter necessariam: ad hoc enim generatim damnum *positivum* requiritur. Ratio est, quia ex occasione proxima lucrum facere non necessarium sed superfluum, est occasionem illam sine ulla necessitate ex mera rerum terrenarum concupiscentia directe quærere, eique se ingerere; ac proinde talis occasio esset voluntaria. Contra ex occasione damnum pati in aliqua re, est injuria quam avertere cuique licet. Quodsi ad eam avertendam necesse est occasionem adire vel eam non removere, hæc necessitas ab ipso quasi invito subitur, eo tantum fine ut jus suum tueatur. (Cfr. infra n. 140). Ad hæc, Deus magis urget præcepta legis naturalis, cujus transgressioni occasio proxima exponit, quam legem positivam, quæ per se ad salutem necessaria non est. Neque censetur Deus speciale suum dare adjutorium spirituale illi qui ob merum lucrum boni temporalis, quo non indiget, se exponit proximo periculo ipsum offendendi. Hinc etiam proscriptæ sunt illæ propositiones quæ statuebant, « causam aliquam *utilem* aut honestam », et « bonum spirituale vel temporale nostrum vel proximi » *per se* sufficere ad non fugiendam vel ad directe quærendam occasionem proximam peccandi. (Cfr. supra p. 65, § 1). Merito igitur Reuter: « Non lucrum acquirendum, sed damnum incurrendum facit moralem vitandæ occasionis proximæ impossibilitatem, quæ requiritur ut permanere in tali occasione liceat, id quod constat ex damnatis propositionibus » (*Neo-Conf.*, n. 174).

Dixi, merum lucrum extraordinarium *per se* non sufficere. Nam, ut ex dictis consequitur, aliquando *per accidens* hujusmodi lucrum sufficere poterit, ut occasio moraliter necessaria habeatur; v. g. si quis eo indiget ut familiam suam sustentet, ut debita solvat etc.; tunc enim non mera boni temporalis cupiditate movetur, sed ratione satisfaciendi gravibus sui status obligationibus.

Denique, per se patet, solam difficultatem *intrinsecam*, ortam ex mera animi adhæsione ad occasionem, non sufficere ut occasio moraliter necessaria dicatur; quinimo hæc ipsa adhæsio remotionem occasionis etiam magis necessariam reddit. (Cfr. supra n. 14).

Itaque juxta S. Alphonsum et auctores « communiter » occasio moraliter necessaria adest, non solum « si occasio tolli non posset sine scandalo » (p. 108, § 1), sed etiam si pœnitens pati deberet « notabile detrimentum temporale in vita, fama aut fortunis » (§ 2). Hoc « notabile » S. Auctor inferius explicat per « grave damnum »

per « magnum detrimentum aut incommodum » (§ 3), per « magnam difficultatem », scilicet extrinsecam (§ 5) [1].

134. — *Explicationis* causa, aliqua hic exempla subjicit S. Doctor. Sic ad reddendam occasionem moraliter necessariam non sufficeret « damnum centum ducatorum » pro homine « mediocriter divite » (§ 2) ut permaneat in gravissimo periculo concubinatus, sicut docebat Joannes Sanchez (supra n. 83). In morali vero necessitate versantur « qui ab officio, negotiatione aut domo in qua peccant sine magna difficultate discedere non possunt », id est « si aliter ipsi non possent vivere juxta suum statum » (§ 5). Alibi varios adhuc casus hujusmodi necessitatis adducit. Ita concubina occulta obligari non posset, ut a domo concubinarii discedat: « 1º si ex discessu ei grave eveniret damnum, puta infamiæ, vel aliorum scandalum; 2º si femina nequiret manuum labore se alere, aut in aliqua domo deservire, aut mendicare sine dedecore aut aliquo gravi incommodo: emendicare autem illi quæ non est ad id assueta, semper magnum incommodum afferre videtur » (III, 437). Hisce tamen statim addit S. Doctor: « Sed in his casibus regulariter semper est differenda absolutio », ut scilicet pœnitens prius necessaria remedia adhibeat, quibus periculum formale removeatur. (Cfr. thes. 7ª). Eadem docet de illo « qui causa artis licitae exercendæ, est in proxima occasione peccandi,... si ille esset moraliter impotens ad officium suum deserendum... Hinc communiter possunt excusari a deserenda occasione qui ratione officii cum feminis versando peccant... Idem dicitur de chirurgis qui, feminis medendo, sunt in occasione peccandi... Idem de parocho qui in audiendis feminarum confessionibus voluntarie se polluit. Hi absolvi possunt quin officium deserant. Secus tamen dicendum de confessario simplici, qui tenetur abstinere a confessionibus excipiendis, nisi forte ex hoc infamiam subiret... Potest etiam absolvi femina quæ vivit hospitando et peccat occasione hospitandi, et ideo cadit cum diversis, et etiam cadit cum aliquo particulari: modo proponat inde evitare sola cum solo conversari » (III, 438; item 483, *in fine*). — Obiter tamen advertas, S. Alphonsum statim subjicere, casu quo quis, adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, occasionem illam, utut moraliter necessariam, omnino relinquendam esse: qua de re cfr. thesis 8ª. — Sufficere etiam extremam necessitatem spiritualem proximi, ut quis se gravi peccandi periculo committat jam supra (n. 75) cum S. Doctore vidimus.

135. — Ex hisce omnibus jam colligitur, occasiones moraliter necessarias, nostra imprimis ætate, esse numero frequentissimas; nam « mundus totus in maligno positus est » (*I Joan.* 5, 19). Præcipuas hic enumerare lubet ad juniorum maxime confessariorum institutionem. — Generatim reduci possunt ad grave *damnum* aut *spirituale* aut *temporale*, sive proprium sive proximi.

---

[1] Magna hæc difficultas ab aliis etiam *impossibilitas moralis* vocatur: ita a S. Leonardo a P. M. (*Disc.* n. 21), Cardenas (*Crisis.* diss. 40, n. 152). Reuter (supra), Aertnys (*Nouv. Revue théol.*, 1901, p. 147).

1º Grave *damnum spirituale* occurrere potest:

a) Ratione gravis *scandali;* v. g. si sacerdos vel paterfamilias brevi post confessionem notoriam dimitteret famulam domesticam, quacum occulte peccare solet, certe facilem præberet ansam gravibus suspicionibus, detractionibus et ruinæ spirituali multorum. Notandum tamen, non quamlibet admirationem grave scandalum parere.

b) Ratione *officiorum status;* sic materfamilias, degens in occasione proxima propter maritum onanistam aut sodomitam vel propter alium virum domesticum, domo discedere non potest, quin gravia sui status officia erga filios negligat. Filius aut filia haud raro matrem pauperem sustentare nequit, nisi manendo in aliqua occasione proxima.

c) Ratione *contractus* expressi vel taciti, maritus uxorem, miles exercitum, medicus infirmum, præceptor discipulum, tutor pupillum, parochus parochiam, magistratus curiam, operarius officinam, famulus herum, aut nequaquam aut plerumque saltem non statim relinquere possunt.

d) Ratione *gravioris vel æqualis periculi*, uti facile accidere potest, si v. g. filiafamilias a domo paterna discederet propter fratrem aut famulum peccati complicem; vel si operarius aut opifex in omnibus suæ urbis officinis vel fabricis socios æque pravos inveniret; item si quis ob suam inclinationem ad turpia in conversatione cum mulieribus passim æquale fere periculum cogitationis morosæ vel desiderii pravi experiretur. Atvero cavenda hic est hallucinatio. Sic homo libidinosus non excusabitur a removenda concubina praetexens quod cum omni famula æquale habebit periculum; neque etiam ancilla venusta et animo levis ubique æquale periculum inveniet. Sunt hi ut plurimum prætextus, non rationes vere graves. Si sincere volunt, ordinarie invenient occasiones in quibus levia aut multo minora pericula adsunt: herus quærat famulam probam et provectioris ætatis; ancilla familiam vere honestam.

e) Ratione *extremæ necessitatis spiritualis proximi*, ut supra (n. 75) tradit S. Alphonsus.

f) Ratione gravissimæ necessitatis seu potius *infirmitatis spiritualis propriæ;* quando nimirum graviter timendum est, ne quis infirmus in fide et exsistens in ignorantia non graviter culpabili de obligatione vitandæ occasionis proximæ, si de hac moneatur, sacramenta missa faceret et in pejus rueret; quo casu occasio aliqua, tamquam necessaria *per accidens*, scilicet ob ejus infirmitatem, ad majus damnum vitandum, a confessario non quidem positive permitti, sed tamen, saltem ad tempus, tolerari potest, uti supra (n. 98 seq.) vidimus.

136. — 2º Grave *damnum temporale* dari potest:

a) Si quis deserendo occasionem in *gravem necessitatem* redigeretur, ut quandoque contingere potest cum operariis in officinis, cum famulis etc.; vel etiam generatim si quis *grave damnum in bonis fortunæ* pateretur; v. g. negotiator qui prorsus indigeret aliqua femina sibi periculosa ad negotium suum sustentandum.

b) Si quis *officium aut negotium*, quod sibi proxima occasio esset, dimittere non posset nisi cum tanta difficultate, ut juxta statum suum

vivere non posset (cf. § 5). Hujusmodi generatim sunt viri honestæ conditionis aut liberalibus artibus instituti, qui secus manibus laborare aut famulari deberent, v. g. medici, advocati, notarii, negotiatores mediæ conditionis, scholarum magistri, artium cultores, foliorum publicorum redactores, rei publicæ administri etc. Itaque si illi pro sui officii aut negotii gestione locos vel personas sibi periculosas frequentare, folia prava legere, aliaque hujusmodi facere omnino deberent, a quibus sine gravi damno temporali abstinere non possent, hæ occasiones moraliter necessariæ habendæ sunt.

c) Si quis secus juxta status sui conditionem in litteris, scientiis vel artibus *sufficienter institui* non posset, v. g. juvenes et adolescentes qui in scholis, gymnasiis, universitatibus invenirent occasionem proximam ex parte magistrorum, sodalium aut librorum pravorum. Quodsi quis sine damno relative gravi scholam periculi expertem adire posset, aliam sibi periculosam vitare deberet, in quantum a se pendet. (Cfr. n. 51).

d) Juvenes utriusque sexus, qui ad honestum matrimonium pervenire non possent, nisi permittendo per aliquod tempus *adamantis visitationes* in se utique periculosas — uti hodie communis fere est usus (cfr. n. 25 sq.); — imo in aliquibus casibus permittendo etiam visitationes *solitarias*, quando v. gr. extra domum paternam degunt, aut orphani vel viduæ sunt, neque semper locos aliorum conspectui patentes adire possent.

e) Item uxores quæ, ne marito graviter displiceant, filii et filiæfamilias qui, ut ad honestum perveniant matrimonium vel ut parentes non offendant, haud raro ad *choreas*, *theatra* aliasque occasiones sibi periculosas, sive publicas sive privatas, ire deberent. Similiter si illæ, eumdem ob finem, juxta modum recentem indui deberent leviori, etsi non graviter indecenti vestitu, qui forte sibi per accidens esset grave peccandi periculum.

f) Si quis secus grave *infamiæ* damnum pateretur, v. gr. dimittendo statim concubinam plane occultam, vel statim deserendo famulatum. Hoc autem occurrere potest: 1º in periculo mortis; 2º in Missionibus aut exercitiis spiritualibus; 3º tempore Paschali in parvis parœciis, ubi omnes noti sunt et observantur. Tunc enim illæ occasiones sunt vere necessariæ, sed tantum *ad breve tempus*. Quapropter in duobus ultimis casibus confessarius imponere debet, ut quamprimum, v. g. aliquibus hebdomadibus post Missionem aut tempus Paschale, omnino separatio fiat. Ad quod ut perveniat, si fieri potest, pœnitentem per unum aut etiam dimidium diem dimittat, ut hic contractum conductionis renuntiet; dein ipsum absolvat, indicando simul industrias quibus bona fama salvetur, et præscribendo remedia quibus relapsus præcaveatur. (Cfr. S. Leonardus a P. M. *Disc.* n. 20). — Idem infamiæ periculum contingere potest, si quis occasionarius eodem aut postero die sacramentum Confirmationis aut Matrimonii accipere debet, vel si sine nota a S. Communione abstinere non posset, puta si filia una cum matre accederet, etc.

Ex adductis exemplis liquet, in eodem casu plura sæpe damna spiritualia et temporalia, privata et publica, propria et aliena concurrere posse.

137. — Porro sedulus confessarius omnia adjuncta sui pœnitentis magna prudentia pensare debet, antequam occasionem aliquam aut necessariam aut liberam esse pronuntiet. Qua de re ut *regula generalis* statui potest hæc: quo gravius est periculum, et quo gravius est peccatum cujus periculo quis exponitur, sive in se sive in suis consequentiis, eo graviores requiruntur rationes, ut occasio proxima moraliter necessaria habeatur. — Gravius e. gr. est *periculum* occasionis continuæ quam interruptæ; gravius, si pravus affectus est ab utraque quam si ab una tantum parte; item si persona sollicitans auctoritate vel divitiis pollet; item si diutius et frequentius jam peccatum est et habitus existit, etc. Gravius et nefastius est periculum in materia fidei propter hujus virtutis necessitatem eamque recuperandi difficultatem; item in materia turpi propter passionis vehementiam. — *Peccatum* gravius sane est externum simul et internum quam solum internum, opere consummatum quam non consummatum, cum complice commissum quam solitarium. Gravius in se est peccatum contra decalogum quam contra præcepta Ecclesiæ; quamquam propter consequentias, v. g. frequens neglectus Missæ, funestior esse potest quam quidam actus impudici. — Ut de gravitate *rationum* æquum ferat judicium, confessarius a pœnitente exquirat, quæ damna et incommoda ex tollenda aut vitanda occasione oriri possint. Caveat tamen a pœnitentis hallucinatione, præcipue si de persona turpiter amata agitur: multi enim propter quemdam affectum ad occasionem et peccatum difficultates et incommoda exaggerare solent. Unde confessarius prudenter quidem, sed etiam fortiter, quoad ejus fieri potest, remotioni insistat (cfr. S. Alph. supra p. 20, § 9). — Si pœnitens aliis industriis damno infamiæ vel scandali occurrere potest, ad id tenetur, v. g. rixam excitando cum famula, iter faciendo, prætexendo negotium aliamve causam ob quam a visitatione loci aut personæ abstinere possit. Suggerat igitur pœnitenti has industrias confessarius.

138. — De occasionibus, quæ statim abrumpi nequeunt, sed *ad breve tempus necessariæ* sunt, hæc præclare confessarium monet Aertnys: « Ut occasio quamprimum amoveatur, tempus, intra quod amovenda sit, non est pœnitentis arbitrio committendum, sed, inito cum ipso consilio, confessarius illud pro adjunctis præfigat. Interea pœnitenti certa pietatis exercitia iteratamque Sacramentorum receptionem commendet injungatve, quibus intra illud intervallum bonum propositum custodiat. Quodsi nihilominus intra hoc tempus relapsus eveniat, pœnitens mox ad confessarium confugiat, qui occasionis amotionem urgebit. Si contra a relapso immunem se servet, caveat confessarius ne propterea occasionis amotionem exigere desistat; hoc quippe perniciosum atque ideo imprudens foret; quia

tunc concupiscentia mox reardesceret, et ultima pejora essent prioribus » (*Th. mor.* II, 476; item Lehmkuhl, *Neo-Conf.*, n. 188, *i*).

Denique in perpendendis hisce periculi, peccati et damnorum adjunctis, ex quibus judicium de occasionis necessitate pendet, confessarium multum juvabit usus vitæ et experientia; juvabit imprimis consilium Spiritus Sancti in casibus difficilibus invocandum.

Præmissis hisce de natura occasionis necessariæ, facilis jam est probatio sequentis thesis.

Thesis 6ª.

Qui versatur in occasione proxima necessaria eam dimittere non tenetur et a confessario, ut judex est, absolvi potest, modo remedia necessaria quibus peccatum vitetur adhibere velit.

Explicatur Thesis

139. — 1º Quid sit occasio *necessaria*, jam satis superque dictum est.

2º *Eam dimittere non tenetur*, scilicet ordinarie: quid enim in casu exceptionis faciendum sit, infra (thesi 8ª) videbimus.

3º *A confessario, ut judex est;* nam de officio confessarii, ut est medicus, sequenti thesi dicetur.

4º *Modo remedia necessaria adhibere velit:* est hæc conditio prorsus necessaria, sine qua periculum proximum removeri nequeat. Unde neglecta hac conditione, occasio quidem necessaria, sed periculum voluntarium esset. Quænam sint hæc remedia vide infra n. 142.

Thesis hæc a theologis communiter admittitur.

Probatur Thesis

140. — « Ratio » quam (p. 109, § 3) S. Doctor adducit, satis clara est. In *Praxi* eidem hæc subjungit: « Cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit; et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi qui vere deliberavit ipsum non offendere » (n. 68). Quod ultimum etiam hic (§ 3) indicat in textu S. Basilio tributo: « *Et ideo* (scil. quia invitus illud periculum subit) *magis providebit Deus ne illo pereat* ».

Ratio igitur hæc est. Homo potest gravia damna a se avertere modo peccatum evitet. Atqui adire occasionem proximam seu in ea manere « non est *in se* peccatum », uti patet. Neque in nostro

casu *indirecte*, id est ratione periculi, est peccatum seu causa peccati, a. v. « non affert necessitatem peccandi »; quia, si gravis et proportionata adest ratio seu moralis quædam necessitas adeundi periculum, homo adhibendo remedia et humiliter orando, merito a Deo expectare potest speciale auxilium, quo periculum e proximo fiat remotum. Nam hujusmodi homo non amat nec quærit periculum, sed invitus illud subit, patitur et tolerat, necessitate quasi adactus. Ergo Deus ex parte sua certe providebit ut in illo periculo non peccet. Secus autem est, si deest talis necessitas seu gravis ratio permittendi periculum; tunc enim homo frustra Dei auxilium sperabit, quum ipsemet facile hoc periculum physice evitare possit. (Cfr. n. 38 sqq.).

Præterea, illæ occasiones moraliter necessariæ in vita frequentissimæ sunt (cfr. n. 135), ita ut si illæ omnes vitandæ essent, admodum pauci id facerent et salvarentur. Unde Deus pro sua sapientia et bonitate hunc instituit ordinem generalem, ut homo aliis remediis cum naturalibus tum præsertim supernaturalibus, orationis et sacramentorum, in hisce periculis peccatum vitaret. Posset quidem Deus aliquando exigere, ut homo etiam occasionem moraliter necessariam physice relinqueret, adeoque hæc gravia damna subiret; sed esset hæc exceptio (cfr. thes. 8[a]). Donec igitur de hac Dei voluntate experientia constet, potest homo aliis adhibitis remediis periculum reddere innocuum.

141. — « Confirmatur », ut dicit S. Doctor (p. 109, § 3), thesis ex Jure Canonico seu praxi Ecclesiæ. Hæc enim permittit, ut qui publice putantur conjuges, sed ob impedimentum impotentiæ non sunt, permaneant in gravi peccandi periculo, quod generatim certe aderit pro juvenibus sponsis, tenero affectu inter se amantibus, præcipue si in casu dubíi jam experimentum triennii præcesserit (cfr. S. Alph. VI, 1103). Permittit autem id Ecclesia, « ne ipsi infamiam patiantur ».

Appendix

De remediis adhibendis in occasione necessaria.

142. — Dictum est in thesi (p. 116), versantem in occasione necessaria absolvi posse, « *modo remedia necessaria quibus peccatum vitetur adhibere velit* ». Est enim hæc conditio sine qua nequeat absolvi pœnitens, quum solis mediis adhibitis periculum e proximo possit reddi remotum. Quia vero pœnitentes ut plurimum de hisce remediis usurpandis parum cogitant, confessarius ea ipsis suggerere tenetur. Præcipua remedia in occasione proxima præsertim materiæ turpis adhibenda indicat S. Doctor § 4 (p. 110): « Videlicet major

oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi, vitare ne versetur solus cum sola, fugere ab aspectu complicis, et similia ». Quia vero usus remediorum, maxime in periculis castitatis, tanti est momenti, paulo fusius de iis agendum est [1].

Commode autem in tria genera dividuntur: alia vim occasionis deminuunt, alia vim passionis temperant, alia vires spirituales augent [2].

1º Ad *vim occasionis minuendam* hæc contribuunt: fugere omnem familiaritatem cum complice; non solus cum sola versari; vitare etiam, quantum potest, ejus aspectum, imo non loqui nec cogitare de eo; si loquendum est, paucis et frigidis verbis; — brevia quædam verba fortiter prolata ad repulsandum complicem, vel ipse oris hiatus ad clamandum; — serio comminari, se rem totam superioribus, parentibus etc. patefacturum; — si aliqua particularis circumstantia loci vel temporis occasionem reddit proximam, illam evitare, v. g. non adire culinam ubi est ancilla, egrediendo non manere ad januam domus cum complice, nocte cubiculi januam claudere ne complex intret, vespere redire ante solis occasum etc.

2º Ad *vim passionis temperandam* hæc inserviunt: servare sensuum custodiam, præsertim oculorum; qui enim oculos non frenat, etsi alioquin pius, peribit: « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine » (*Iob* 31, 1); — vitare otium, omnium malorum fontem, per honestam et assiduam occupationem: « Multam enim malitiam docuit otiositas » (*Eccli.* 33, 29); — fugere intemperantiam, præsertim in potu, quia « in vino est luxuria » (*Eph.* 5, 18); — abstinere a legendis libris eroticis, a visitandis theatris quæ concupiscentiam excitant etc.; — moderata exercitatio corporalis, qua evadat mens sana in corpore sano; — generatim ad passiones moderandas maxime juvat frequens mortificatio sensuum et habituum in rebus etiam licitis, uti in videndo, legendo, loquendo, ludendo, sedendo, manducando etc.: qui enim ex Dei amore identidem in rebus licitis per parvas has mortificationes, quæ sanitati nihil nocent, spontaneis resistit inclinationibus, brevi fortem nanciscetur voluntatem, qua etiam illicitis inclinationibus resistat, simulque Dei misericors auxilium provocabit.

3º Quæ *vires spirituales augent* sunt: oratio, sacramentorum frequentatio, meditatio.

a) *Oratio* utique est remedium potentissimum, toties ab ipso Christo indicatum: « Petite et dabitur vobis:... omnis enim qui petit, accipit » (*Luc.* 11, 9); « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem » (*Matt.* 26, 41): qui hoc præceptum Domini in animæ periculis negligit, certo peribit [3]. Oret igitur pœnitens humiliter at maxima cum fiducia,

---

[1] De remediis generatim, imprimis contra vitia capitalia, fuse tractant Reginaldus (*De prudentia conf.*, cap. 5), Brocchi (*De occas.* cap. 15), Lacroix (VI, part. 2, n. 1825); brevius etiam S. Alphonsus (*Praxis.* n. 15, 16).

[2] Cfr. Berardi, *De Occas.*, n. 73-77.

[3] Præclare et graviter ita Suarez: « Si Deus permiserit hominem actu vexari gravissima tentatione et ea ratione in periculo animæ suæ versari, non est dubium quin tunc teneatur homo peculiari obligatione ad orationem recurrere, ut omnes auctores docent; quia tunc maxime obligat charitas propria atque etiam Dei. Et confidere tunc de sua libertate, esset

non solum mane et vespere, sed sæpe etiam per diem, et omnium maxime instante tentatione vel luctatione, invocando nomina Jesu et Mariæ, aliasque recitando preces jaculatorias quas confessarius ei suggeret. — Quotidie, mane præsertim, firmum renovet *propositum* non peccandi, præcipue in tali occasionis circumstantia; idque facere proderit ante imaginem Crucifixi, quo magis menti imprimatur; — si occasio est interrupta, antequam illam adire debet, hoc propositum semper repetat Deoque commendet; — vespere imprimis examen conscientiæ instituat et, si proposito infidelis fuerit, sincerum actum contritionis eliciat, iterumque firme proponat, sibique levem pœnitentiam imponat. — Juvat quoque preces novendiales facere in honorem alicujus sancti patroni, præcipue B. Mariæ Virginis, quam pietate vere filiali colat et invocet. — Si potest, quotidie assistat sacrificio Missæ et visitet SS. Sacramentum atque imaginem B. M. V., postulando enixe gratiam perseverantiæ.

b) *Frequentatio Sacramentorum* enixe quoque pœnitenti in occasione necessaria existenti inculcanda est, utpote remedium pariter efficacissimum, sine quo alia brevi oblivioni tradentur. Confiteatur autem, si potest, apud eumdem confessarium pium; et præsertim statim post relapsum ad illum redeat. Si hoc obtinetur, victoria certa erit.

c) Denique ad *meditationem* quod attinet, sæpe recogitet de morte, judicio, inferno, juxta illud: « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis» (*Eccli.* 7, 40); cui utiliter inservire poterunt opuscula S. Alphonsi: « Præparatio ad mortem » et « Via salutis ». Meditetur quoque immensum amorem SS. Cordis Jesu, maxime in sua passione nobis exhibitum. — Si tempus meditationi instituendæ deest, mane saltem vel vespere antequam cubitum eat, brevi de hisce veritatibus æternis cogitet, sibi e. g. dicens: « quid de anima mea fiet, si hac nocte moriturus essem? » — Enixe quoque suadeat confessarius exercitia spiritualia per aliquot dies in aliqua domo religiosa; quales domus exercitiorum hodie in multis regionibus inveniuntur.

Circa hæc remedia merito advertit S. Leonardus a P. M. (*Disc.* n. 21), ea non omnia simul proponenda esse, sed modo hæc modo illa. Ex illis ergo seligat confessarius quæ pro variis sui pœnitentis adjunctis magis opportuna sunt. Sub præcepto tantum imponat quæ maxime sunt necessaria, simulque faciliora; cetera pro re nata instanter suadeat. Caveat autem summopere, ne pœnitens relapsus animum despondeat, ideoque semper charitate vere paterna et patientia ipsum excipiat, eique animum addat; quia, ut S. Paulus ait:

---

magna superbia et præsumptio; confidere autem de solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia: tum quia sæpe est moraliter necessarium extraordinarium auxilium; tum etiam quia hoc sperandum est debito modo et per media nobis a Deo proposita, inter quæ ex potissimis et maxime necessariis est oratio » (*De Relig.*, tr. 4, lib. 1, cap. 30, n. 17). Et paulo ante: « Addo insuper, in hujusmodi occasionibus in quibus hæc oritur obligatio, illam omittere grave esse peccatum, non solum contra illam virtutem contra quam vexat tentatio, v. g. contra castitatem, sed etiam speciali modo contra charitatem » (n. 10). Vide etiam perutile S. Alphonsi opus ascetico-dogmaticum: « *Il gran mezzo della preghiera* », cujus versio latina in *S. Alphonsi Opera dogm.*, ed. Walter, II, p. 633-722.

« Omnia possum in eo qui me confortat » (*Phil.* 4, 13), et: « Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis » (*I Cor.* 10, 13).

ARTICULUS II.

De ratione agendi confessarii, ut medici, cum iis qui versantur in occasione necessaria.

Textus S. Alphonsi
(VI, 456, § 1-3)

§ 1. — « Hæ sententiæ probabilissimæ sunt. — Verum, in praxi, « omnes conveniunt expedire ut iis qui versantur in occasione pro- « xima, etiam necessaria, differatur absolutio ».

§ 2. — « Immo, ut ego quid sentiam in hac re, ingenue dicam: « Nunquam absolverem qui est in occasione proxima extrinseca « (nam de intrinseca aliter infra loquar), præsertim si occasio sit de « materia turpi, semper ac absolutio commode differri posset. Censeo « enim quod confessarius tamquam medicus tenetur aptare suo pœ- « nitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem; reorque « nullum aliud aptius antidotum ministrari posse ei qui est in occa- « sione proxima, quam dilationem absolutionis: dum experientia « docet quod pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plu- « rimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillime re- « cidunt. Cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vi- « gilantius satagunt remedia exsequi et tentationibus obsistere, « impulsi quidem a timore ne cum ad confessarium redibunt, iterum « sine absolutione dimittantur ».

§ 3. — « Et casu quo pœnitens prius admonitus ab alio confes- « sario media præscripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, « dico omnino dimittendum esse sine absolutione: nisi forte extraor- « dinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria « compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, « quando commode absolutio posset differri ».

143. — S. Doctor cum aliis vulgo theologis in confessario semper sedulo distinguit officium *judicis* et *medici*. Optime enim fieri potest, ut speculative « probabilissimum » sit, ut ait (§ 1), abso-

lutionem concedi posse pœnitenti, utpote hic et nunc satis contrito, ut vero « in praxi » ad præmuniendum ipsum a relapsu « expediat » eidem absolutionem differre; qua de re judicare ad confessarium ut medicum pertinet.

Jam aliquoties supra (p. 68, § 6 et § 7) quasi per transennam de hoc officio locutus fuerat; eodem infra (VI, 462-464) redibit, tractans de recidivis. Hic magis ex professo de hoc confessarii munere agit, speciatim de adhibendo remedio dilationis absolutionis pro iis qui versantur in occasione proxima necessaria. Doctrina S. Alphonsi hac thesi continetur.

Thesis 7ª.

I. Confessarius, ut medicus, non tantum potest, sed etiam tenetur pœnitenti contrito aptare remedia certe efficaciora ad ejus relapsum præcavendum. — II. Hinc, si commode fieri potest, versanti in occasione necessaria differenda est absolutio, donec hic remedia præscripta adhibuerit. — III. Practice tamen, nostris imprimis temporibus, sæpe incommoda obstabunt, quominus huic jam statim ab initio absolutio differatur.

Explicatur Thesis

144. — Ita S. Auctor supra in textu § 2. Alibi sæpe eamdem sententiam exponit. In *Praxi* hæc habet: « Omnes conveniunt expedire in his et similibus casibus absolutionem differre, ut pœnitens sit saltem diligentior in præscriptis remediis exsequendis. Verumtamen ego censeo, confessarium non tantum posse, sed etiam *teneri* ad differendam absolutionem, semper ac commode fieri potest, præsertim cum agitur de materia turpi. Tenetur enim ipse tamquam *medicus* animarum *opportuniora* applicare remedia » (n. 69). Et in *Conf. Dir.* ita loquitur: « Iis qui versantur in occasione proxima necessaria confessarius potest quidem, imo tenetur, ordinarie loquendo, absolutionem differre, ut attentiores reddantur ad usurpanda remedia præscripta. Dico: *imo tenetur*, quia quum confessarius sit *medicus* spiritualis suorum pœnitentium, ipsis applicare debet remedia *aptiora* ad eos curandos » (cap. 15, n. 11). Item in *Avvertimenti ai conf. novelli:* « Si specialis ratio non adest impertiendi statim absolutionem hujusmodi pœnitentibus, confessarius bene potest, imo *tenetur* in absolutionem differre » (n. 6). Et clarius etiam in *Selva:* « Quando confessarius scit expedire, ut absolutio differatur, jam tenetur eam differre, quia obligatur uti remediis *aptioribus* ad pœnitentis emendationem » (Istr. 4, n. 16). Notanda sunt hæc ultima verba: *si scit expedire, tenetur.* Sensus

est: si confessarius, omnibus adjunctis prudenter perpensis, ad salutem et emendationem pœnitentis *certe utilius* judicat absolutionem differre quam statim eam concedere, tenetur eam differre; sin autem dubitat utrum utilius sit necne, non tenetur. Hinc in 1ª parte thesis dicitur: « *certe efficaciora* ».

Verba: « *Si commode fieri potest* » infra (n. 150 sq.) explicabuntur.

Prima pars hujus thesis principium generale continet. — *Altera* pars est consequentia practica hujus principii pro iis qui sunt in occasione proxima necessaria. Supra (p. 68, § 6, 7) S. Doctor hoc principium jam applicaverat versantibus in occasione voluntaria « in esse »; infra (VI, 462, § 6) idem iterum adhibebit pro occasionariis recidivis. — *Tertia* denique pars applicationem pro adjunctorum ratione moderatur.

Statuitur thesis contra illos qui dicunt, nunquam esse præceptum pœnitentibus contritis differre absolutionem, sed id merum esse consilium quo quis aliquando uti potest vel non uti. — Tertia tamen pars est contra eos qui principium generale contra mentem S. Alphonsi rigidius applicant.

Probatur prima pars

145. — Hæc pars *principium generale* continet profluens ex ipso officio medici. — Et sane; confessarius non solum est judex, sed etiam medicus animarum, ac proinde eadem ratione providere debet curæ spirituali et emendationi sui pœnitentis, qua medicus saluti corporis.

Atqui, ubi agitur de salute corporis, et speciatim de præcavendo relapsu in aliquam infirmitatem mortalem, medicus corporalis, non tantum potest, sed etiam *tenetur* infirmo aptare ex variis remediis probabiliter efficacibus remedia *certo probabiliora et efficaciora.*

Ergo etiam medicus animæ, ubi agitur de salute sui pœnitentis, et speciatim de præcavendo ejus relapsu in peccatum, quæ mors est animæ, non solum potest, sed etiam *tenetur* ex variis remediis probabilibus illa adhibere quæ *certo scit esse probabiliora et efficaciora.*

Major certa est et constat ex sensu Ecclesiæ, ut num. seq. videbimus.

Minor quoque est certa et hodie passim admittitur. Quando enim agitur de malo avertendo, in dubio facti non pendentis ex conscientiæ dictamine, sequenda est sententia probabilior, minus probabili relicta. Unde S. Alphonsus concludit: « Medicus non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, ratione officii et taciti contractus, tenetur providere meliori modo saluti infirmi a quo stipendium accipit ». (I, 45). Ergo etiam de medico animarum dicendum est,

eum in dubio de remediorum efficacia sub gravi teneri, meliore et efficaciore quo potest modo saluti ægroti spiritualis providere ejusque relapsum in peccatum mortale præcavere.

146. — Probatio hæc ita magis *explicatur*. Certum est, juxta intentionem Christi confessarium constitutum esse non solum judicem, sed etiam medicum animarum. Traditionem et sensum Ecclesiæ sic complectitur Rituale Romanum: « Meminerit confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere » (tit. III, cap. 1, n 2). Quam sententiam repetit can. 888 Codicis Juris: « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum a Deo constitutum esse, ut honori divino et animarum saluti consulat ». Ad officium *judicis* spectat imprimis sententiam ferre, videlicet peccata remittere, si pœnitens per veram contritionem et firmum propositum dispositus est, ea retinere, si hæc dispositio desit. Ad *medici* autem munus pertinet aptis mediis peccata futura præcavere, pœnitentem in Dei amicitia conservare. Apposite S Thomas: « Quamvis pœnitentia ex prima sui institutione seu intentione respiciat præteritum, tamen etiam ex consequenti futurum respicit, in quantum est medicina præservans » (*Suppl.* qu. 12, a. 3, ad 3). Itaque licet ex institutione Christi finis primarius et essentialis sacramenti Pœnitentiæ sit peccata præterita remittere, tamen finis secundarius, qui est pœnitentem a peccatis futuris quantum fieri potest immunem custodire, maximi etiam momenti est, et ideo a confessario summa religione prosequendus.

Re sane vera; gloria enim Dei ope confessionis promovenda est, ac proinde, ne in posterum per nova peccata lædatur, quoad ejus fieri potest, curandum est hujus sacramenti ministro. Parum etiam ad salutem æternam pœnitentis prodesset reconciliatio cum Deo, si brevi ad vomitum rediens in eadem usque peccata recideret et tandem damnaretur: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit », dicit Dominus (*Matt.* 10, 22). Quinimo haud raro pejor esset recidivi conditio, juxta illud: « Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat » (*Joan.* 5, 14). Quod significavit etiam Christus in illa parabola quam his verbis concludit: « Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus » (*Matt.* 12, 45). Neque etiam corpore infirmum multum juvaret febrim ad breve tantum tempus expellere cum gravi periculo relapsus forte pejoris: integræ sanitati restituendus est; causa febris, ipsa scilicet infirmitas, tollenda est, etiamsi ad id remedium infirmo ingratum capessendum esset, etiamsi ferro et igne opus esset.

Jamvero, ut confessarius hunc alterum finem consequatur, primo quidem pœnitenti imponere debet pœnitentias salutares et medicinales aliaque præscribere media ne relabatur; tum etiam ipsemet, si opus est, applicare debet illa remedia utilia vel necessaria, quibus anima vere curetur et a relapsu præmuniatur. Quodsi prævideret confessarius, pœnitentem in adhibendis remediis futurum esse negligentem adeoque relapsurum, ipse autem præsto haberet aliud remedium aptius et efficacius ad relapsum præcavendum, quod quidem pœnitenti minus gratum esset, non tamen nocivum: tunc certe, ut bonus animarum medicus, hoc

remedium pœnitenti applicare non tantum potest, sed etiam *debet;* secus enim reus esset gravis incuriæ, tum erga Dei gloriam quæ per novum peccatum læderetur, tum erga salutem pœnitentis quem, non avertendo grave ejus relapsus periculum, imperfecte valde curasset. Obligatio hæc aptandi pœnitenti remedia efficaciora necessario consequitur ex obligatione assequendi alterum confessionis finem, qui est præmunitio a relapsu. Argumentum igitur nostrum nititur hac doctrina certa et hodie communi, quod ubi non agitur de sola actionis honestate, sed de obligatione alicujus finis boni obtinendi aut mali avertendi, non licet sequi opinionem minus probabilem, sed probabilior opinio, ut unice tuta, est sequenda. Assertio contraria reliquiæ sunt laxioris illius probabilismi qui principium: « Qui probabiliter agit prudenter agit » etiam applicat in dubio facti cum periculo damni alterius vel sui ipsius. (Cfr. S. Alph. I, 42 sqq.; item supra n. 63, 41 sq., 49).

147. — Principium igitur, in hac prima thesis parte expressum, certum est et exploratum, et meritissimo S. Alphonsus in textu (§ 2, p. 120) docet: « Confessarius tamquam *medicus tenetur* aptare suo pœnitenti remedia *opportuniora*, ut ille suam faciat salutem ».

Confirmari potest hæc pars *auctoritate* multorum theologorum antiquorum et recentium, qui pariter docent, confessarium aliquando teneri absolutionem differre pœnitenti contrito, ut thesi 20, III (n. 453 sq.) videbimus.

Objectiones solutas vide infra (n. 149, n. 444 sqq., n. 455).

Probatur altera pars

148. — Hæc pars, intellecta sensu quo eam intelligit S. Doctor, applicatio est principii supra stabiliti. Etenim, « si absolutio commode differri potest » hæc dilatio est « *aptius* antidotum », quod versanti in occasione necessaria administrari potest. Id sanctus Auctor probat ex *experientia.* « Experientia docet, inquit in textu (§ 2, p. 120), quod pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillime recidunt. Cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exsequi et tentationibus obsistere, impulsi quidem timore ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur ». Ratio ergo, ob quam S. Alphonsus dilationem absolutionis in casu nostro aptius antidotum vocat, est quia ita, teste experientia, pœnitentes bonæ voluntatis sed negligentiores salutari timore concutiuntur et excitantur ad alia remedia vigilantiæ, orationis etc. diligentius adhibenda. — Jure autem S. Alphonsus ad suam experientiam provocare poterat: fuit enim, antequam ad dignitatem Episcopalem evectus fuerat, per triginta quinque annos confessarius, ab omni cœtu hominum valde

requisitus, primo quidem per plures annos Neapoli, quæ urbs metropolis jam tunc maximis peccatorum occasionibus scatebat, deinde quando ut missionarius varias illius regni urbes magnas et parvas, pagos quoque et viculos peragravit. — Eamdem experientiam comprobant alii multi confessarii et auctores docti ac sancti (cfr. supra n. 117 sq. et infra n. 460 sqq.).

149. — *Dices* forte: præsto sunt plura remedia utilia et efficacia contra relapsum, v. g. oratio, frequentatio sacramentorum, major vigilantia etc. Ergo confessarius non tenetur adhibere remedium dilationis, etiamsi esset efficacius, quum non sit remedium unicum, nec proinde necessarium.

Resp. Si alia illa remedia sunt *hic et nunc* seu practice *certo* efficacia, id est certo suum sortiuntur effectum, *concedo.* Ast hic agitur de casu, in quo confessarius merito timet, ne pœnitens alia illa remedia, licet *in se* et *speculative* utilia et efficacia, aut nequaquam aut valde imperfecte sit usurpaturus, ac proinde *hic et nunc* seu *in praxi* non erunt certo, sed *valde dubie* utilia et efficacia. Unde confessarius, ut alterum confessionis finem, qui est pœnitentem a relapsu præmunire, quoad ejus facere potest obtineat, aliud remedium *certo efficacius*, si præsto est et nihil obstat, applicare debet, ut in prima parte thesis probatum est; hocque ultimum erit in casu seu pro praxi *unice utile* et expediens, adeoque necessarium. (Vide etiam infra n. 455, 2º).

De commodis et incommodis dilatæ absolutionis, tamquam remedii contra relapsum, confer infra (n. 459 sqq.), ubi *de recidivis* agitur; quo loco etiam multi alii præclari theologi adducuntur. — Haud recte tamen plures theologi hos pœnitentes in occasione necessaria degentes plane comparant cum illis qui ex mera fragilitate intrinseca labuntur; nam passio cum occasione extrinseca per se magis mentem obcæcat et voluntatem sollicitat quam sola passio; unde fortius antidotum illis quam hisce administrandum est. Plura ea de re vide infra (n. 469 sq.).

Declaratur tertia pars

150. — Verum enim vero, hic omnino animadvertendum est, S. Alphonsum nequaquam, rigoristarum more, indiscriminatim et imprudenter hoc remedium dilationis adhibitum velle. Attentos nos vult ad varia personarum adjuncta, quæ sæpenumero benigniorem principii generalis applicationem postulant, ita ut versantibus in occasione necessaria jam statim ab initio absolutio danda sit; idque nostris imprimis temporibus sæpissime occurrit. Hinc post S. Doctorem in thesi diximus: « *si commode fieri potest* »; quæ modo magis declaranda sunt.

Hanc conditionem seu restrictionem plane necessariam esse, per se patet; secus namque dilatio absolutionis jam non esset remedium probabilius et efficacius, sed haud raro etiam nocivum. Conditionem illam supra (n. 144) S. Auctor ita enuntiat: « Si specialis ratio non adest impertiendi statim absolutionem » (*Avvert.* n. 6). Et infra (VI, 463, § 2) approbat doctrinam communem, videlicet pœnitenti recidivo, sed sufficienter contrito, « nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur ». Quæ a fortiori valent in nostro casu, scil. pro pœnitente qui versatur in occasione necessaria, sed nondum recidivus est.

Jamvero in hoc ferendo judicio, utrum absolutio *commode* differri possit necne, confessario multa prudentia opus est: certa enim regula statui non potest, inquit S. Doctor (VI, 463, § 4), quum id ex variis adjunctis pendeat. Videlicet perpendenda sunt quæ sequuntur.

151. — 1º *Gravitas incommodi ;* v. g. utrum pœnitens facile an difficulter redire possit; num sit quædam necessitas communicandi, puta ad infamiam vitandam, etc.

2º *Gravitas periculi* seu influxus occasionis. Si enim occasio necessaria, licet proxima sit, tamen non ita vehementer sollicitat, facilius pœnitentis promissis de remediis adhibendis fides haberi potest. Hinc S. Alphonsus hic et alibi passim hanc thesim intellectam vult « præsertim si occasio sit de materia turpi » (§ 2). Et alibi, agens de concubina quæ ob grave damnum discedere non posset, ait: « Sed in his casibus regulariter semper etiam est differenda absolutio » (III, 437). Secus tamen esset v g: si quæ famula a socia sæpe inducta esset ad omittendam Missam die festo.

3º *Dispositio subjectiva pœnitentis.* Sic qui extraordinarium dolorem et propositum ostendit facilius etiam remedia adhibebit et ita statim absolvi poterit. Qui cito animum despondet, si ei absolutio differtur, facilius illico absolutione donatur. Qui gravem et seriam habet indolem potiorem meretur fidem, si promittit se remedia adhibiturum, quam qui levior est in promittendo. Imprimis si hujusmodi pœnitens gravis serio promitteret, se brevi, puta post unam alteramve hebdomadem vel etiam brevius si prius relaberetur, ad eumdem confessarium rediturum esse, ratio esse poterit ipsum statim absolvendi: solida enim adest spes sæpe apud eumdem confitendi; quod sane optimum est contra relapsum remedium pro iis qui versantur in occasione necessaria. (Plura ea de re vide infra n. 464, 466).

4º *Spes fructus* ex dilata absolutione. Hæc præcipue ratio attendenda est, quum ad eam aliæ fere reducantur. Licet enim quod dilatio sit medicina amara, per se non sit ratio eam infirmo non administrandi, tamen in moralibus, ubi de sananda voluntate agitur, hæc sæpe effectum non sortitur, si invito pœnitenti imponitur; maxime in nostro casu occasionis necessariæ, quando pœnitens nondum est recidivus et sincere promittit se remedia adhibiturum esse. Tunc enim sæpe pœnitenti difficulter persuaderi potest, dilationem animæ suæ proficuam esse, ac proinde hic

facile offenderetur et alia quoque remedia missa faceret. Unde tunc adest ratio S. Alphonsi, scil. « nullo modo expedire absolutionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur » (VI, 463, § 2) [1].

Atque hæc quidem ratio mali exitus hujus remedii certe sæpius quam ætate S. Alphonsi occurrit *nostris temporibus* in illis regionibus ubi, ob fidem elanguentem, præsertim viri et juvenes rarius ad confessionem accedunt, atque adeo ob dilationem absolutionis sæpe ab hoc salutari sacramento alienarentur. Hisce in casibus ratio S. Doctoris, quæ nititur facto experientiæ, videlicet quod hujusmodi occasionarii, si ad breve tempus dimittuntur, vigilantius exsequentur remedia, « impulsi a timore ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur », hæc ratio, inquam, teste experientia, contrarium potius effectum obtinebit: ille namque « timor » eos non impellet ut remedia exsequantur, sed potius ut a confessione magis se avertant, ac proinde, neglectis etiam aliis remediis, in pejorem statum ruant. Practice saltem sæpe dubium erit, num dilatio sit remedium efficacius; in tali autem dubio potius benignior pars est sequenda. — Unde major benignitas in applicanda hac thesi nostra ætate est plane ad mentem S. Alphonsi. Manet quidem principium generale in prima parte stabilitum, nimirum confessarium non tantum posse, sed teneri pœnitenti aptare remedia efficaciora ad ejus lapsum præcavendum; manet etiam conclusio, pœnitentibus in occasione necessaria versantibus differendam esse absolutionem si, omnibus consideratis, est remedium efficacius quo excitentur ut ipsimet alia remedia adhibeant; ast illud: « si commode fieri potest » seu « si expedit » in multis locis et pro multis pœnitentibus ita applicandum est, ut casus in quibus hoc remedio uti non expediat, nunc temporis multo sint frequentiores quam antea. Atque ita declarata manet *tertia* pars theseos: « *Practice tamen, nostris imprimis temporibus, sæpe incommoda obstabunt, quominus jam statim ab initio absolutio differatur* ».

152. — Denique generatim notandum est, rationes quæ suadent, ut statim ab initio absolutio concedatur, in nostro casu occasionis necessariæ non ita graves esse debere, ac in casu occasionis *voluntariæ*, de qua in thesi 5ª (n. 123 sqq.), neque etiam ita graves ac in casu occasionarii *recidivi*, de quo deinceps in textu § 3.

In hoc scilicet paragrapho tertio (p. 120) S. Doctor, quasi per transennam, agit de illo qui in occasione necessaria *recidivus* est,

---

[1] Valent hic quæ S. Thomas dicit de moderanda pœnitentia sacramentali: « Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur, ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet et a pœnitentia totaliter recedat » (*Suppl.* qu. 18, a. 4).

magis ex professo hanc quæstionem tractaturus in altera parte. (Cfr. thes. 13ª-15ª). Itaque de hujusmodi recidivo valet regula generalis: « omnino » differatur absolutio, utpote dubie disposito. Nam merito dubitatur de firmitate ejus propositi, si jam « prius *admonitus* ab alio confessario *media præscripta* (quæ adhibere promiserat) *neglexit*, et *eodem modo* fuerit relapsus »; sicut infra (n. 258 sqq., 334) latius videbimus. — Excipe: « nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat », quibus præsumptio de contraria dispositione elidatur. Tum enim confessarius, ut *judex*, eum absolvere potest; sed tamen, ut *medicus*, eidem ordinarie absolutionem denegabit, « quando commode fieri potest », ut supra (n. 150 sq.) explicatum est.

Scholion I

De propria S. Doctoris praxi cum occasionariis.

Textus S. Alphonsi

(VI, 456, § 4)

§ 4. — « Fortasse alicui, hæc tradens, nimis rigidus videbor; « sed ego, cum pœnitentes offendissem hujusmodi occasionum la- « queis irretitos, sic semper egi et semper agam. Hac enim via in- « cedens, non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse « puto: quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur, ut « ipsi a peccatis et ab æterna damnatione eripiantur. Et e converso « crederem quod, si benigne agendo absolutionem quam petunt eis « præstarem, causa essem ut misere in vitiis marcescerent. — Quisque « in suo sensu abundet. Utinam vero omnes confessarii cum hujus- « modi pœnitentibus ita se gererent! Multo quidem minora crimina « committerentur, et longe plures animæ perditionem vitarent ».

153. — S. Alphonsus occurrit hic accusationi, quam aliquando sibi faciendam esse quasi præviderat, de nimio scilicet rigore suæ circa occasionarios doctrinæ. Eodem fere modo loquitur in *Praxi:* « Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit; sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse pœnitentium saluti. Utinam et omnes confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata vitarentur, et quot aliæ salvarentur animæ! » (n. 69).

Gravibus igitur verbis Doctor noster zelantissimus asseverat, praxim differendi *occasionariis* absolutionem, si commode fieri potest, seu si nulla adest ratio specialis eam statim impertiendi, solam vere benignam esse animabusque salutarem, quippe quum ipsam peccati *causam*, quæ est occasio, auferat vel eam e proxima remotam reddat [1]. Hoc præsertim obtinet, si agitur de materia turpi, uti jam sæpius dixerat (p. 20 sq., § 9 et § 10; p. 120, § 2); quia objecti turpiter amati præsentia mentem exæcat et vehementiore vi ad peccatum sollicitat et quasi impellit. Opposita praxis, qua ex falsa pietate hisce occasionariis facilius absolutio conceditur, juxta S. Doctorem, potius crudelis nuncupanda est, quum sit causa, cur pœnitentes sæpe relabantur, peccati horrorem amittant, « in vitiis marcescant » et tandem damnentur. Sic crudelis est medicus qui, ne ingratus sit infirmo neve tristitia ipsum afficiat, aptiora et efficaciora remedia eidem non administrat cum gravi periculo relapsus vel etiam mortis.

154. — Atque eadem quidem prudenti severitate cum occasionariis utendum esse, alii quoque *theologi præstantissimi*, imprimis *viri sancti* præcipiunt, v. g. S. Carolus Borromæus, S. Thomas a Villanova, S. Franciscus Xaverius, S. Leonardus a P. M., Ven. Segneri (cfr. supra n. 117); *contra alios quosdam theologos remissiores*, qui non satis attendentes ad hoc medici officium, generatim faciliores sunt cum hisce occasionariis. — Hi nimirum negant, confessarium medicum teneri statim efficaciora usurpare remedia. Prius alia suaviora minusque efficacia tentant; si post multas confessiones hæc media inutilia fuisse compertum est, tunc tandem de absolutione differenda cogitant. Horum error est quædam inconsiderantia. Peccatorem occasionarium tractant ut leviter infirmum, qui variis probabilibus medicinis curari potest; solum si post multum tempus pluresve relapsus ingravescit infirmitas et imminet mortis periculum, *consilium* præbent utendi remediis magis efficacibus. Sancti vero, fide illuminati et supernaturali edocti prudentia, quemlibet peccatorem in occasione proxima constitutum tamquam infirmum graviter periclitantem tractandum esse volunt, atque idcirco illico efficaciora remedia adhibenda esse, non solum consilii, sed præcepti loco habent.

Ducuntur sane benigniores illi theologi recta intentione, ne scilicet illi peccatores absolutionis dilatione a sacramentis avertantur. Sancti quoque hoc intendunt, atque adeo dilationem non imprudenter et indiscriminatim adhibent. Sed simul summo flagrant odio erga peccatum; vel unum peccatum mortale habent ut monstrum perniciosissimum, omnium malorum maximum, quod gloriam Dei O. M. infinite lædit, quod proinde in suis pœnitentibus statim aptiore modo præcavere volunt. Summa etiam charitate ardent erga miseros peccatores, occasionum retibus adstrictos. Persuasum habent, hæc retia fortiora evadere quo diutius peccatores in iis relinquuntur, — principiis obstandum esse ne

---

[1] Sedulo advertas, S. Alphonsum hic agere de *occasionariis*, non vero de peccantibus *ex sola fragilitate intrinseca*. Nam erga hos ejus doctrina valde benigna est, eisque, etiamsi *recidivi* sunt, modo vera contritionis signa præbeant, generatim absolutionem illico dari vult, non differri, prout infra (n. 468 sqq.) videbimus.

consuetudo paulatim altera natura fiat, — Deum certe infinite misericordem esse, ast pariter infinite justum, qui non illuditur sed post certam gratiarum mensuram peccatorem moraliter relinquere solet. Hinc quantocius remediis quam maxime efficacibus peccatorem ex hoc gravi æternæ salutis periculo eripere curant; ac proinde, non imprudenter quidem, sed « si commode fieri potest », seu si nulla specialis ratio obstat, statim absolutionis dilationem ut efficacius remedium applicant, quo illi occasionarii salutari timore excutiantur et occasionem auferre vel saltem ejus sollicitationi fortius resistere compellantur. Brevi, divinæ Providentiæ in mundi gubernatione rationem imitantes, in hac arte artium quod est regimen animarum, *suaviter* simul et *fortiter* gloriam Dei et salutem complurium peccatorum promovere satagunt.

155. — Notanda sunt hic S. Doctoris verba in textu (p. 128): « Ego sic semper egi et semper agam »; ex quibus constat, prorsus errare eos qui putant S. Alphonsum numquam absolutionem distulisse. Hi nempe parum recte intellexerunt quæ apud Tannoiam, primum ejus biographum, leguntur, et quæ nihilominus cum hisce S. Doctoris verbis perfecte consonant. « Cum senex esset, ita Tannoia, non se meminisse ajebat, unquam aliquem non absolutum se reliquisse, multo minus inurbane aut aspere repulisse. Neque tamen Alphonsus omnes indiscriminatim absolvebat, sive dispositi erant sive indispositi; sed, quemadmodum ipse alia occasione fatebatur, amore complectens peccatores et fiducia in sanguine Jesu Christi eos replens, amanter eis media indicabat, quibus se a peccato liberarent; quare ipsi, tali fiducia animati, ad eum *contriti et compuncti redibant* » (*Vita ed Istit.*, lib. I, cap. 12).

Scholion II

Principium S. Doctoris de prudenti usu opinionum.

Textus S. Alphonsi

(VI, 456, § 5)

§ 5. — « Ego sentio et dico quod, ubi agitur de liberando pœ-
« nitente a peccato formali, licet permittatur manere in materiali,
« tunc confessarius curare debet, in quantum christiana prudentia
« concedit, uti opinionibus benignioribus, gravi tamen fundamento
« roboratis. — Ubi vero opiniones benignæ propinquius admovent
« ad periculum peccati formalis, ut accidit in hac materia occasionis
« proximæ, dico quod confessario uti expedit sententiis rigidioribus:
« sic enim magis consulet suorum pœnitentium saluti ».

156. — Quæ hactenus S. Doctor dixit de officio medici relate ad remedium dilatæ absolutionis, nituntur principio generali de prudenti usu opinionum, quod hic et alibi sæpius inculcat.

Sic v. g in tract. *De Consc.* hæc habet: « Ubi agitur de removendo pœnitente a periculo peccati formalis, confessarius debet, generatim loquendo et in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti. Ubi vero opiniones benignæ proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullæ auctorum opiniones, v. gr. quoad vitandas occasiones proximas, et aliæ id genus, tunc semper expedit ut confessarius utatur, imo dico quod ipse, ut medicus animarum, *tenetur* uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt » (I, 83). Et iterum in tract. *De Pœn.:* « Confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illæ potius inducunt pœnitentem ad vitandum peccatum. Secus vero, si illæ potius manuducant ad legis transgressionem, prout sunt (ut bene advertunt Roncaglia et Sporer) opiniones illæ quæ, licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valde periculosæ » (VI, 605). Item in *Praxi :* « Ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire et quandoque *oportere*, ut confessarius sententiis rigidioribus utatur: tunc enim hæ valde magis prosunt animarum saluti » (n. 69). Et postea: « Quando opiniones benignæ exponunt pœnitentem periculo peccati formalis, tunc confessarius sequi *debet* opiniones rigidiores; quoniam istae in hoc casu sunt magis pœnitentibus salutares » (n. 114).

157. — Sensus hujus principii hic est. In dubio, num aliqua actio sit honesta et licita, confessarius generatim quidem sequi debet opinionem benigniorem, modo hæc « gravi fundamento roboretur». Tunc enim, si de sola actionis honestate agitur, dubium seu periculum peccati formalis « *removetur* » per certum quoddam principium reflexum et remanet tantum periculum peccati materialis; ergo « pœnitens liberatur a peccato formali, licet permittatur manere in materiali ». Atvero, si hæc ipsa opinio benignior, etsi « speculative probabilis » sit, tamen « in praxi est valde periculosa », eo quod periculum peccati formalis futuri, quod ex hujus opinionis usu sequeretur, removeri nequit, sed « *proximius redditur* »: tunc non hac opinione benigniore, sed opposita rigidiore et tutiore utendum est. Ratio est, quia in posteriore casu usus opinionis benignæ conjunctum habet et adducit *aliud* grave peccati formalis periculum, quod a principio reflexo non pendet, ac proinde per certum conscientiæ dictamen removeri nequit. Aliis verbis: tunc jam non agitur de sola actionis honestate, sed etiam de facto, quod a conscientiæ dictamine minime pendet, scilicet de periculo gravi *novi* peccati formalis, ad quod usus opinionis benignioris per accidens et consequenter inducit. Qui ergo tali opinione benigna utitur, voluntarie se exponit proximo periculo peccati formalis; id quod semper nefas est. Jamvero, quia confessarius ut medicus etiam futura peccata mortalia sui pœnitentis quantum potest prævertere debet, generatim

quidem dicendum est, « semper *expedire* uti opinionibus tutioribus quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt »: in casu vero particulari, si confessarius omnibus perpensis *certo scit* id expedire, seu censet id *certo utilius* esse medium ad hunc finem obtinendum, tamquam bonus medicus, non solum id potest, sed ad id etiam *tenetur*, ut sæpe ait Auctor, et quemadmodum in prima parte thesis (n. 145) probatum fuit. Quapropter recte etiam Aertnys: « Ubi *probabile* seu proximum periculum peccati mortalis *dubie* tantum subest, (confessarius) debet opiniones tutiores *suadere;* ubi vero tale periculum *certo* subest, tenetur ad illas *obligare* » (*Theol. Mor.* I, 126). — Falso igitur ex illo verbo « expedit » (in textu) concluderes, S. Doctorem hic de mero consilio loqui quo confessarius ad libitum uti potest; nimis enim clare id sæpe præceptum esse quo confessarius *teneatur*, locis adductis significat (supra n. 156, et n. 144).

158. — Hoc itaque principium generale S. Alphonsus ad varias opiniones practice periculosas applicat (cfr. VI, 605); hic autem in textu et alibi specialiter « ad materiam *occasionis proximæ* ». Re quidem vera; occasio enim inducit factum seu periculum externum, quod per principium reflexum removeri nequit (cfr. id ulterius probatum in 1ª thesi, n. 36). Unde in dubio super hac materia confessarius generatim, quoad ejus facere potest, pœnitenti sententiam rigidiorem imponat. Dicitur: *quoad ejus facere potest*, i. e. si prudenter censet, pœnitentem huic præcepto obsecundaturum esse. Sin autem serio timet, ne pœnitens monitione facta in pejus ruat, generatim præstat, saltem initio, non præceptum sed solum consilium dare; qua de re vide supra (n. 96 sqq.).

159. — Idem principium tradit S. Leonardus a P. M. qui, tractans de dubio utrum occasio necessaria sit an voluntaria, ait: « In *dubio*, similibus obvenientibus casibus, parti *rigidiori* adhæreatis, quæ semper est magis favorabilis pœnitenti, quum eum a peccato mortali removeat » (*Disc.* n. 21). Neque aliter Ven. Segneri, agens de occasione proxima præsenti: « In *dubio* hic semper partem *rigidiorem* sequere; quia hæc, uti vidimus, pœnitenti magis favet, considerando te in uno capite Holofernis amputato plenam reportare victoriam, id est te uno ictu infinita numero peccata recidere » (*Conf. Istr.* cap. 5).

CAPUT V.

De relinquenda occasione proxima necessaria casu quo quis semper relabitur.

Textus S. Alphonsi

(VI, 457)

« Dubitatur 5°. *An qui in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis semper eodem modo relabitur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat?* »

§ 1. — « *Prima* sententia, quam tenent Lugo [1], Palaus [2], « Holzmann [3]; item Gobat, Fabri [d]), Pallavicini [d]) et alii, apud « Croix [4] (et probabilem putat Tamburinius [5]), dicit posse eum « absolvi toties quoties: modo habeat sufficientem dolorem et pro- « positum. — Advertit tamen Lugo [6] quod, cum aliquis semper im- « mediate post confessionem facile recidit, is censetur carere vero « dolore et proposito, et ideo non absolvendus [e]) ».

§ 2. — « *Secunda* tamen verior sententia, quam tuentur Bu- « senbaum [f]), supra, *n.* 433, *ad* 10, *in fine;* Roncaglia [7], [Contin.] « Tournely [8], Viva [9], cum Suarez, Navarro et Reginaldo; Maz- « zotta [10] (qui vocat communem); item Cajetanus, Tanner, Car-

[1] Disp. 14, n. 156 et 157. — [2] Tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 17. — [3] De Pœnit., n. 583. - *Gobat*, Quinar., tr. 5, cap. 33, n. 77 et seqq. — [4] *Lib.* 5, n. 261. — [5] Method. Confess., lib. 3, cap. 3, n. 10. — [6] Disp. 14, n. 160. — [7] Tr. 19, qu. 5, cap. 4, qu. 3. — [8] De Peccat., part. 1, cap. 2, Append., reg. 3. — [9] In propos. 41 Alex. VII, n. 17. - *Suar.*, disp. 32, sect. 2, i. f. - *Navar.*, Man., cap. 3, n. 21. - *Regin.*, lib. 8, n. 19, i. f. — [10] Tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3, v. *Quæres.* - *Cajetan.*, Sum., v. *Periculum*, v. f. - *Tann.*, tom. 4, disp. 6, qu. 9, n. 112. - *Carden.*, Cris., part. 4, diss. 40, n. 146 et 150.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [d]) Honoratus Fabri, *Opusc.* Anonymus advers. Anonymum, *cap.* 3; et Pallavicini, *Assert. theolog., lib.* 7, *cap.* 29, *n.* 292, principium generale adducunt, quo nititur dicta sententia, hoc est: Posse pœnitentem remanere in occasione proxima peccandi, si eam absque gravi incommodo deserere non potest. Et ita auctores citantur a Croix, *loc. cit.* « Etiam in ordine ad mortalia (sunt verba Pallavicini) licet aliquando non recedere ab occasionibus proximis, quando ille recessus est adeo difficilis, ut obligatio recedendi plus peccatorum inferret per violentiam sui, quam impediret per sui observationem ».

[e]) Idemque fere notant Palaus et Holzmann.

[f]) Busenbaum, *loc. cit.*, sic loquitur: « Qui certus est impossibile sibi esse in tali occasione peccata vitare, debet eam deserere, nisi velit perire ».

« denas et alii, cum Croix [1] (qui vocat veram), tenet hunc non posse « absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitæ [g]), si « opus sit, quando nulla emendatio nec probabilis spes emenda- « tionis appareat ».

§ 3. — « Ratio, quia homo tenetur cum omni jactura vitare « periculum proximum peccati formalis. Et licet aliquando ob justam « causam possit permitti periculum peccati, nunquam tamen potest « permitti peccatum; cum autem nulla spes apparet emendationis, « periculum utique fit formale et a peccato sejungi non potest; et « ideo omnino est vitandum cum quocumque damno temporali, « etiam vitæ. Hic enim currit illud Marc. 9, 46: *Si oculus tuus scan- « dalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, « quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Et aliud « Matth. 16, 26: *Quid enim prodest homini, si mundum universum « lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* »

§ 4. — « Dices cum Lugo: Ergo iste neque prima vice poterat « absolvi; cum idem adfuerit periculum. — Respondeo quod dispar « est ratio: nam, cum occasio est necessaria, ope mediorum peri- « culum materialiter proximum fit formaliter remotum; at cum, « adhibitis remediis, non adest spes emendationis, periculum evadit « formaliter proximum, et ideo omnino vitandum cum quocumque « incommodo. *Sin autem* (ait S. Carolus [h]), loquens de puella quæ « domi haberet occasionem necessariam) *post similes præcautiones « comperiat confessarius pœnitentem in illud peccatum relabi, dene- « ganda prorsus est absolutio, donec deseruerit proximam peccandi*

[1] Lib. 5, n. 261; cfr. n. 268. - *Lugo*, disp. 14, n. 158. - *S. Gregor. VII*, cfr. Migne, Patrol. lat., tom. 148, col. 801; et ap. Labbe, tom. 12, col. 621, concil. Rom. V, can. 5, anno 1078 celebratum. - *Innoc. II*, cfr. ap. Labbe, tom. 12, col. 1505, concil. Lateran. II, can. 22, anno 1139 celebr.

---

[g]) Aliqui ex citatis auctoribus non expresse loquuntur de discrimine ipsius vitæ; hoc tamen insinuant, dum loquuntur de maximo detrimento, de quocumque incommodo, de incommodo quantumvis gravi. Attamen Contin. Tournely loquitur solum de « bonorum, famæ et status jactura »; Suarez, de « gravi temporali nocumento », sicut et Navarrus. — Reginaldus autem absolute dicit negandam esse absolutionem, nulla facta de nocumento mentione. — Denique notandum est Mazzotta et Tanner, requirere ad absolutionem hoc casu concedendam, non quidem ut occasio jam derelicta sit, sed propositum eamdem deserendi.

[h]) S. Carolus, *Instr. Confess.*, v. *E se dopo questa diligenza*, loquitur de quocumque qui domi occasionem necessariam habeat; et concordat, excepto tamen quod in fine non addit: *quidquid tandem evenire debeat.*

« *occasionem, quidquid tandem evenire debeat.* Hinc in can. *Falsas* 6, « *de pœn., dist.* 5; et can. *Fratres* 8, *ib.*, dicitur debere dimittere « sua officia milites, negotiatores, curiales, etc., qui norint illa non « posse exercere sine peccato. Sic enim loquitur S. Gregorius VII « in cit. can. *Falsas: Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel « alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit* (*diffi- « cultas notatur*, advertit Glossa, *non impossibilitas*), *si culpis gra- « vioribus irretitus ad pœnitentiam venerit..., recognoscat se veram « pœnitentiam non posse peragere..., nisi negotium derelinquat vel « officium deserat.* Idem clarius confirmat Innocentius II in dict. « can. *Fratres*, dicens: *Falsa enim fit pœnitentia, cum pœnitens ab « officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla « ratione prævalet* ».

§ 5. — « Secus vero dicendum cum Holzmann [1], Laymann [2]; « et Sporer [i]) cum Sanchez [i]), Navarro [i]) et aliis communissime, si « in præsenti hujusmodi pœnitens afferat extraordinaria signa do- « loris; tunc enim jam effulget spes emendationis ».

160. — Quæ alibi S. Doctor eadem de re dicit, textum adductum ulterius confirmant et illustrant.

In *Praxi* hæc habet: « Si quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, et modica superesset spes emendationis, tunc dico, *omnino* huic negandam absolutionem, prius quam occasionem tollat. Et hic reor instare Evangelii præceptum: *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum* (*Marc.* 9, 46). Excepto casu quo pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria quod posset concipi prudens spes emendationis » (n. 69). Et in *Conf. Dir.:* « Si occasio est necessaria, tum non potest obligari pœnitens ad eam tollendam, nisi in casu extremo, in quo post multa experimenta desperaretur de ejus emendatione » (Cap. 15, n. 11). Item in *Avvertimenti :* « Si occasio est necessaria,... tunc pœnitens obligari nequit ad eam removendam, nisi in casu quo non adesset aliud remedium » (n. 6). Neque

[1] De Pœnit., n. 583. — [2] Lib. 5, tr. 6, cap. 4, num. 10.

---

[i]) Sporer, *part.* 3, *cap.* 2, *n.* 325, loquitur de occasione libera, quam pœnitens semel aut iterum admonitus non deseruit; et tamen eum posse absolvi dicit, si « nunc... evidentiora signa mutatæ voluntatis serioque præseferat, ut ejus promissio acceptari... possit ». At vero *n.* 326, citat Sanchez et Navarrum pro alio quodam asserto, nimirum pro sententia quæ docet recidivum ex occasione proxima, quam devitare vel dimittere nequeat sine gravi incommodo, posse nihilominus, positis certis conditionibus, in ea relinqui ad tempus durantis necessitatis, et a confessario absolvi.

aliter in *Selva:* « Si pœnitens cum omnibus adhibitis remediis semper recideret sine ulla emendatione, tunc sententia *communior* et *verior* quæ *tenenda* est vult, ipsum absolvi non posse, nisi relinquat occasionem, etiam cum jactura vitæ, ut loquuntur doctores; quia vita æterna temporali vitæ præferenda est » (*Istr.* 4, n. 16). Et in *Theol. Mor.* post varia adducta exempla illorum qui occasionem, ratione officii sui, necessariam deserere non tenentur, hæc addit: « Si tamen, adhuc remediis adhibitis, peccans eodem modo relabitur, nulla apparente probabili spe emendationis, tunc *nullo modo* absolvendus: nisi occasionem deserat, vel specialia signa doloris exhibeat, juxta dicenda *de Pœnit.* n. 457 » (III, 438). Item de iisdem: « At quid, si hujusmodi personæ semper vel fere semper lapsæ fuerint, et nulla rationabilis spes effulgeat emendationis? Tunc dicimus, teneri cum quacumque jactura officium deserere » (III, 483). Cfr. etiam V, 63 in fine.

Ex hisce abunde liquet, S. Alphonsum suam doctrinam firmiter et constanter habuisse ut *veriorem* et practice *tenendam*, neque oppositam duxisse vere probabilem. Ait enim in *Præf. Th. Mor.:* « Cum aliquam opinionem *veriorem* voco, tum *contrariam non habeo ut probabilem*, etsi non expresse ut improbabilem damnem » (ed. Gaudé, p. LVI). Quibus præmissis, sit hæc thesis.

Thesis 8ª.

Pœnitens qui in occasione moraliter necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, ita ut probabilis spes ejus emendationis jam non supersit, per se non amplius absolvi potest, sed obligandus est, ut occasionem cum quocumque etiam incommodo aut damno deserat.

Explicatur Thesis

161. — Dicitur 1º: *In occasione moraliter necessaria*, quæ scilicet absolute, etsi cum magna vel maxima difficultate, relinqui potest, ac proinde *physice* adhuc est libera. (Cfr. supra n. 132 sqq.).

Dicitur 2º: *Adhibitis remediis.* Itaque confessarius, antequam ad hanc extremam solutionem veniat, urgere debet ut pœnitens remedia idonea tam generalia quam particularia ei assignata rite adhibeat. Quod si pœnitens neglexerit, aut ea adhibuerit quidem, sed non satis diligenter, prius differenda est absolutio quo ea diligentius adhibeat. Quod si fecerit et quædam notabilis emendatio secuta fuerit, absolvi potest, et ad ulteriorem pugnam est exhortandus. Agitur igitur de casu, quo post multam experientiam hæc remedia, etiam post dilatam absolutionem, propter pœnitentis infirmitatem ac negligentiam et propter vim occasionis, parum aut nihil efficacia comperta fuerint.

Dicitur 3º: *Semper eodem modo relabitur.* Sensus est hic. Confessarius jam « multis experimentis » usus est, nunc paterne hortando et ad spem erigendo, nunc graviter minando vel etiam absolutionem differendo quo pœnitens remedia diligentius adhibeat. Nihilominus hic semper eodem aut « fere eodem modo » relabitur, nec ea specialia doloris ac propositi signa præbet, ex quibus notabilis aliqua emendatio sperare liceat. Tandem confessarius ad hanc venit persuasionem, pœnitentem bono quidem esse animo affectum, sed in præsentia tantæ occasionis adeo esse infirmum ut, quamdiu in eadem permaneat, ejus emendatio probabiliter expectari nequeat.

Dicitur 4º: *Ita ut probabilis ejus emendationis spes jam non supersit.* Nam quamdiu adhuc vere probabile est, pœnitentem remedia adhibendo paulatim saltem se emendaturum esse, singulis vicibus probabile tantum adest peccandi periculum, cui ex gravi et proportionata causa se exponere licet, quum adhibendo remedia certo sperari possit speciale Dei auxilium, ut supra (n. 140) probatum est. Quamprimum autem hæc « probabilis », « rationabilis » seu « prudens » spes cessavit, ac proinde moraliter certum est nullam notabilem emendationem esse secuturam, periculum ac peccatum est et manet moraliter certum. Quapropter tunc occasio omnino præcidenda est. Talis autem spes probatur per signa doloris extraordinaria (p. 135, § 5; cfr. infra *Obj.* 10º).

Advertas igitur, spem vere probabilem requiri, neque « modicam » sufficere, uti notavit S. Alphonsus in *Praxi* (supra p. 135), quia in moralibus « parum pro nihilo reputatur », et modica seu tenuis probabilitas non officit certitudini morali relapsus. — *Quanta* autem experientia requiratur ut desit hæc probabilis spes et proinde separatio physica injungi debeat, pendet ex variis adjunctis: ex gravitate tum periculi tum incommodi secuturi, ex indole et ex gradu dispositionis pœnitentis etc. Sunt enim quædam occasiones adeo periculosæ, ut quo diutius in iis permaneatur, eo difficilior evadat egressus, eo infirmior etiam pœnitens: v. g. si puella pauper et debilis corpore jam frequenter copulam habuit cum hero, et etiam post confessarii exhortationem certa est, se in posterum quoque eodem modo ejus sollicitationi obsecundaturam esse, jam brevi confessarius hanc persuasionem habebit. Generatim tamen longiore experientia opus est, antequam physica separatio imponenda sit, præcipue si pœnitens subinde melius se continuerit, vel si non statim sed post plures tantum confessiones ad occasionem tollendam adduci posse merito speretur, vel etiam si ad gravissima damna subeunda cogatur, etc.

Dicitur 5º: *Cum quocumque etiam incommodo aut damno;* videlicet vel bonorum fortunæ, vel status vitæ, vel infamiæ, imo « si opus sit », « cum jactura adhuc vitæ »; quod ultimum certe in rarissimo tantum casu opus erit, nostris præsertim temporibus, quum ubique fere christianæ charitatis instituta existant, vel saltem homines pii inveniantur qui in casu adeo extremo opem ferre velint, modo per homines fide dignos, puta per confessarium, in ejus notitiam veniant.

Dicitur 6º: *Obligandus est.* Nimirum confessarius, ut per se patet, non duro et rigido modo hoc pœnitenti injungere, sed paterna charitate ipsum ad id præparare et inducere debet, ostendendo hujus separationis necessitatem, proponendo omnia motiva naturalia et supernaturalia timoris et amoris, erigendo ejus fiduciam in Dei providentiam; ita ut ipse pœnitens persuasum habeat, id ad salutem æternam prorsus expedire, sibique etiam facilius esse unico actu occasionem hanc plane abrumpere quam in ea manendo a peccando abstinere. Tandem confessarius separationem præcipiat, differendo etiam ordinarie absolutionem usquedum perficiatur. Verbo, hac quoque in re agat suaviter simul ac fortiter.

162. — Dicitur 7º: *per se:* adsunt enim casus, in quibus *per accidens* aliter confessario agendum erit.

Videlicet: *a*) si pœnitens relinquendo unam occasionem in aliam similem vel forte pejorem incideret, vel etiam si ita alia gravia sui status officia implere non posset. Ita v. g. esset cum filiafamilias vel cum famula domestica quæ, deserens occasionem proximam præsentem, alibi eidem periculo vel etiam majori, ut puta meretricii, exponeretur, — vel cum juvene qui, relinquens scholam catholicam, ubi ob sodalem inevitabilem peccat contra castitatem, scholam laicam adiret, ubi ipsa etiam fides graviter periclitaretur, — vel cum uxore quæ in pravo matrimonii usu marito semper consentit, sed quæ per separationem liberorum educationem negligere deberet, etc. In hisce igitur casibus confessarius agat eodem modo ac in occasione physice necessaria quæ prorsus relinqui nequit, v. g. cum duobus eodem carcere inclusis, quorum alter alteri occasio esset.

b) Si confessarius prævideret, pœnitentem, versantem in bona fide circa obligationem relinquendi occasionem necessariam, illam post monitionem non relicturum, sed desperabundum vel offensum sacramenta deserturum esse. In hoc tristi casu confessarius certe diutius patientia et indulgentia uti debet et minus malum permittere ad majus malum vitandum. Magna semper charitate miserum hujusmodi peccatorem excipiat, animum ad spem erigat, ad orandum, frequentius confitendum et fortius resistendum efficaciter hortetur, timorem Dei ei incutere conetur. Si est saltem dubie dispositus, ipsum sub conditione absolvere potest. — Nihilominus, si confessarius, omnibus exhaustis mediis, nihil proficit, et pœnitens per multum tempus semper eodem fere modo relabi pergit, defectus firmi et efficacis propositi vix non moraliter certus est. Unde tandem eum ut non dispositum benignis verbis dimittere debet, exhortans ut redeat, quamprimum aut occasionem reliquerit aut remediis efficacius usus fuerit. Recogitet tunc, sæpe curam requiri, non curationem. Sicut enim medicus corporalis non omnes morbos curare potest, sed permittere debet ut multi moriantur, ita quoque confessarius, licet zelantissimus sit, impedire nequit quo-

minus complures animæ propria culpa in peccatis vivere pergant et in æternum pereant. Interim se pro iis oraturum esse promittat: haud raro enim hujusmodi postea, remorsu conscientiæ acti et timore Dei ac æternæ damnationis periculo perculsi, melius dispositi redeunt. — Immerito tamen censeres, plerosque omnes in occasione moraliter necessaria relabentes in hoc tristi versari statu, ut potius sacramenta plane relinquerent quam occasionem abrumperent.

163. — Aliqui recentiores theologi casum in thesi expositum vocant « absurdum », « chimæricam et absonam hypothesim ». Rationem allegant hanc: remedia opportuna si rite adhibentur, semper efficacia sunt; si non rite adhibentur, confessarius pœnitentem incitet, vel etiam per dilationem absolutionis, si opus est, adigat ut ea diligentius adhibeat et efficaciter resistat. — Verum enim vero, innumeri theologi antiqui et recentes, una cum S. Alphonso, hanc quæstionem ut casum vere practicum tractant, sicut videre est in *Vind. Alph.* (II, p. 235 sqq.) et Berardi (n. 82). Re sane vera; ratio enim opposita non valet: tanta namque est multorum pœnitentium infirmitas, tantæ sæpe sunt occasionis in qua versantur illecebræ et blanditiæ, præsertim in materia turpi, ut remedia indicata, etsi adhibeantur, tamen, neque post dilatam absolutionem, ita diligenter adhibeantur ut efficacem resistentiam producant. Apposite igitur Scavini-Del Vecchio: « Aliqui dicunt falsum suppositum, imo absurdum, quod quis remediis adhibitis in tali occasione eodem modo relabatur jugiter; at isti viam, indolem, propensionem cordis humani in praxi parum dignoscunt. Qui non magistri tantum, sed confessarii partes agit, id evenire posse ultra fatetur » (III, n. 342). Ita quoque Berardi: « Assero imprimis non esse chimæricam hypothesim pœnitentis, qui notabiles imo et magnos adhibeat conatus, tum ut remedia applicet, tum ut tentationibus resistat; et nihilominus jugiter relabatur et in continuo periculo versetur. Hoc patet manifestissime ab experientia » (n. 85).

Complures casus occasionis moraliter necessariæ recenset S. Alphonsus, advertens in fine si quis in iis, adhibitis etiam remediis, semper aut fere semper eodem modo relabitur, nulla apparente probabili spe emendationis, eas omnino physica separatione relinqui debere (cfr. *Th. Mor.* III, 438, 483; V, 63). Sic parochus vel confessarius qui, audiens confessiones alterius sexus, diu eodem fere modo relabitur in pollutiones voluntarias, si alia remedia frustra adhibita fuerint, officium relinquere debet, etiam cum gravissimo damno. Item chirurgus qui, curans partes inhonestas mulieris, longa experientia compertum haberet se semper eodem modo relabi. Item femina quæ vivit hospitando et jugiter eadem ratione peccaret sive cum diversis sive cum uno in particulari. Item artifices qui, addicti liberalibus artibus, puta scenicæ, musicæ, picturæ, poesi etc., in illarum exercitio occasionem proximam invenirent, in qua diu et semper sine notabili emendatione in eadem peccata contra castitatem relaberentur. Curiales, milites, caupones, mercatores etc. qui proprium officium non possunt deserere sine gravi detrimento, nihilominus si semper ob hoc officium relapsi fuerint, nec prudens emendationis spes effulgeat, tenentur juxta S. Doctorum cum quacumque jactura occasionem deserere et animam salvam facere (*l. c., in fine*). — His adde: duo fratres

vel sorores in eodem lecto dormientes et idcirco semper inter se peccantes, si alia media non juverint, id tandem etiam cum propria infamia parentibus dicere deberent. Famula, si diu eodem fere modo recidiva esset in peccata cum hero, tandem, exhaustis aliis remediis, eum omnino relinquere deberet, etiamsi ob infirmam valetudinem alium famulatum non inveniret et fame quasi periret.

Sit ergo casus « extremus », ut ait S. Doctor in *Conf. Dir.* (supra n. 135); sit etiam, saltem si de gravissimo damno agitur, relative rarus; eum « absurdum et chimæricum » esse, imprudenter et falso dicitur.

164. — *Adversarii* theseos hi præcipui sunt. Primo Joannes Sanchez (Sancius), qui docet, degentem in occasione proxima moraliter necessaria « fore absolvendum toties quoties vere pœnituerit, non solum quando aliqua emendatio notatur, ut tenent Suarez, Reginaldus, Coriolanus, Navarrus, Lopez, verum etiam quando nullus apparet profectus: impossibile sane moraliter non est, pœnitentem modo vere dolere de peccato et proponere cavere, statim vero post reditum ad domum, occasione instante, mutare propositum » (*Selecta.* Disp. 10, n. 16). Censet ergo hic auctor, contra complures alios quos adducit theologos, veram pœnitentiam indefinito etiam tempore stare posse cum nulla emendatione seu cum eodem semper relapsu, ac proinde occasionem moraliter necessariam numquam deserendam esse.

Hunc auctorem, saltem ex parte, secutus est Cardinalis de Lugo qui ita quæstionem ponit: « An qui absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, eodem tamen modo semper relabitur, nec in eo ulla correctio reperitur, cogendus sit subire illud detrimentum et relinquere occasionem illam proximam? — Affirmare videntur Suarez, Graffius, Reginaldus, quibus favet Navarrus. Oppositam sententiam docent Vivaldus, Joan. Sanchez et alii theologi. Quæ sententia in rigore verior videtur *per se* loquendo, licet *per accidens* possit prior habere locum » (*De Pœn.* Disp. 14, n. 156). « Dixi: *per se loquendo* videri hanc partem veriorem, licet *per accidens* possit altera sententia locum habere: quia aliquando ex illa experientia arguetur, pœnitentem carere nunc vero dolore et proposito requisito. Qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit » (n. 160).

Sed hic jam in antecessum animadvertendum est, Lugonem parum sibi constare. Probare quidem intendit variis rationibus thesim Joannis Sanchez, videlicet verum dolorem et propositum stare posse cum eodem semper relabendi modo per tempus indefinitum (n. 158, 159); ex quo concludit, occasionem proximam cum gravi detrimento *per se* relinquendam non esse. Sed deinde ita hanc *thesim limitat*, ut illam ipsam evertere videatur, et practice nobiscum sentire. Si enim qui efficaciter et serio pro-

ponit, « saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit », ut concedit Lugo, necessario consequitur, ut qui eodem modo semper relabitur, seu qui *non* « per aliquod tempus perseverat », et *non* « difficilius vel rarius cadit », tali efficaci et serio proposito careat, ac proinde absolvi nequeat, nisi occasionem cum gravi detrimento relinquat [1].

Lugonem more suo secutus est Pellizzarius, iisdem utens argumentis iisdemque fere verbis (*De Monialibus*, cap. 10, n. 188; ed. 4). Sciendum tamen est, hunc locum jussu S. Congregationis Indicis in emendata ejusdem operis editione (anni 1755) fuisse expunctum. (Cfr. infra n. 171).

Sæculo XIX præcipuus thesis adversarius fuit Ballerini, qui primus eam « absurdam hypothesim » vocavit, eamque fuse impugnat, dicitque sententiam « quam et S. Alphonsus ceu veriorem habet, nec rationi consonam esse, nec prudenter ad praxim deduci posse » (*De Pœn.* n. 120). Neque admittere videtur hic auctor limitationem Lugonis, quod scilicet « *per accidens* possit altera sententia locum habere ». Asserit tantum: « Alia via præsto est confessario, ut scilicet, omissa indiscreta illa obligatione, interim tamen absolutionem suspendat, quoadusque pœnitens opportuna media adhibeat et efficaciter resistat ». (Cfr. infra n. 176, obj. 5º) [2]. — Ad Ballerinium remittunt pauci quidam recentiores, qui ab ipso stare solent, uti Pighi, Génicot.

Favent autem thesi nostræ theologi ante et post S. Alphonsum consensu longe communiore. (Cfr. infra n. 172 sqq.).

165. — Thesis etiam hæc magni momenti est, quia agitur iterum de principio moralis christianæ: quid nimirum faciendum sit, ut sacramentum Pœnitentiæ digne administretur et debitis cum dispositionibus recipiatur, sitque revera juxta intentionem Christi repagula et frænum pravæ illius concupiscentiæ, quæ spiritum et oblectationes hujus sæculi conciliare nititur cum spiritu Evangelii, qui in abnegatione positus est.

---

[1] Paulo ante (n. 152) dixerat Lugo, quod hujusmodi occasionarius « debet adhibere alia remedia faciliora quæ potest »; ea autem reapse adhibita fuisse, etsi non satis efficaciter, certe supponit: absonum enim est de obligatione removendi *physice* occasionem necessariam serio quæstionem instituere, nisi antea eam *moraliter* seu per alia remedia faciliora removere tentatum fuerit. Ergo Lugo quæstionem eodem modo ponit ac nos in thesi cum S. Alphonso aliisque auctoribus.

[2] Non intelligitur, quomodo hic auctor de nostra quæstione dicere potuerit: « Abjiciantur dissentiones inaniter confictæ inter Doctores et tollantur somnia Doctoribus imprudenter attributa et disputatio planissima evadet » (n. 123). Videlicet ipsi Joan. Sanchez et Lugo, ut vidimus, expresse significant, se dissentire a Suarez multisque aliis Doctoribus, quos nominatim adducunt et fuse impugnant.

Probatur Thesis

I. — *Ex obligatione vitandi periculum formale peccandi.*

166. — S. Alphonsus in textu (§ 3, supra p. 134) thesim probat ex gravi obligatione, quam omnes agnoscunt, « vitandi cum omni jactura periculum proximum peccati formalis », seu, uti aiunt, periculum formale. Jamvero, ita pergit, « cum nulla spes apparet emendationis », periculum fit et manet formale; a. v. si experientia constat, nullam probabilem spem superesse fore ut periculum proximum moraliter seu adhibitis remediis fiat remotum, manet periculum formale. Huic autem se exponere « a peccato sejungi non potest », a. v. est « peccatum », quod numquam committere licet. Ergo tunc hoc periculum formale seu peccatum alio modo, scil. *physice*, « omnino est vitandum cum quocumque damno temporali, etiam vitæ ».

Ratio hæc ita commode in formam syllogisticam reduci potest:

Periculum proximum peccati formalis *alterutro* modo omnino vitandum est: aut *moraliter*, adhibendo nempe remedia quibus periculum e proximo fiat remotum, aut *physice*, scilicet fuga ac separatione.

Atqui in casu hoc periculum a pœnitente non vitatur *moraliter*, neque probabilis spes est fore ut in posterum ita vitetur, sicut experientia constat.

Ergo omnino vitandum est *physice*. Quod si pœnitens non vult, dispositus non est, neque a confessario, ut judice, absolvi potest.

Majorem admittunt theologi omnes, etiam adversarii hujus thesis (cfr. infra n. 176, *Obj.* 2º): est quippe lex naturæ. — *Minor* est factum, experientia probatum. — Ergo patet conclusio.

Circa propositionem *minorem* probe notandum est, nihil ad nostram conclusionem referre, *qua ex causa* pœnitens non removerit *moraliter* periculum proximum; sufficit facto constare, remedia adhibita efficacia non fuisse, neque solidam esse spem id ut in posterum fiat.

Sane ultima perpetui illius relapsus causa est infirma ipsius pœnitentis voluntas, qui in præsentia occasionis adeo allicientis non satis resistit, neque remedia satis efficaciter adhibet. Deus ex sua parte dat quidem huic infirmo peccatori gratiam sufficientem. Sed homo cum ea de facto generatim non resistet gravissimis talis occasionis tentationibus. Gratiam autem efficacem et abundantiorem Deus illi dare non tenetur, tum quia ejus oratio ut plurimum est tepida nec debitis munita conditionibus, tum quia in aliis etiam remediis adhibendis sæpissime non satis diligens est, tum denique quia hæc ulterior gratia specialis ipsi non est absolute necessaria ad vitandum peccatum. Potest enim homo alio

modo, etsi cum gravi vel etiam gravissimo incommodo, hoc peccatum vitare, videlicet tollendo *physice* occasionem, utpote hujus *peccati causam.* Deus autem certissime et justissime velle potest, ut homo hoc gravissimum sacrificium pro expiatione peccatorum vel pro salute animæ sibi imponat, quemadmodum etiam a multis aliis justis et peccatoribus gravissima exigit sacrificia. Recte Berardi: « Nonne potest Deus pœnitenti de quo loquimur, gratiam non concedere, eo quod v. g. sacrificia majora vel etiam derelictionem occasionis, non obstantibus incommodis et damnis, ab ipso prius exigat? » (n. 85). Certe « facienti quod in se est Deus non denegat gratiam »; sed quando Deus exigit aliquod grave sacrificium, homo non facit quod in se est, si illud ferre renuit quod, Dei gratia adjutus, ferre potest. Quum ergo experientia constet, pœnitentem, etiam post adhibita remedia, eodem semper modo relabi, nec solidam emendationis spem jam superesse, signum est, Deum velle ut pœnitens sibi gravissimum hoc separationis physicæ sacrificium imponat; ad quod exsequendum Ipse oranti certe vires præstabit.

Itaque nihil interest, *qua ex causa* fiat ut pœnitens occasionem proximam moraliter non removeat: sive ex interna sua infirmitate, sive ex vehementia passionis vel consuetudinis, sive ex magnis occasionis illecebris, sive ex quadam indiligentia in adhibendis remediis, sive ex ulterioris Dei gratiæ recusatione, sive ex omnibus hisce causis simul sumptis. Certum enim manet, periculum proximum *alterutro* modo removendum esse: aut *moraliter*, aut *physice*. Quia igitur id in casu priori modo non fit, posteriori modo ut fiat ipsa lex naturæ postulat.

II. — *Ex præcepto Evangelico.*

167. — Apposite deinde sanctus Doctor ibidem (p. 134, § 3) ad probandam suam thesim cum multis aliis theologis adducit præceptum Domini: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum* etc. Ille enim locus fere communiter parabolice explicatur de occasionibus, quæ proxime ad peccatum incitant et causæ exteriores sunt propriæ ruinæ spiritualis: has omnino removendas esse præcipit Christus, etiamsi sint adeo caræ ac necessariæ sicut oculus et manus [1]. Quod si moraliter non fit, id physice fiat necesse est. — Eodem spectat alter locus a sancto Alphonso citatus: *Quid prodest homini* etc.; detrimento enim spirituali animæ, quod quis patitur si propter occasionem perpetuo in peccatum recidit, omnia mundana quæ hujus perpetui relapsus causa essent, postponenda sunt.

Huc etiam alii Evangelii textus referri possunt: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matt.* 10, 34), et: *Si quis*

---

[1] Cfr. Knabenbauer, *in Matt.* 5, 29 sqq., et A Lapide, *ib.*

venit ad me et non odit patrem suum etc., *non potest meus esse discipulus* (*Luc.* 14, 26). Quorum sensus hic est: ad Christi discipulatum amplectendum oportet etiam maxima perferre sacrificia et pati detrimenta, uti esset patrem vel matrem relinquere, si illi essent hujus sequelæ obstaculum. Quod idem etiam valet de amplectendis Christi præceptis moralibus quæ sub gravi obligant; nam et hæc ad ejus sequelam pertinent. Jamvero, si quis propter occasionem proximam, personam aut rem, etiam carissimam et necessariam, diu eodem semper modo graviter peccaret contra fidem aut honestatem christianam, nec solida esset emendationis probabilitas: profecto hæc persona vel res esset perpetui status peccati causa et obstaculum permanens Christi sequelæ, ac proinde juxta ejus præceptum cum maximo etiam sacrificio relinqui deberet. Est hic spiritus Evangelii, qui in abnegatione et renuntiatione positus est, contra spiritum mundi, qui concupiscentiæ laxas habenas relinquit.

III. — *Ex defectu veri propositi.*

168. — Re quidem vera; ad naturam enim sacramenti Pœnitentiæ « requiritur, ait S. Alphonsus, ut propositum sit *efficax*, id est *aptum efficere quod proponitur;* et ideo oportet quod pœnitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum » (VI, 451). Qui enim vult finem, debet velle etiam media. Hæc autem media, uti patet, debent esse apta ad finem consequendum: apta quidem, non *in se* et absolute tantum, sed etiam relate ad conditionem *subjectivam* pœnitentis.

Atqui in casu thesis nostræ longa experientia monstratum est, alia media, vigilantiam, inquam, orationem, frequentiorem Sacramentorum usum, ipsamque etiam absolutionis dilationem, licet in se et in aliis adjunctis apta sint, tamen relate ad conditionem *subjectivam hujus pœnitentis*, pro magna sua infirmitate vel negligentia in tam illecebrosa occasione, non satis apta esse ut illorum finis, evitatio peccati, in posterum prudenter sperari possit. *Unicum* autem medium *hic et nunc* vere aptum ad finem illum consequendum esset fuga et separatio physica.

Ergo hoc medium pœnitenti, etiam cum gravi vel gravissimo suo incommodo aut detrimento, adhibendum est; secus ejus propositum non est vere efficax, ac proinde absolutio a confessario, ut judice, per se dari nequit. Hoc sensu S. Alphonsus dicit, occasionem necessariam deserendam non esse, « nisi in casu quo non aliud adesset remedium » (*Avvert.* n. 6, supra n. 160).

Confirmari potest hoc argumentum *a pari*, scilicet ex eo quod, licet multa sint media *in se* apta ad vitandum relapsum (v. g. oratio, propositi renovatio etc.), nihilominus si quis experientia sciret, iteratam per annum confessionem sibi esse medium necessarium, *per accidens* hoc medium adhibere deberet. Ita *communiter* theologi, ut testatur Lugo: « Confessio

(scilicet frequentior per annum) est per accidens necessaria sub novo peccato, quando alicui existimatur medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem et vitandum aliquod peccatum mortale quod absque hoc medio non vitabit: quam doctrinam circa alia media per accidens necessaria tradunt *communiter* theologi » (Disp. 15, n. 42 et n. 57). Jamvero, eodem modo dicendum est de occasionario, qui experientia perspectum haberet, se peccatum non vitaturum, nisi adhiberet medium separationis physicæ; licet enim multa alia sint media in se apta, tamen ipsi, pro subjectiva sua dispositione, hæc separatio est *unicum* medium, ac proinde *necessarium* et per accidens hic et nunc adhibendum. Quod medium si pœnitens adhibere renuit, non est dispositus ob defectum veri propositi [1].

IV. — *Ex officio medici.*

169. — Alia ratio sumitur ex officio confessarii, ut est medicus. Hoc namque officium postulat, ut pœnitentias seu satisfactiones imponat, quæ non solum sunt vindicativæ, sed etiam medicinales, quibus pœnitens præmuniatur a futura culpa [2], scilicet, ut loquitur Tridentinum (*sess.* 14, *cap.* 8), « ad vitæ novæ custodiam et infirmitatis medicamentum ». Pro peccatoribus autem occasionariis præcipuum medicamentum contra futuram culpam est tollere occasiones, quippe quæ, ut S. Thomas ait, sunt « *causæ* peccati exteriores ». Hinc celebre illud S. Augustini: « Satisfactio est peccatorum causas tollere »; quod explicans S. Thomas dicit: « Causæ proximæ peccati actualis sunt duplices, scilicet *interiores*, ut libido ex consuetudine vel actu peccati, et ea quæ dicuntur reliquiæ peccati; quædam vero sunt *exteriores*, ut exteriores occasiones ad peccandum, scilicet locus, mala societas et hujusmodi; et tales causæ in hac vita per satisfactionem tolluntur » (*l. c.* ad 1). Jamvero, quando illæ satisfactiones seu pœnitentiæ sunt medicamentum, non solum utile, sed moraliter necessarium ad præmuniendum pœnitentem a futura culpa, confessarius qua medicus eas injungere non tantum potest, sed et debet, etiamsi gravissimæ sint, modo sint prudentes, id est modo pœnitens eas sit exsecuturus, nec infirmitatem ejus spiritualem exsuperent.

---

[1] Ceterum, etiam quando hujusmodi pœnitens, semper eodem modo relabens, in illa occasione maneret, dispositus non esset ex defectu veri propositi. Ita recte Castro-Palao contra Joan. Sanchez: « Quando nulla adest emendatio, sed forte major in dies peccatorum numerus augetur, satis certo potest confessarius inferre, non habere pœnitentem verum propositum se emendandi; quia in peccatum grave non ita facile labitur quis, quando illud ex animo exsecratus est, majoreque diligentia se præcavet, quidquid in contrarium sentiat Joan. Sanchez » (tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 17). — Eodem modo supra (n. 164) Lugonem argumentantem vidimus, ut concludat aliquando *per accidens* occasionem necessariam relinquendam esse.

[2] Cfr. S. Thomas, *Suppl.* qu. 12, a. 3.

Atqui in casu thesis nostræ satisfactio, scilicet *physice* tollere occasionem, est medicamentum *moraliter necessarium;* experientia enim monstravit, alia media tentata, ipsam etiam dilationem absolutionis, non fuisse efficacia — nihil refert qua ex causa —, nec spem solidam esse fore ut in posterum ita sint.

Ergo confessarius, etiamsi ut judex pœnitentem absolvere posset, tamen ut medicus futurum respiciens hanc pœnitentiam seu satisfactionem, præcisionem dico occasionis, per se imponere debet, licet cum gravissimo pœnitentis incommodo aut damno. Sic medicus, postquam in vanum omnia adhibuit remedia ad infirmum curandum, tandem membrum aliquod resecare, etiam cum gravissimo infirmi dolore, decidit, ut reliquum corpus salvetur.

Atque hæc est ratio, cur sancti *Patres* et antiqui Ecclesiæ *canones* (ap. S. Alph., supra p. 135, § 4) ad veram pœnitentiam postulent, ut peccator deserat officium seu munus, quod sine peccato exerceri moraliter fieri non posse, experientia comprobatum est: sunt nempe illæ occasiones seu causæ exteriores, ob quas quis, etiam post alia tentata media, semper eodem fere modo in peccata relabitur.

V. — *Ex periculis sententiæ oppositæ.*

170. — Si hujusmodi occasionarii, de quibus in thesi, numquam obligantur ad deserendam occasionem, haud parvum inde oriri videtur periculum pro digna administratione sacramentorum, pro honestate etiam morum populi Christiani, pro salute denique animarum. — Re sane vera; est enim factum, complures Christianos diu et assidue in eadem relabi peccata, inductos per occasiones moraliter necessarias, seu illas quas sine gravi damno vel incommodo relinquere non possunt. Si hisce Christianis ad sacramentum Pœnitentiæ accedentibus numquam injungenda esset obligatio relinquendi illas occasiones, etiamsi forte per annos eodem semper modo misere relabuntur, neque, teste experientia, ulla solida spes notabilis emendationis adest, profecto sæpe *nimis dubia* erit horum *dispositio* et insufficiens propositum, ut ipse Lugo concedit (supra n. 164). Unde si absolvuntur, certe multis Christianis sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ indigne ministrabuntur.

Præterea, miseri illi, si in iisdem usque relinquuntur occasionibus, paulatim profundius peccatis immerguntur, magisque iis assuefiunt; hinc voluntas semper infirmior, occasio carior, vis consuetudinis vehementior, gratia etiam parcior: « Deus enim non irridetur » (*Gal.* 6, 7); brevi, eorum *animæ conditio semper pejor* salusque æterna difficilior evadit. Sæpe tamen accidit ut hujusmodi, postquam diu in peccatis vixerint, sponte sacramenta relinquant, quia hæc sibi

inutilia esse, seque ad ea accipienda dispositos non esse ipsimet persentiunt; qui si prius moniti fuissent de relinquenda physice illa occasione, haud raro paratiores ad hoc fuissent.

Si nihilominus a confessario aliisve inducti aut consuetudine permoti ad sacramenta accedere pergunt, facile hic nefastus oritur *mentis error*, religionem Christianam componi posse cum eadem jugiter peccandi vita sine ulla seria emendatione, praxim vitæ Christianæ non requirere illam abnegationem quæ interdum cum gravi etiam detrimento temporali occasiones seu causas peccatorum resecare præcipit, ad hanc praxim sufficere accessum ad sacramenta, etiamsi quis per annos nihil fere ex iis quæ proposuit efficaciter perficiat sed toties quoties eodem quasi modo relabatur: qui error si in populum Christianum penetraverit, quantum damnum honestati morum allaturus sit, nemo est qui non videat. (Cfr. infra n. 172 verba Tanner).

Optime quidem suadent adversarii, ut hisce interdum absolutio differatur quo melius remedia adhibeant et efficacius resistant. Sed neque hæc dilatio sæpenumero sufficit, neque semper impedit quominus eodem fere modo relabi pergant: præcipua enim relapsuum causa est præsentia occasionis externæ, vehementi sua vi allicientis et velut excæcantis (supra, p. 21, § 10). In hac autem permanere sinuntur. — Adde quod, si confessarius identidem hoc remedio dilationis uteretur, periculum iterum esset, ne pœnitens animo fractus aut pertæsus ad confessionem jam non rediret.

Itaque in praxi sententiæ oppositæ undique pericula urgere videntur, tum ex parte puritatis doctrinæ moralis Christianæ, tum ex parte salutis animarum. Quodsi, ut vult sententia in thesi propugnata, hujusmodi occasio, quamprimum probabilis emendationis spes aberit, *unico* actu plane abrumpitur, certe hisce periculis multo melius occurritur: debitæ sacramenti dispositiones non ita facile deerunt; doctrina moralis Evangelica in sua nativa gravitate et severitate servabitur; gloria Dei externa innumeris illis plurium forte annorum offensis haud ita imminuetur; neque etiam salus animarum adeo periclitabitur, modo confessarius non diutius tardaverit, sed suo tempore prudenter et fortiter physicæ occasionis remotioni institerit. — Quid si pœnitens ob talem monitionem sacramenta plane desereret, vide supra n. 162, *b*).

VI. — *Ex prohibitione operis Pellizarii.*

171. — Post has omnes rationes expositas nemo mirabitur, S. Congregationem Indicis in opere Pellizarii suppressum voluisse locum illum, in quo hic auctor iisdem argumentis quibus Lugo oppositam nostræ thesi sententiam docuerat. Videlicet, ut supra (n. 94, 5º)

vidimus, S. Congregatio in indicem librorum prohibitorum retulit opus Pellizarii, cui titulus *De Monialibus* (ed. 1646), non simpliciter quidem, sed « donec corrigatur ». In nova igitur editione hujus operis (anni 1755), jussu ejusdem S. Congregationis, plures factæ sunt correctiones, inter quas etiam est suppressio illius doctrinæ remissioris quam in hac thesi oppugnavimus [1].

Hac autem agendi ratione S. Sedes novum et gravissimum pondus nostræ thesi adjecisse nobis videtur: unica enim ratio hujus suppressionis erat, quod S. Congregatio illam sententiam duxerit nimis laxam.

Confirmatur Thesis auctoritate

172. — Theologi certe sententia longe communiore thesi nostræ suffragantur. Plures jam citantur a S. Alphonso (§ 2, p. 133). Ipsi Joannes Sanchez et Lugo ultro concedunt, multos quos adducunt sibi adversari (supra n. 164). Plures alios allegant *Vind. Alph.* (II, p. 234-241) et Berardi (n. 82; ed. 3ª, n. 89 sq.), ad quos, ne longi simus, lectorem remittimus. — Ex *antiquis* aliquot verbotenus adducere non abs re erit.

S. Caroli Borromæi verba vide apud S. Alph. hic in textu § 4 (p. 134) et VI, 458, § 4 (infra n. 189).

S. Leonardus a P. M. thesi plane adhæret. Agens de occasionariis scribit:

« Si post repetitas admonitiones non se emendant, obligandi sunt etiam ad relinquendam artem, quæ ipsis est tot peccatorum occasio proxima. Quamquam, antequam ad hanc extremam solutionem deveniatur, multo et maturo opus est consilio. Quando enim in quodam medico, chirurgo, caupone, mercatore, advocato, procuratore et similibus adest quædam *moralis impossibilitas* relinquendi officium, quia alius procurandi sibi victum modus non suppetit: hujusmodi occasionarius per aliquod tempus tractari debet ut recidivus qui sine illicio

---

[1] Locus suppressus hic est: « *Quær.:* An confessarius debeat cogere monialem ad vitandam occasionem proximam ei per aliquod tempus permissam ob grave damnum, quod ei provenire poterat ex remotione dictæ occasionis; si progressu temporis videat illam semper eodem modo relabi, nec in ea reperiri ullam emendationem; idque etiamsi idem damnum in præsentia ipsi immineat? — *Resp.* Non debere cogere, sed posse illam adhuc absolvere, si vere occasionem illam proximam etiam modo deserere nequeat absque gravi suo damno. Ita in terminis *de Lugo* (n. 156) ex Vivaldo, Sancio et aliis theologis. Probatque, quia adhuc post experimentum nullius profectus ac emendationis potest stare verus dolor ac propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem cum tanto damno; ergo monialis in tali casu potest absolvi, cum ad talem effectum requiratur solum confessio cum dolore ac proposito. Sicut enim in præteritis confessionibus potuit absolvi, eo quod non tenebatur cum tanto suo damno auferre occasionem, sic ob idem detrimentum adhuc perseverans excusatur modo ab auferenda dicta occasione; nec assignari potest, unde in præsentia oriatur gravis obligatio tollendi occasionem, quæ obligatio antea non esset; ideoque si antea excusabatur, excusabitur etiam nunc, cum militet eadem ratio » (*De Monialibus*, cap. 10, n. 183; ed. 1646). Fallax esse hoc argumentum Pellizarii et Lugonis, infra (n. 175, *Obj.* 1º et *Obj.* 6º) ostendetur.

causæ externæ peccat. Atvero, si post debita tentamina pergit peccata peccatis accumulare, neque ulla in eo videtur emendatio, *obligandus est* ad relinquendum officium quod haud dubie causa erit æternæ suæ damnationis » (*Disc.* n. 25).

CAJETANUS de « eundo ad locum sive societatem, ubi est periculum peccandi mortaliter », hæc docet:

« Ex conditione personæ fragilis mensurare se tenetur qui, fragilitatis propriæ conscius, dubitat de casu. Et si experientia teste didicit, se non subsistere in hujusmodi, sed statim aut quasi statim cadere, *nulla necessitate vincatur* ut illuc eat aut ibi moretur. Scriptum est enim: *Si pes tuus scandalizat te...* Si vero constantem se putat futurum et necessitas eundi urget, peccatum non video » (*Summa*, v. *Periculum*).

SUAREZ, loquens de occasione proxima quæ « *moraliter vitari non potest* », sed in qua quis « iterum atque iterum reincidit », ait:

« Interdum differri potest absolutio et major aliqua pœnitentia vel cautio adhiberi. Quodsi tandem experimento constet, hæc non sufficere, *cogendus erit* interdum pœnitens ad tollendam occasionem, *etiam cum gravi temporali nocumento* » (Disp. 32, sect. 2 in f.). Illud « interdum » tunc sane contingit, quando, exhaustis omnibus remediis, nulla jam probabilis emendationis spes superest.

TANNER de nostra thesi hæc habet:

« Qui sui juris sunt, adeoque possunt proximam occasionem sine tertii injuria vitare amoliendo peccati occasionem, illi, nulla causa *quantumvis gravi* obstante, postquam omnia media quæ ad peccatum vitandum utilia videri poterant in vanum tentata et præscripta sunt, plane *tenentur* proximam et specialem peccati occasionem resecare, qua videlicet durante prudenter existimandum est eos in peccatis non cessaturos, etiamsi *extremam paupertatem et calamitatem* sustinere cogerentur ». Quod postquam probavit, hoc serium monitum addit: « Qua de causa confessarius tamquam prudens dispensator caveat ne, margaritam absolutionis projiciendo ante porcos, sacrilegium committat et peccatorum pœnitentis particeps fiat, invocato etiam hac in re lumine et ope Spiritus Sancti. Quia certe inter alias causas, quare mundus tot iniquitatibus repleatur, hæc non videtur minima, quod confessarii tam facile absolvunt quos sua conscientia et Deus ipse ligatos tenet, ut recte etiam notavit Cardinalis Borromæus » (Tom. 4, disp. 6, qu. 9, n. 112).

LA CROIX docet:

« Qui non potest vitare occasionem externam, tenetur periculum formale peccandi cavere per actus internos vel per alia media... preces ad Deum, pœnitentias voluntarias, aliaque quæ ipsi confessarius suggeret. Quodsi nihilominus maneat periculum proximum, *tenetur cum quocumque incommodo*, etiam cum dispendio vitæ, abire » (lib. 5, n. 268). Item: « *Qualiscumque sit necessitas se exponendi periculo peccati*, semper simul est obligatio avertendi periculum formale peccandi; hinc qui per experientiam scit, se communiter non posse avertere hoc periculum, sed solere peccare mortaliter,... absolvi non potest, si hæc nolit efficaciter vitare » (n. 270). Itaque quando Croix paulo ante quæstionem ita ponit: « Si quis nullo modo possit facere, ut cum occasione externa non sit conjunctum periculum formale peccandi... » (n. 261), loquitur de « *morali* impossibilitate », ut ibidem dicit, seu de illo qui experientia scit, se adhibitis etiam mediis ob suam infirmitatem communiter non posse avertere periculum.

Viva, agens de occasionario qui « sæpius in eadem peccata redeat, nec appareat ulla emendatio », memorat sententiam Joannis Sanchez putantis hunc « absolvi posse toties quoties, si appareant vera signa doloris ». Tum ipse dicit:

« Suarez tamen, Navarrus, Reginaldus et alii *communiter* docent, absolvendum non esse, sed cogendum ad occasionem proximam deserendam, *etiam cum maximo detrimento*. Et ratio est, quia quoties certo moraliter quis in aliqua occasione est peccaturus, debet illam fugere, *etiam cum discrimine vitæ*. Qui autem frequentissime relapsus est absque ulla emendatione in idem peccatum, certo moraliter est peccaturus. Ergo tenetur illam occasionem dimittere, etiam cum magno detrimento » (*in Prop.* 41 *Alex. VII*, n. 17). Dein rationes contrarias confutat. Fac advertas, Vivam sententiam nostram *communem* vocare.

Mazzotta quoque probat nostram sententiam, eamque *communem* dicit:

« Quæres, an possit absolvi pœnitens qui versatur in occasione proxima sibi necessaria, et adhibitis omnibus remediis semper labatur ut prius? Respondeo, non posse absolvi, nisi proponat eam deserere, *etiam cum periculo omnium bonorum, famæ, vitæ*, etc. Ita Cajetanus, Navarrus, Lopez, Reginaldus et alii *communiter* contra... alios » (*De Pœn.* disp. 2. qu. 4, cap. 3, § 3).

173. — Quod attinet ad antiquos auctores qui a S. Alphonso (p. 133, § 2) pro sententia opposita adducuntur, hæc animadvertenda sunt: 1° « Plerique, ita recte Lacroix, scripserunt ante damnationes variarum propositionum, quæ huic numero magnum lumen attulerunt » (lib. 5, n. 261). Item fere omnes scripserunt ante prohibitionem operis Pellizarii (supra n. 171). 2° Lugo, ut vidimus (n. 164), inconsequentia peccat: *per se* et theoretice thesim Joannis Sanchez quidem admittit; sed *in praxi* nobis consentit, quia vult *per accidens* nostram sententiam locum habere, eo quod semper relabens bonum propositum habere nequeat. Atque idem dicendum de Palao et Holzmann. 3° Alii quidam, scilicet Joan. Sanchez et Tamburini, inter illos auctores a S. Alphonso recensentur qui « incaute in pluribus opinionibus nimis benignitati indulserunt » (Diss. 1757, n. 88); quod etiam de Gobat valet. Imo opus Sanchez ob laxiorem ejus doctrinam in Indicem librorum prohibitorum relatum est. 4° Fabri et Pallavicini generalia tantum habent, quæ thesi nostræ non adversantur (cfr. p. 133, nota [d]) apud Gaudé). — Post hoc examen criticum cuique constabit non sine magna mica salis et debita distinctione accipienda esse verba Lacroix dicentis, auctores « plurimos » et « gravissimos » pro opposita stare sententia. Contra, antiquorum pars longe major nostræ thesi favet, ita ut Viva et Mazzotta eam « communem » dicere non dubitaverint. Ceterum ipse Lacroix nostram sententiam vocat « veram ».

Huic argumento ex auctoritate antiquorum hæc *opponit* Ballerini. Concedit quidem, eos obligationem deserendi occasionem im-

ponere, sed « obligatio, inquit, quam urgent, occasionem deserendi intelligenda est *conditionata*, nimirum quando pœnitens animum non inducit opportuna, imo et necessaria adhibere remedia, quæ periculum e proximo efficiant remotum » (*l. c.* n. 129).

Resp. Plurimi auctores antiqui expresse dicunt, remedia jam fuisse adhibita, et omnes id certe supponunt. Neque enim ita desipiunt illi theologi, ut remotionem physicam occasionis necessariæ urgeant, antequam ejus remotio moralis per usum remediorum tentata fuerit. — Per transennam hic advertat prudens lector, egregium adversarium hisce verbis plane confirmare primum nostrum argumentum (n. 166), videlicet: *si* pœnitens *moraliter non* vitat periculum proximum, id *physice* vitare omnino debet; *conditionem* autem illam moralis remotionis sæpe non rite impleri — parum refert qua ex causa —, factum est evidens; restat ergo ut *physice* id faciat. (Vide etiam infra n. 176, *Obj.* 2º). Unde merito Berardi, « ambiguitatem » et « ambages » Ballerinii notans, advertit: « Nonne frequentissimus est casus, in quo pœnitens non quidem verbo, sed facto demonstrat, se animum non inducere ad adhibenda remedia necessaria? » (ed. 3ª, n. 95 *nota*).

174. — *Recentiores* post S. Alphonsum auctores maximo etiam numero huic thesi subscribunt. Paucos dumtaxat accipe.

Card. D'Annibale hæc docet: « In moraliter necessariis (occasionibus) versari ex causa gravi non est illicitum, sed ea lege ut remotas eas reddas; alias — quasi voluntariæ — deserendæ, detrudendæ sunt protinus, *etiam* — quæ mihi *verior* et *omnino tenenda sententia* est — *cum vitæ jactura.* Ceterum, exponere se periculis et occasionibus non est illicitum ex justa causa, id est gravi, si periculum labendi est grave; gravissima, si hoc gravissimum est; præterquam si certe moraliter prævideatur lapsus in peccatum » (T. I. n. 172). Remittit autem ad hunc num. 457 et ad V, n. 63 S. Alphonsi.

Card. van Rossum item sententiæ S. Doctoris plane adhæret, eamque vindicat (*Comment.* ed. 2ª, p. 77-82).

Eodem modo Aertnys (II, 477, qu. 2º), Marc (n. 1825, qu. 2º) et alii discipuli S. Alphonsi.

Gury hæc habet: « An possit absolvi qui, versans in occasione *necessaria*, remediis etiam adhibitis, eodem semper modo labitur? *Resp. Negative*, nisi signa extraordinaria doloris dederit. Ratio est, quia, licet præscripta remedia se adhibuisse asserat, imperfecte tamen ea adhibuisse censendus est. Deserat igitur occasionem *quocumque etiam incommodo*, priusquam absolvatur » (*Th. Mor.* I, n. 478). Ita in edit. 1862 et 1873; in editionibus a Ballerini curatis hæc responsio mutata est.

Scavini - Del Vecchio, explicans nostram sententiam dicit: « Non tamen illico obligandus ad occasionem fugiendam cum quocumque damno, sed adjuvandus, hortandus, confortandus, ut alia atque alia remedia adhibeat ad peccata diminuenda. Quodsi hoc non obstante semper recideret sine ulla emendationis spe et ideo non sine damnationis periculo, omnino tenetur occasionem deserere, *cum quocumque etiam vitæ detrimento* » (III, n. 342).

Müller: « Qui in occasione necessaria etiam adhibitis remediis semper eodem modo relabitur, si nulla emendatio nec probabilis spes emendationis per specialia signa doloris appareat, absolvi nequit, nisi occasionem deserat *cum quacumque jactura* » (§ 156, 3).

Ciolli: « Quod ad occasionem proximam necessariam attinet,... absolvi nequit, antequam occasionem *quocumque incommodo* re ipsa relinquat, ille qui, licet remedia opportuna adhibuerit ad reddendum remotum talis occasionis periculum, nihilominus semper eodem modo recidit sine emendatione aut emendationis probabilitate; quia damnum animæ — hoc bene notetur — præ omni alio damno vitandum est » (*Dirett. prat.* n. 70, IX).

Berardi quoque thesim nostram pluribus rationibus probat (n. 86).

Lehmkuhl item recte docet: « Si occasio *libera* quidem *non est*, at neque plane inevitabilis, contra recidivum demum pronuntianda est realis ab occasione separatio, etiamsi sit *cum magno incommodo vel damno* conjuncta, quando experientia docuit, serium et constantem remediorum usum aut eorum efficaciam sperari revera non posse » (*Neo-Conf.* n. 188, litt. *S*; item litt. *O*).

Tanquerey denique hæc tenet: « Si versantes in occasione proxima *necessaria* semper eodem modo relabuntur, post plures paternas instructiones, exhortationes et increpationes, non possunt absolvi, nisi signa extraordinaria contritionis præbeant, aut occasionem deserant, *etiam cum gravissimo incommodo*. Ita *communiter* cum S. Alphonso contra paucos » (n. 630).

Ex hactenus relatis hæc profluit *conclusio:* pars longe major theologorum tum antiquorum tum recentiorum stat pro thesi nostra; unde, spectata etiam *sola auctoritate* extrinseca, ea ita superat sententiam contrariam, ut hæc jam non solide probabilis esse videatur. Hanc quoque *intrinseca* probabilitate destitui, non solum ex rationibus supra (n. 166 sqq.) relatis liquet, sed etiam ex argumentorum contrariorum solutione patebit.

Argumenta contraria solvuntur

Argumenta contra thesim exponuntur a Lugone et Ballerini. Quo veritas magis pateat, ea omnia ingenue referemus eaque parum efficacia esse videbimus.

175. — 1° *Objectioni* Lugonis respondet S. Alphonsus (p. 134, § 4). Verba Lugonis hæc sunt: « Sicut prima vice potuit absolvi, eo quod cum tanto detrimento non tenebatur auferre occasionem illam, sic propter idem detrimentum quod perseverat excusatur tempore sequenti ab auferenda occasione ». (Disp. 14, n. 158). Eodem fere modo Pellizarius (supra n. 171, *nota*).

Respondet merito S. Doctor: « Dispar est ratio ». Etenim prima vice solida aderat spes removendi aliis remediis opportunis periculum proximum; sed si experientia constat jam non esse spem fore ut illa remedia pro *hoc* pœnitente sint efficacia, manet *unicum*

remedium, quod est separatio physica. Unde prima vice grave detrimentum optime excusare poterat, non item tempore sequenti.

Instat Lugo: Initio « etiam constabat necessitas moralis auferendi occasionem ad vitandum peccatum; atque ideo ex eo quod magis hoc ipsum jam constat diuturniori experientia, non accrescit obligatio gravis; quia totum illud argumentum est secundum magis et minus intra idem genus » (*l. c.*).

Resp. Initio nequaquam constabat necessitas moralis auferendi *physice* occasionem ad vitandum peccatum, quia aderat *probabilis spes* removendi *moraliter* periculum proximum peccandi. Postea vero jam *non amplius* erat hujusmodi probabilis spes, sicut experientia comprobatum est; unde tunc restat unicum remedium, quod est separatio physica. Hæc ergo differentia non est « secundum magis et minus », sed secundum « *esse* et *non esse* » [1]. Vide S. Alph. (*l. c.*).

176. — 2° *Objicit* Ballerini: « Pœnitens utique ex lege naturæ tenetur ad vitandum periculum proximum. At vero cum id obtineri *duplici* modo possit, nempe *vel* utendo mediis opportunis, ut periculum fiat remotum, *vel* removendo seu fugiendo occasionem; pœnitens ex lege naturæ ad *alterutrum* tantummodo tenetur. Ergo confessarius non potest illi hoc potius imponere, quam illud. Et ratio est, quia confessarius non est legislator » (n. 126; item 120 et 129).

Responsio est simplex: quia pœnitens, licet sæpe monitus, *priori* modo id non fecit, neque in posterum probabiliter faciet, uti experientia constat, id *posteriori* modo facere debet, idque ex lege naturæ. Ergo etiam confessarius per se hoc ipsi imponere potest et debet, non sane ut « legislator », sed ut doctor et præco legis naturæ. — Advertas iterum, Ballerinium dicentem hic: « Ex lege naturæ *ad alterutrum tenetur* » implicite concedere primam nostram rationem (supra n. 166, 173).

Obj. 3°. Confessarius ex duobus mediis, quibus finis obtineri potest, pœnitenti non potest *difficilius* injungere, scil. physicam occasionis remotionem, sed solum facilius, qualis est adhibitio remediorum. Ita Ballerini (n. 120 et n. 126).

Resp. Si pœnitens medium in se *facilius* re vera non adhibet — nihil refert qua ex causa —, aliud quod in se *difficilius* est adhibere debet; ergo confessarius hoc ei etiam injungere potest et debet.

Obj. 4°. Imprudens est praxis in thesi commendata: si enim pœnitens non facit quod est facilius, scil. adhibere remedia, a for-

[1] Eodem fere modo Génicot: « Illa moralis connexio cum peccato jam constabat, quando prima vice agnovit confessarius eam esse occasionem proximam; experientia nihil aliud fecit quam majorem certitudinem de eodem præbere » (n. 374). — *Resp.* Prima vice nequaquam constabat moralis connexio cum peccato; quia confessarius *probabiliter* sperare poterat fore ut peccatum per usum remediorum evitaretur. Postea vero paulatim, comprobante experientia, hæc *probabilitas evanuit*, et perpetuus ille relapsus ob occasionem moraliter certus factus est.

tiori non faciet quod est difficilius, ac proinde in pejorem labetur statum. Ita Ballerini (n. 120, *Insuper*).

Resp. Negandum omnino est id semper accidere. Sæpe namque pœnitenti rite disposito facilius est ponere *unicum* actum valde difficilem et quasi heroicum, nimirum abrumpere occasionem moraliter necessariam, quam postea, quum fervor imminuerit et tentatio increverit, per longum tempus, forte per menses et annos, quotidie adhibere illa remedia vigilantiæ et orationis cum assidua luctatione contra proprias passiones et insidiantium illecebras. Unde apposite ad rem nostram advertit Lehmkuhl: « Quod *in se* difficilius videtur, facilius tamen *una vice* perficitur » (*Th. Mor.* II, 619, 2). Est hoc factum psychologicum, quotidiana experientia stabilitum. Sic e. g. innumeri religiosi facilius reputant, renuntiando huic sæculo, uno prægrandi et *in se* difficillimo sacrificio gravia peccandi pericula physice abscindere, quam, manendo in sæculo, per assiduam vigilantiam et pugnam eadem pericula moraliter removere. Minime igitur obstat quod scripsit Segneri: « Quando in praxi difficilius est tollere occasionem quam, hac permanente, reipsa vitare peccatum, non potest esse obligatio eam deserendi » (*Conf. Istr.*, cap. 5). Nam sæpenumero quod in se difficilius est, in praxi non ita erit, sed facilius unico actu perficitur, ut dictum est. Quod si prudens confessarius pœnitenti ante oculos ponit, sæpe hic id etiam persuasum habebit. Sin autem re vera prævidetur, pœnitentem id quod in se difficilius est non exsecuturum esse, et si jure timetur ne, imposita hac obligatione, a sacramentis et ab Ecclesia alienetur, tunc sane prudentia benigniorem quamdam tractandi rationem vel saltem longiorem patientiam præciperet, uti supra (n. 162, *b*) jam diximus. Sed hæc exceptio *per accidens* facienda, minime officit thesi nostræ generali, ceu principio *per se* in multis aliis casibus sequendo.

Obj. 5º. Pœnitens potius per absolutionis dilationem cogendus est, ut remedia rite adhibeat et efficaciter resistat. Ita Ballerini: « Nonne alia via præsto est confessario, ut scilicet, omissa indiscreta illa obligatione, interim tamen absolutionem suspendat, quousque pœnitens opportuna remedia adhibeat et efficaciter resistat? » (n. 120).

Resp. Id faciendum esse, jam ultro concessimus, idque quamprimum commode fieri potest, ne sero medicina paretur. (Cfr. thes. 7ª). Sed etiam post hoc experimentum dilationis, teste experientia, optime fieri potest ut pœnitens eodem fere modo recidat, ex omnibus illis causis supra (n. 166) expositis. Neque enim adversarius noster admittet, suspensionem absolutionis infallibile esse emendationis remedium. Quæritur igitur, quid *tunc* faciendum sit? Nihil aliud restat juxta ipsum Ballerini quam physica separatio; quia alterutrum omnino faciendum esse ipsemet fatetur (supra n. 176, *Obj.* 2º).

— Ceterum ex sæpe iterata illa dilatione grave enascitur periculum fore ut pœnitens sacramenta pertæsus et emendationem desperans ad confessionem non amplius redeat. Quare multo præstat, ipsum in casu nostro positum hortari et tandem obligare ut occasionem, utcumque moraliter necessariam, *unico* actu physice præscindat. (Cfr. resp. ad *Obj.* 4º, et supra n. 170).

Atque ita quidem omnibus rationibus Ballerini satisfecisse nobis videmur. Redeamus ad difficultates Lugonis.

177. — *Obj.* 6º. « Adhuc post experientiam illam nullius profectus potest stare dolor verus et propositum requisitum absque voluntate auferendi occasionem cum tanto incommodo; ergo potest absolvi pœnitens ». Ita Lugo (n. 158). Eodem modo Pellizarius (supra n. 171, *nota*).

Resp. Distinguo: Si pœnitens præbet talia signa extraordinaria doloris et propositi, ut denuo sit solida spes emendationis: i. e. removendi periculum proximum per usum remediorum, *concedo* (cfr. supra n. 161, 4º et infra *Obj.* 10º); secus *nego*, vel saltem valde dubia erit ejus dispositio. Si ergo Lugo primum intendit, argumentum hoc non est contra thesim nostram, ipsique assentimur; secus vero ipsi adversamur. Imo ipsemet Lugo per suam limitationem ostendit, argumentum suum non subsistere. Si enim « qui efficaciter proponit, saltem per aliquod tempus perseverat et difficilius aut rarius cadit », ut ait Lugo (supra n. 164), logice consequitur, ut ille in quo, teste experientia, sit « nullus profectus », nulla emendatio, sed idem semper relapsus, non habuerit tale efficax propositum. Nisi ergo nunc alia signa peculiaria melioris propositi exhibuerit, quibus probabilis iterum emendationis spes oriatur, ejus dispositio erit nulla, aut saltem valde dubia, ac proinde absolvi nequit.

Obj. 7º: « Ipse Suarez et alii, inquit Lugo, fatentur, posse illum pœnitentem sæpius absolvi, si aliquam emendationem ostenderit, hoc est non ita frequenter lapsus fuerit sicut antea. Sicut ergo potest stare dolor et propositum requisitum cum certitudine illa morali de lapsu futuro non frequenti, cur non poterit stare cum certitudine morali de lapsu futuro frequenti? » (n. 159).

Resp. Si hic pœnitens « aliquam emendationem ostenderit, neque ita frequenter lapsus fuerit », jam exhibet *signum speciale* propositi firmi, adeoque probabilem spem plenæ emendationis tandem assequendæ; ac proinde merito, juxta S. Alphonsum (§ 5, supra p. 135) aliosque, absolvi potest. Sin autem semper eodem fere modo et quasi æque frequenter ac antea lapsus fuerit, idque « longa experientia» constat, ut etiam Lugo hic supponit, tunc sane, quemadmodum ipse adversarius docet in sua limitatione (supra n. 164), gravis habetur præsumptio, pœnitentem nunc carere proposito requisito.

Obj. 8º: « Si occasio esset talis quæ absque gravi scandalo vel detrimento spirituali auferri non possit, non tenetur procul dubio pœnitens ad eam auferendam ad hoc ut posset absolvi. Ergo sicut nunc posset habere verum propositum requisitum cum illa certitudine morali lapsus futuri, sic etiam quando occasio auferri non posset absque gravi detrimento corporali ». Ita Lugo (*l. c.*).

Resp. Neganda est consequentia. Primo advertendum est, *scandalum* seu ruinam spiritualem proximi plerumque alio modo tolli vel diminui posse, v. g. prætexendo infirmitatem, excitando rixam fictam, etc. Quodsi omnino præcaveri non posset, sane majores quam secus a Deo gratiæ sperari possent quibus periculum proximum moraliter removeatur, ita ut lapsus perpetuo futurus jam non esset moraliter certus et propositum requisitum haberi possit. Atvero, si nihilominus experientia constaret, solidam emendationis spem per usum remediorum jam non superesse, adeoque moraliter certum esse perpetuum relapsum in eadem semper peccata, tunc pœnitens absque dubio tandem hanc occasionem deserere et scandalum *permittere* deberet; nam ex lege naturæ propria salus saluti proximi præferenda est. — Si occasio absque *gravi damno spirituali* proprio auferri non posset, v. g. si filia extra domum paternam æquali vel majori exponeretur periculo, *per accidens* non teneretur occasionem fugere, ut supra (n. 162, *a*) dictum fuit. — Sed tunc Deus dare tenetur majores gratias, sicut alicui constituto in occasione *physice* necessaria; quibus gratiis innixus pœnitens jam non habet certitudinem moralem lapsus futuri et verum propositum requisitum concipere potest. Tales autem gratias majores Deus dare non tenetur, si de solo detrimento corporali aut temporali agitur, ut supra (n. 166) vidimus. (Cfr. *Resp.* ad *Obj.* seq.).

178. — *Obj.* 9º: « Denique si occasio esset talis, ut nullo modo auferri possit, qualis est fragilitas fundata in propria carne et natura pœnitentis, adhuc post totam illam experientiam potest absolvi. Ergo potest habere dolorem verum et propositum cum tota illa certitudine futuri lapsus ». Ita Lugo (*l. c.*). Unde Ballerini: « Cum istis (versantibus in occasione moraliter necessaria) non secus agendum videtur, ac cum illis qui pravos habeant habitus seu consuetudines peccandi » (n. 120).

Resp. 1º *Distinguo* antecedens: si quis diu eodem semper modo ex fragilitate intrinseca relabitur, neque ullum speciale doloris et propositi signum ostendit, *nego* eum absolvi posse; quia tunc de firmitate ejus propositi merito dubitatur (cfr. infra n. 258 sqq.); secus *concedo:* nam si quis talia signa specialia ostenderit, ut iterum prudenter sperari possit emendatio per alia remedia, deerit illa certitudo futuri lapsus. Unde nego consequens.

2º *Nego paritatem.* Etenim quando relapsus oritur ex sola fragilitate intrinseca, uti v. g. in peccatis pollutionis solitariæ, pœ-

nitens facile firmiter proponere potest, innixus gratiæ Dei quam petiturus est: quia tunc Deus adjuvare *tenetur*, si homo facit quod potest, adhibendo scilicet remedia; nemo enim carnem suam physice relinquere potest; et præcepta Dei non sunt impossibilia. In casu autem occasionis *moraliter* quidem necessariæ, sed *physice* liberæ, Deus non tenetur adjuvare, quia homo per fugam aut separationem physicam seipsum juvare potest, etsi cum gravi vel etiam gravissimo suo incommodo. Quod incommodum Deus sane injungere potest, et reipsa injungit, si experientia constat alia remedia non fuisse efficacia. Si autem homo hoc incommodum vel damnum subire non vult et in illa occasione proxima manet, nequit habere requisitum propositum non peccandi; quia peccati causam, quæ est occasio, cum tanto incommodo auferre non vult, et quia Deus adjuvare non tenetur eum qui seipsum adjuvare potest. Solum ergo si occasio esset *physice* necessaria, paritas esset inter utrumque casum; tunc enim Deus adjuvare tenetur, quia homo hanc relinquere prorsus non potest. (Vide supra n. 166 et 168).

Obj. 10°. S. Alphonsus in textu (§ 5, p. 135) docet, hujusmodi pœnitentem absolvi posse, si « afferat extraordinaria signa doloris »; hæc autem signa postulat, ut tollatur suspicio de ejus indispositione. Atqui etiam adversarii (Joan. Sanchez, Lugo etc.) dicunt talem pœnitentem per verum dolorem et propositum debere esse dispositum. Ergo eodem tandem recidunt duæ sententiæ. Ita Ballerini (n. 123).

Resp. Ad *Majorem.* Clarissima est mens S. Doctoris; et primo quidem ex contextu: hæc enim signa extraordinaria debent esse talia ut vere « effulgeat spes emendationis ». Deinde in loco parallelo, scil. in *Praxi* (n. 69; cfr. supra n. 160), expresse dicit, talem occasionem physice relinquendam esse, « excepto casu quo pœnitens signa doloris ostenderet *tam extraordinaria* quod possit concipi *prudens spes* emendationis ». Ratio exceptionis patet: si enim pœnitens modo ita extraordinario suum dolorem et propositum ostendit, ut denuo *prudens emendationis spes* effulgeat, tunc iterum solide probabile fit, periculum proximum hic et nunc moraliter remotum iri; ac proinde tunc ex gravi illa causa quæ in casu adest, fas est se exponere tali periculo. Sin autem hæc signa non ita valida sunt, ut prudens illa et probabilis spes concipi possit, manet obligatio separationis physicæ. Quam obligationem si pœnitens implere non vult, non est dispositus.

Ad *Minorem.* Adversarii utique, sicut omnes Catholici, admittunt, requiri verum dolorem et efficax propositum. Falluntur autem in eo quod dicunt, hujusmodi dispositiones haberi posse etiam quando quis ob occasionem externam semper eodem modo relabitur, ita ut, teste longa experientia, nulla prudens sit emendationis spes, nec solide probabile sit periculum proximum moraliter seu per alia

remedia remotum iri. Jamvero, hoc S. Alphonsus cum aliis auctoribus quampluribus omnino negat. Negat, inquam, hujusmodi pœnitentem verum et efficax habere propositum; quia casu quo ob eumdem semper relapsum deest probabilis emendationis spes, pœnitens ille propositum concipere debet, non solum non amplius peccandi, sed etiam deserendi *physice* occasionem, perpetui sui relapsus causam, idque cum quocumque incommodo, utpote *in praxi unicum* aptum remedium emendationis. Nam — ut brevi repetam — lex naturæ vult, ut occasio proxima *alterutro* modo remota reddatur: aut *moraliter* aut *physice*. Quia vero id in casu nostro *moraliter non* fit, quacumque demum ex causa, neque ut id in posterum fiat, teste experientia, cum solido fundamento sperari potest, lex naturæ vult ut id *physice* fiat. — Irritus est igitur conatus conciliandi doctrinas, quas ipsi earum patroni, alter alterum oppugnantes, oppositas esse aperte ostendunt. (Cfr. supra n. 164, *nota*).

Atque ita, ut nobis quidem videtur, satisfactum est omnibus difficultatibus adversariorum, imprimis Lugonis et Ballerini, qui magis ex proposito hanc quæstionem tractarunt.

179. — Sit igitur hæc totius nostræ disputationis *conclusio:* Sententia, quam in hac thesi defendimus, rationibus intrinsecis nititur convincentibus omnique exceptione majoribus; suffragatur eidem quoque maxima auctoritas, tum S. Congregationis Indicis, tum aliorum theologorum antiquorum et recentium. Unde merito a S. Alphonso dicitur « *tenenda* », neque opposita pro praxi vere probabilis haberi potest. — Est quidem sententia illa austera, sed sensu Evangelico, id est juxta principia illius legis moralis, cujus Divinus Præceptor voluit, ut Christifideles peccatum evitent ejusque causam seu occasionem proximam removeant, atque idcirco, si opus est, etiam gravissima incommoda et damna subeant, imo res ita necessarias ac sunt « oculi », « manus », « pedes » sacrificent, personas adeo carissimas ut sunt « pater », « mater », « filius » etc. relinquant.

180. *Quæri* tandem potest, quid faciendum sit, si pœnitens jam sæpe quædam signa extraordinaria dederit, et nihilominus brevi post fere semper sine seria emendatione relapsus fuerit? Contingere enim potest, ut quis sæpe quidem aliqua specialia doloris signa præbuerit, quæ sufficerent ut relapsi ex sola fragilitate intrinseca absolverentur, v. g. verba cordialia, suspiria, lacrymæ propter tristem suum statum: at vero tales sunt illecebræ occasionis, talisque, hac præsente, passionis vehementia, ut cito proposito non peccandi et efficaciter media adhibendi infidelis sit, adeoque quasi semper relabatur, etsi non eodem semper modo, sed sæpe post aliquam pugnam vel notabilem conatum.

Respondeo: si hæc misera conditio jam diuturno tempore perseveraverit, indicium est, hæc signa specialia non sufficere, seu, ut S. Doctor noster loquitur, non esse « tam extraordinaria, ut possit concipi prudens spes emendationis » (*Prax.* n. 69). Quapropter, juxta principia in thesi probata, post longam experientiam confessarius pœnitentem paulatim inducere, paterne hortari et tandem ipsi injungere debet, ut occasionem deserat. Quidquid enim est de actuali ejus dispositione, experientia plane constat, hic et nunc unicum contra perpetuum illum relapsum remedium efficax esse separationem physicam; ac proinde confessarius, saltem ut medicus, hanc ipsi imponere debet. Quodsi pœnitens recusaverit, confessarius, etiam ut judex, per se ipsum absolvere nequit, quia pœnitens, si hanc gravem obligationem implere non vult, non est dispositus. — Quid autem faciendum sit, si pœnitens circa hanc gravem obligationem in bona fide versetur, et major ejus ruina ex monitione prævideatur, supra (n. 162, *b*) diximus.

CAPUT VI.

Tradita hactenus de occasionariis doctrina confirmatur gravissima S. Caroli Borromæi auctoritate.

TEXTUS S. ALPHONSI
(VI, 458)

§ 1. — « Hic pro complemento hujus puncti, refert adjicere ea « quæ tradidit D. Carolus Borromæus [1], ubi, distinguens inter occa- « siones proxime de se inductivas ad peccatum (ut est domi retinere « concubinam) et occasiones proximas peccandi ob pravum habitum « alicujus, sic dixit: *Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus ver- « santem, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam aleret, non debet « sine dubio confessor absolvere* (intellige ne prima quidem vice); « *nisi hanc occasionem antea sustulerit* ».

§ 2. — « *Pro aliis vero occasionibus* (minus impellentibus) « *quales sunt aleæ vacatio, aspectus minus pudici, colloquia, gestus etc.,* « *non absolvatur, nisi eam dimittere pœnitens polliceatur. Quod si jam* « *alias pollicitus sit nec emendatus fuerit, absolutio differatur donec* « *emendationem agnoverit* ».

§ 3. — « *Et quia potest contingere ut pœnitens, cum his omnibus* « *a confessore propositis, occasionem non possit dimittere sine periculo* « (intellige damni, vitæ, famæ vel bonorum) *aut scandalo, debet adhi-* « *bere remedia; et primo differatur absolutio* (intelligendum etiamsi « pœnitens ille prima vice confiteatur peccatum), *donec emendationis* « *signa dederit. — Quod si inde infamiæ periculum pœnitenti acciderit* « (*nempe* si incurrat infamiam, nisi tunc communicet), *et confessor* « *talia contritionis in eo signa perspexerit* (ut prudenter dispositum « judicet), *debitamque ad excipienda remedia dispositionem observa-* « *verit, tunc poterit absolvi* ».

§ 4. — « *Quod si tamen non emendatus pœnitens fuerit* (scilicet « etiam adhibitis remediis), *non absolvatur donec occasio illa sublata* « *fuerit* ».

§ 5. — « Deinde hæc addidit: *De operibus quæ ad malum incli-* « *nant, ut saltationum publicarum, improborum hominum, cauponarum*

[1] Instr. Confessor., v. *Essendo dunque involto.*

« *frequentatio, et alia hujusmodi, quorum occasione si homo peccare* « *consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primum eam omnino di-* « *miserit. — Quod si confessori visum fuerit ex prima aut secunda* « *pœnitentis pollicitatione, et non amplius, ipsum occasionem hanc* « *dimissurum, poterit eum absolvere; absolutionem autem differat si* « *promissis non steterit, donec amandatam omnino fuisse occasionem* « *agnoverit* ».

181. — Optimo quidem jure S. Alphonsus, « complementi » loco, suam de occasionariis doctrinam confirmat et roborat auctoritate S. Caroli Borromæi, quippe quæ in hac præcipue materia sit prægrandis et plane singularis. Anteactis sæculis rigoristæ quoque S. Archiepiscopi doctrinam magnis laudibus extollebant; et hactenus quidem merito, ut ex dicendis patebit. Eam etiam sibi favere gloriabantur; qua in re oppido falsi sunt. Ex altera parte fuerunt quidam theologi remissiores, qui hujus doctrinæ auctoritatem labefactare conati sunt; sed et hi valde errarunt. Complures vero tum antiquiores, tum recentiores, hujus S. Præsulis de nostro argumento normas silentio fere prætereunt. Non ita S. Alphonsus. Quapropter peropportunum erit sequentem statuere thesim.

Thesis 9ª.

I. Auctoritas S. Caroli Borromæi in materia de occasionariis non mere privata est, sed quodam sensu publica, utpote a permultis Ecclesiæ Pastoribus et ab ipsa Sede Apostolica summopere commendata. — II. Hujus autem S. Archiepiscopi doctrina plane concordat cum exposita hactenus doctrina S. Alphonsi.

Probatur prima pars

182. — Tristissima erat conditio Ecclesiæ Mediolanensis, quando S. Carolus eam gubernandam suscepit. Collapsa ubique disciplina, fides elanguens, ignorantia doctrinæ Christianæ crassa, mores perditi cum apud Clerum tum præcipue apud populum sive optimates sive plebejos, sacramenti Pœnitentiæ usus parcus, isque fere sine animarum profectu. At vero, paucis annis sanctissimus Præsul, ut ait Paulus V, « agrum illum malitia temporum vepribus turpiter deformem et silvescentem in suum restituit nitorem, ut Ecclesia Mediolanensis præclarum exemplum redderet ecclesiasticæ disciplinæ » [1].

[1] Apud *Litt. Enc. Pii X;* A. A. S. 1910, p. 364.

Persuasum habens, dignam sacramenti Pœnitentiæ administrationem efficacissimum esse ad instaurandos populi Christiani mores medium, S. Carolus opusculum lucubravit, quod inscribitur *Instructiones ad confessarios*, idque eo fine confecit, quemadmodum initio dicit: « Ut confessarii sacramentum Pœnitentiæ administrent cum illo pœnitentium fructu, qui est vera vitæ emendatio, et ut in tanti momenti negotio non desint diligentiæ cum propriæ conscientiæ onere; quod quidem de multis summopere timendum est, quum generatim adeo exigua videatur emendatio in iis qui jam a tot annis ad hoc sacramentum accedunt » [1]. Itaque, ut vere fructuosus esset hujus sacramenti usus, post initum cum doctis viris maturum consilium, certas confessariis *de concedenda aut differenda absolutione* præscripsit regulas, quas ipsi religiose observarent. Ita ipsemet S. Auctor: « Ut confessarii rite instruantur, nec absolutionis beneficium iis concedant qui eo reapse indigni sunt, quod quidem ex inconsiderantia, negligentia aliave ex causa sæpe contingit; ex quo fit multos longo tempore in iisdem peccatis cum lamentabili earum animarum ruina perseverare: ideo, ex multorum theologorum sæcularium et regularium diversorum Ordinum consilio, infra notavimus quid a confessariis in quibusdam casibus frequentioribus observari debeat. Quapropter admonitos eos volumus, ut in concedenda aut neganda absolutione in casibus infra descriptis se dirigant juxta normam ibi traditam » (*Acta Eccl. Med.* l. c., p. 662; *Avvert.* n. 34). — Atque hæc quidem de *origine* harum regularum, quæ certe haud parum contulerunt ad reformandos mores populi sibi commissi. Ex quibus jam in antecessum concludere fas est, S. Caroli præscriptiones, et auctoritate externa probatissimas, et pro praxi sacri tribunalis sapientissimas maximeque salutares esse.

183. — Hinc mirari haud subit, alios quoque sanctos auctores eas plurimi fecisse. — S. Franciscus Salesius « regulas omnes pro recta absolutionis dispensatione a S. Carolo traditas in suis constitutionibus Synodalibus adoptavit, ut ex earum tit. 9, art. 5, n. 3 videre licet »: ita Benedictus XIV (*De Syn. Diœc.* l. 11, c. 2, n. 18), hanc S. Episcopi agendi rationem laudans. — S. Leonardus a P. M., ut supra (n. 111, 117) vidimus, in sua de occasionariis doctrina S. Caroli monita se secutum esse gloriatur. — « Tandem novissimus Ecclesiæ Doctor S. Alphonsus nil magis cordi habuit quam ut regulas speciales a S. Carolo traditas pro norma in sacro tribunali assumeret, novaque luce illustraret », ut cum Em^mo Card. van Rossum loquamur (*de Jud. Sacr.* ed. 2, p. 24).

---

[1] *Acta Eccl. Mediol.;* ed. Patavii 1754, t. II, p. 658; alibi *Avvertimenti di S. Carlo per li Confessori*, n. 1.

184. — Maximum autem hisce S. Caroli Instructionibus auctoritatis pondus accrescit ex eo quod multa Concilia Provincialia eas nominatim confessariis commendarint. Ita e. gr. Synodus *Neapolitana* anni 1699 ait: « Cum a Christiana pœnitentiæ disciplina perniciosa quorumdam indulgentia desciverit, sancta Synodus obsecrat Pastores animarum;... ut eas ad pascua salutis atque arctam viam, quæ ducit ad vitam, non in latam inducant, quæ videtur homini recta et novissima ejus ducunt ad mortem... Universi igitur hujus Provinciæ confessarii, ne in tantam labantur laxitatis perniciem, ab *instructione S. Caroli*, in calce hujus Synodi adscribenda, in qua specimen antiquæ disciplinæ effulget, quoad ejus fieri potest minime recedant » (tit. 3, c. 5, n. 1, 2; *Coll. Lacensis*, I, 184 sq.). Concilium Provinciale *Avenionense* anni 1725 confessarios hortatur, ut « prudentem *Caroli* severitatem justæ ac moderatæ Francisci (Salesii) indulgentiæ ac commiserationi misceant » (tit. 30, c. 2; *ib.* I, 534). Item Concilium Provinciale *Ebredunense* anni 1727: « Confessarii tum in pœnitentibus instruendis, tum in concedenda aut differenda absolutione, tum in satisfactionibus injungendis Regulas a Rituali Romano et *a sancto Carolo traditas* sequantur » (Cap. 11, n. III; *ib.* I, 631). Pari modo easdem Instructiones confessariis commendatas volunt varia Concilia Provincialia recentioris ætatis: ita *Tolosanum* anni 1850 (*ib.* IV, 1054), *Lauretanum* (*ib.* VI, 784), *Venetum* anni 1859 (*ib.* VI, 334), *Neogranatense* (*ib.* VI, 512).

185. — Superat omnes ipsa Sedes Apostolica, quæ variis occasionibus eadem S. Caroli monita expressis verbis ut tutam normam confessariis sequendam proposuit.

Innocentius XII anno Jubilæi 1700 eadem iterum typis mandanda esse voluit, quibus confessarii Urbis et districtus Romæ in sacri tribunalis praxi uterentur. Ita Cardinalis Carpegna, ejus Vicarius, in epistola huic editioni præfixa [1]: « Sollicitudo comparandi bonos ministros et fideles dispensatores Mysteriorum Dei... absque dubio infinite crescit in administratione sacramenti Pœnitentiæ, cujus usus, ut maxime salutaris est fidelibus qui rite dispositi ad id accedunt, ita periculosus est ejus ministris, si in debito ministrandi modo desunt... Ad hoc nos hodie excitat, venerabiles confessarii, *Summus Pastor Ecclesiæ universalis* et imprimis noster Pastor in hac sancta Urbe... Considerat Ipse vestrum periculum, si non omni ex parte expletis officium quo fungimini, et in Sanctuarii statera librat magnam stragem, commisso sibi gregi secuturam, si haud recte forte eum dirigatis... Proponit novas *leges quas in officio vestro*

[1] Titulus opusculi est: *Avvertimenti di S. Carolo per li Confessori, stampati d'ordine di N. S. Papa Innocenzo XII*, e *pubblicati dal Sig. Card. Carpegna suo Vicario, per uso dei Confessori di Roma e suo distretto.*

sequi debeatis, præscriptas jam olim a magno illo Ecclesiæ lumine et verorum animarum Pastorum exemplari *sancto Carolo*... Si tamen novæ dici possint, quas sanctus ille Præsul haurit ex visceribus antiquissimæ disciplinæ Ecclesiæ, ex arcanis sanioris doctrinæ, imo *ex ipsa sacramenti Pœnitentiæ natura*. Quod quidem, quum per modum judicii emendationis institutum sit, necessario requirit, ut et præterita peccata puniantur, et nova, quantum per Dei gratiam fieri potest, præcaveantur. Hortatur vos *Sanctissimus Pater*, ut sacras has leges et sapientissima monita, quæ hoc libello continentur, legatis et relegatis, utque jugiter ea manibus teneatis velut *auream regulam*, qua depravatos populorum mores facile corrigere valeatis. Atque hoc *Ipsemet voluit*, ut vobis omnibus palam faciamus, tamquam filiis obedientiæ, ejusque comministris et cooperatoribus in grandi illo, omnium divinorum divinissimo opere, quod est conducere animas ad cœlum ».

Benedictus XIII jam pridem, ut Archiepiscopus Beneventanus, easdem S. Caroli Instructiones pro suæ diœceseos sacerdotibus typis mandandas curaverat. Deinde vero ad S. Petri cathedram evectus in celebri illo *Concilio Romano*, anno 1725 coacto, in quo aderant omnes Cardinales Curiæ et plus quam centum Archiepiscopi et Episcopi, eas publica attestatione laudavit atque approbavit, et confessarios in iis instructos esse voluit. Præcipit enim: « Sacræ audiendæ confessionis munus sacerdotibus regularibus, quamvis ad illud ipsi et peritia et scientia idonei appareant, Episcopi non committant, nisi a monasterii Præfecto litteris testatum fiat, eos in *probatissimis* etiam *pro confessariis datis Caroli monitis* instructos esse » (tit. 32, cap. 2; *Coll. Lac.* I, 393).

Benedictus XIV, non solum ut privatus doctor in opere inscripto *De Synodo diœcesana* (lib. 11, cap. 2, n. 18; supra n. 183), sed etiam postea in allocutione *Jam nobis*, die 5 Maji 1749 ad S. R. E. Cardinales pro indictione Jubilæi habita, hanc S. Caroli doctrinam enixe commendavit. Ait enim: « Accitos sacerdotes pro excipiendis confessionibus designatos alloquemur iis verbis atque sententiis, quæ in libro Monitorum ad ipsos confessarios, a *sancto Carolo Borromæo* conscripto, continentur; quem sane librum utinam confessarii sæpius in manibus haberent, ut maximam ex eo utilitatem percipérent et aptissima ad morbos animæ depellendos remedia desumerent, quæ sanctus Archiepiscopus proponit et *sanissima ex doctrina Canonum et Patrum* delibavit » (n. 4). Et in celeberrima illa constitutione *Apostolica*, die 26 Junii 1749 pro universa Ecclesia data, ait: « Quæ (scil. S. Caroli ad confessarios monita) Innocentius XII, Prædecessor noster, ut iis qui confessiones audiunt exemplo essent et documento, iterum Romæ imprimenda curavit » (§ 16).

186. — Huc quoque referendæ sunt plures INSTRUCTIONES S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE, quæ in nostra materia de danda aut differenda absolutione expresse ad S. Caroli Instructiones ut ad normam sequendam remittunt. Prima est 3 Octobris 1736, quæ confessarios cum contra nimium rigorem tum contra excessum indulgentiæ præmuniens ait: « Multi profecto dantur casus, in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen est opportunum et subinde necessarium... Valde autem prolixum foret, casus hujusmodi enumerare, sed videri possunt apud *S. Carolum Borromæum* in *Instructione* Confessariorum, et *a sanctis istis regulis, totius Ecclesiæ consensu firmatis, non sinant confessores se abduci*, falsa misericordia erga pœnitentes » (*Collect. Prop. Fid.* I, n. 321). — Altera est 29 Aprilis 1794, in qua S. Congregatio missionarios ita hortatur: « Consulant *præclarissimas Instructiones S. Caroli Borromæi* ad confessarios datas. Nihil in iis nisi sanctum, rectum atque huic qua vivimus Ecclesiæ disciplinæ accommodatum reperient ». Et expositis quibusdam hac de re regulis, concludit: « Hæc pluraque alia, quæ in laudatis S. Caroli Instructionibus petere missionarii possunt, diligenter ab ipsis expendenda sunt, priusquam beneficium absolutionis impendant» (*l. c.* I, n. 569). — Tertia denique hujus S. Congregationis Instructio ex mense Augusti 1827, post reprobatam laxiorem quamdam confessariorum praxim, ita concludit: « Ita docent: *Instructiones confessariis propositæ a S. Carolo Borromæo* et a S. Francisco Salesio, qui regulas a S. Carolo traditas in suis synodalibus constitutionibus adaptavit;... ac meminisse debent mox præfati confessarii Vicariatus tui, ex magna absolvendi facilitate magnam peccandi facilitatem oriri necessario debere » (*l. c.* I, n. 799).

Ex hisce omnibus cuique perspectum exploratumque erit, S. Caroli de re nostra doctrinam maxima gaudere auctoritate, eaque non privata tantum, ut insignis cujusdam theologi, sed etiam *quodam sensu publica*, quippe cujus « sanctæ regulæ totius Ecclesiæ consensu firmatæ » a S. Congr. de Prop. Fide merito dicuntur. Tantæ sane auctoritati longe postponenda est auctoritas quorumdam theologorum, qui sive in unam sive in alteram partem ab hisce regulis deflectunt.

187. — Sed illud etiam ex dictis constat, haud recte opponere quemquam, illam S. Caroli doctrinam optimam quidem fuisse sæculo XVI et pro Ecclesia Mediolanensi, cujus adeo tristis erat religiosa conditio, eam vero nostris temporibus aliisque regionibus non esse adaptatam. Immerito hoc opponitur, inquam, quum Romani Pontifices etiam posteris sæculis iterum atque iterum eam laudarint et velut suam fecerint, quum ultimis quoque duobus sæculis S. Congr. de Prop. Fide et tot Concilia Provincialia recenti tempore ubique terrarum habita eam sequendam enixe commendarint. Hoc unum juxta S. Alphonsi mentem advertere fas est, prudentiam suadere vel etiam præcipere, ut haud raro in casibus

particularibus ab hac justa S. Caroli severitate recedatur, idque ob speciales circumstantias alicujus pœnitentis, ne hic scilicet in pejus ruat. (Cfr. thesis 22ª). Verum hæ sunt manentque semper exceptiones a regula, utut nostra ætate pluribus in locis multo frequentiores quam antea. Neque id ullatenus prohibet, quominus illæ S. Archiepiscopi Instructiones seu *Regulæ* in universum firmæ maneant pro omni tempore omnibusque regionibus, quippe quæ, ut supra aiunt Benedictus XIV et Cardinalis Carpegna, depromptæ sint « ex sanissima SS. Canonum et Patrum doctrina, imo ex ipsa sacramenti Pœnitentiæ natura », adeoque tantopere ab Ecclesia docente publice commendatæ.

Jure igitur meritoque S. Doctor noster suam de occasionariis doctrinam S. Caroli auctoritate confirmare studuit. Quod quo fecerit successu, deinceps videndum est.

Probatur altera pars

188. — Ut conformitatem doctrinæ S. Caroli et S. Alphonsi ostendamus, sufficit singulos hujus textus paragraphos (p. 160 sq.) conferre cum thesibus hactenus probatis. Quoniam vero in versione latina, qua usus est S. Alphonsus, textus S. Caroli aliquo modo contractus est, in notis textum originalem subjungimus.

Ad § 1. — Quæ hic (p. 160) S. Archiepiscopus præcipit de non absolvendo pœnitente, antequam reliquerit occasionem *voluntariam* « urgentem », id est « *in esse* » seu continuam ac præsentem [1], plane confirmat thesim nostram 5ªᵐ, ut ibidem jam vidimus. (Cfr. n. 117).

Ad § 2. — Hujus generis occasiones, quæ *non* sunt *in esse*, etiam *natura sua* ad peccatum impellunt, etsi « minus » quam præcedentes. In hisce confessarius prima vice dare potest absolutionem, si pœnitens eas vitare promittit. « Si hic jam alias id promiserit, et nihilominus non se emendavit, absolutionem differat, usquedum aliquam emendationem videat » [2]. Agitur hic de *recidivo* in habitum ob occasionem absolute seu in se proximam, qui quidem *nihil se emendavit*. Huic confessarius, sive ut judex, si nullum aliud præbet speciale doloris signum, sive ut medicus, si nihil obstat, absolutionem differat, ut infra thesi 21ª videbimus.

Ad § 3. — Quæ hoc et sequenti paragrapho dicuntur spectant ad occasionem moraliter *necessariam;* circa quam hæc præcipit

---

[1] *Essendo dunque involto il penitente in alcuna di queste occasioni, o altre a queste simili, se la detta occasione è tale che sia* in essere, *come tener la concubina o simile; non deve il confessore assolverlo, se prima attualmente non lascia essa occasione* (*Acta Eccl. Med.*, ed. 1754, t. II, p. 664; *Avvert.* n. 39).

[2] *Nelle altre occasioni, come professione di giuochi, sguardi, conversazioni, gesti etc., se non promette di lasciarla, e quando anco prometta, se, avendo promesso altre volte, nondimeno non si sia emendato, differisca l'assoluzione, fin tanto che veda qualche emendazione* (l. c.).

S. Carolus. Primum confessarius differat absolutionem, quoad pœnitens per usum remediorum vera emendationis signa dederit. Quodsi absolutio differri nequeat, v. g. propter periculum infamiæ, statim absolutio dari poterit, modo pœnitens opportuna emendationis remedia, quæ confessarius ei indicabit, adhibere velit [1]. Eamdem doctrinam cum restrictione: « si commode fieri potest », probatam vidimus a S. Alphonso, supra in thesi 7ª.

189. — Ad § 4. — Agitur hic de pœnitente in occasione *necessaria* constituto qui, etiam post omnem diligentiam ab eodem vel ab alio confessario adhibitam, *semper relabitur*, nec emendatus fuerit. « Huic, inquit S. Carolus, absolutio danda non est, usquedum occasionem de facto deseruerit ». Quod idem S. Alphonsus fieri præcipit, ut thesi 8ª vidimus (p. 136). Attamen, quia hujusmodi casus sæpe valde difficilis est, ejusque recta solutio a multis pendet circumstantiis, hortatur S. Archiepiscopus confessarium ut, si nihil obstat, casum Ordinario exponat; quapropter addit: « Aut aliter nobis visum fuerit; unde ad nos in tali occasione recurrat, nobisque casum, reticita persona, referat » [2].

Eodem referuntur quæ S. Carolus statim post subjungit de illis occasionibus, « quæ, inquit, licet in se licitæ sint, nihilominus gravi ex causa judicantur tales, ut pœnitens, si in iis uti antea perseverat, in eadem quæ olim commisit peccata relapsurus sit. Tales, ob mundi corruptelam, multis esse solent militia, negotiatio, officium magistratus, advocati, procuratoris et alia similia ». Sunt igitur illæ occasiones *necessariæ propter statum vitæ*. De hisce autem præcipit S. Præsul quæ sequuntur: « Hujusmodi homines debent, ut dicit S. Augustinus, aut relinquere officium sibi periculosum, aut saltem illud non exercere sine licentia et obedientia pii et prudentis sacerdotis, qui quidem hominem in tali statu constitutum absolvere non debet, si rationabiliter opinatur, eum in eadem occasione manentem in eadem peccata relapsurum esse: quapropter per aliquod tempus ejus emendationis experimentum capere debet. Qua in re eo majore vigilantia opus est, quo ex hoc confessariorum vitio fit, ut in omnibus fere artibus et officiis multi abusus et gravissima peccata occurrere soleant ». Quod postquam adductis variis exemplis monstra-

---

[1] *E perchè può accadere tal caso, che il penitente con tutti li ricordi e modi che gli vengono proposti dal prudente e zelante confessore, veramente non possa lasciare l'occasione senza pericolo e scandalo, deve il confessore servirsi di questi remedi. Primieramente differisca l'assoluzione fin tanto, che veda certa prova di vera emendazione; e se non potesse differire l'assoluzione senza pericolo di qualche infamia del penitente, e veda in lui tali segni di contrizione e tal disposizione e prontezza a ricevere li rimedi, che il confessore giudicherà necessari perchè si emendi, deve proporgli quelli che gli parranno più opportuni e necessari, come per esempio ordinargli che non si trovi solo con la tal persona, assegnargli orazioni, qualche macerazione della carne, e sopra tutto le frequenti confessioni ed altri simili; quali se accetterà, il confessore potrà assolverlo* (l. c.; *Avvert.* n. 40).

[2] *E se dopo questa diligenza fatta da lui o da altro confessore precedente, non si sarà emendato, non gli dia l'assoluzione, finchè attualmente non abbia levata l'occasione, o non paja altramente a noi: dal quale faccia ricorso in tale occasione, conferendo con noi il caso senza scoprire le persone* (l. c.).

verit, iterum concludit: « Atque ita multi reperientur qui in hisce officiis perpetuo in peccatis mortalibus vixerint; hi autem absolutionis capaces non sunt æstimandi, nisi adhibita prius diligentia, qua ab illis occasionibus liberentur aut fortiores reddantur » (*l. c. Avvert.* n. 41, 42). Vult ergo S. Archiepiscopus, ut hæc occasio necessaria aut physice aut moraliter removeatur; quodsi moraliter non fit — quacumque demum ex causa — relinquitur id physice faciendum. Interim absolutio suspendatur. Quæ doctrina, variis temperamentis moderata, eadem est quam in eadem thesi 8ª juxta S. Alphonsum aliosque plurimos exposuimus.

190. — Ad § 5. — Denique S. Carolus agit de occasionibus relative proximis, quæ sunt *liberæ* et *interruptæ*, scilicet « quæ hominem (in particulari) ad malum inclinant et valde facile ac frequenter ad diversa peccata attrahunt ». In hisce confessarius pœnitenti promittenti se eas vitaturum esse, *prima* et *altera* vice absolutionem dare poterit; « at non ultra; imo absolutionem differat, usquedum facto probatum viderit, occasionem ab eodem fuisse vitatam » [1]. — De hisce occasionariis actum est in thesi 4ª. (Cfr. supra n. 105, et n. 110).

191. — Hæ sunt præclaræ illæ regulæ, quas S. Carolus in celebri illa *Instructione* confessariis circa modum tractandi *occasionarios* præstituit, quas insignes theologi et sancti confessarii, juxta commendationem Sanctæ Sedis, in praxim ducere pro viribus studuerunt, quas imprimis S. Alphonsus ut suas adoptavit novaque luce illustravit.

Diffiteri quidem nequit, eas quamdam severitatem præ se ferre. Sed est illa severitas, uti vidimus (n. 167), plane Evangelica, quæ informat ad vitam vere Christianam, spiritui hujus sæculi ipsa sua institutione oppositam. Est etiam omnino conformis spiritui sanctorum Patrum et concilii Tridentini, quo sanctus Præsul velut imbutus erat. Est denique prudens et rationi quam maxime consentanea, quippe quum una cum peccato etiam ejus causam, occasionem dico proximam, evellat, ac proinde sola ad mores depravatos corrigendos vitamque emendandam efficaciter conferat.

E contrario, remissior illa praxis quæ, sub specie benignitatis, « ex inconsiderantia, negligentia aliave ex causa » multa gravia et

---

[1] *Molto più dovrà essere avvertito il confessore in quella sorte d'esercizi ed operazioni, le quali non hanno seco alcuna necessità ed utilità; e se non sono in quella prima sorte d'occasioni per se induttive al peccato mortale e conseguentemente da lasciarsi ordinariamente da ogni sorte di persone; nondimeno inclinano al male e tirano molto facilmente e spesse volte l'uomo a diversi peccati mortali, come sono l'andare ai balli, il conversare con bestemmiatori, bravi ed altre male compagnie, frequentar le taverne, l'oziosità e simili cose; per occasione delle quali, essendo solito l'uomo a peccare mortalmente, non deve essere assoluto, se prima non le rinunzia e promette di astenersene e lasciare realmente detta occasione. E se pure parerà al confessore di poter veramente credere la prima o seconda volta alla promessa che fa il penitente di lasciare la detta occasione, potrà con essa promessa assolverlo; ma più oltre non lo faccia, anzi differisca l'assoluzione, sinchè veda l'attuale prova, che si sia levato fuori questa occasione* (*l. c.*, p. 664 sq.; *Avvert.* n. 44).

probabilia pericula ut occasiones vitandas non considerat nec prohibet, vel iis qui occasionibus proximis implicati sunt nimia facilitate absolutionis beneficium largitur, juxta S. Carolum causa est, cur « multi longo tempore in iisdem peccatis cum lamentabili earum animarum ruina perseverent » (supra n. 182).

Neque tamen hæc sancti Archiepiscopi severitas est immoderata, uti est rigor ille Jansenisticus, qui non aliam veram pœnitentiam admittebat quam quæ per longum tempus probetur, atque idcirco peccatoribus consuetudinariis et recidivis passim jam prima vice absolutionem differebat, ut in altero hujus operis tractatu videbimus. Est quippe illa severitas benignitate erga miseros peccatores temperata, praecipue si illas concisas breviterque astrictas S. Caroli regulas ita in praxi sequimur, sicut eas S. Alphonsus post multos alios probatos theologos ulterius explicavit prudenterque applicavit.

TRACTATUS ALTER

DE RECIDIVIS

(S. Alph. Theol. Mor. lib. VI, n. 459-464)

192. — Quum tanta sit humanæ naturæ infirmitas, ut sæpenumero quis, etiam post firmiter propositam in sacramento Pœnitentiæ vitæ emendationem, in eadem peccata mortalia relabatur, maximi pro salute animarum momenti est ut confessarii certas quasdam fixasque habeant regulas, juxta quas in frequentissimis illis casibus praxim sacri tribunalis dirigant. Hinc theologi inde a pluribus sæculis, una cum materia de occasionariis, tractare solent quæstionem de r e c i d i v i s .

Jansenistæ et rigoristæ, sub specie instaurandi antiquam Ecclesiæ disciplinam, generatim peccatoribus recidivis, imo sæpe etiam consuetudinariis prima vice confitentibus, absolutionem non concedebant nisi post expletam pœnitentiam sacramentalem et diuturnam emendationis experientiam. Hanc agendi rationem S. Alphonsus vocat « intolerabilem rigorem » (VI, 459, § 10), quippe qui in desperationem agat et a sacramentis alienet. — Ex altera parte non defuerunt theologi qui de recidivorum absolutione regulas statuerint æquo laxiores, quibus fit ut recidivi parum dispositi ad sacramenta accedant, peccandi horrorem paulatim amittant et haud raro usque ad mortem in cœno vitiorum putrescere pergant. (Cfr. *Praxis.* n. 71).

Media inter utramque incedit doctrina, quam S. Alphonsus, Ecclesiæ Doctor, post multos alios theologos tuetur. Hanc libenti animo amplectimur, non solum quia a Sede Apostolica pluries ad

trutinam vocata tutaque declarata fuit (cfr. supra *Proœmium*), sed etiam quia nobis et in se vera et in praxi probatissima esse videtur. Hanc igitur ulterius illustrabimus, variis argumentorum generibus probabimus, ab objectionibus vindicabimus, eamque nostrorum quoque temporum conditionibus accommodatam esse ostendemus.

Argumentum hujus tractatus latius patet quam tractatus præcedentis; quia etiam omnes illos complectitur peccatores, qui non inducti per occasionem externam, sed ex sola interna fragilitate ac inclinatione et ex prava consuetudine in eadem peccata recidunt.

Sequentes igitur textum S. Alphonsi ante omnia statuemus notiones peccatoris habituati et recidivi. Deinde agemus de iis quæ requiruntur, ut habituati et recidivi rite dispositi habeantur ad absolutionem accipiendam. Tum disputationem instituemus de eorum emendatione futura per remedium dilatæ absolutionis. Hisce tandem adnectemus quæstionem de pœnitentibus dubie dispositis, quandoque sub conditione absolvendis.

Unde materiam tractandam in hæc septem capita dividemus:

Cap. I. De notione peccatoris habituati et recidivi (lib. VI, n. 459, § 1 et 3).

Cap. II. De absolutione peccatoris habituati (n. 459, § 2).

Cap. III. De absolutione recidivorum (n. 459, § 4-12).

Cap. IV. De signis extraordinariis dispositionis (n. 460).

Cap. V. De requisito judicio confessarii circa pœnitentis dispositionem (n. 461).

Cap. VI. De remedio dilatæ absolutionis pro pœnitentibus sufficienter dispositis (n. 462-464).

Cap. VII. De absolutione sub conditione danda pœnitentibus dubie dispositis (n. 432).

CAPUT I.

De notione peccatoris habituati et recidivi.

Textus S. Alphonsi
(VI, 459, § 1-3).

« Quæritur: *An possint absolvi illi qui in peccatis sunt consuetudinarii, aut recidivi?* »

§ 1. — « Distinguendum est inter consuetudinarium sive ha- « bituatum, et recidivum.

« *Consuetudinarius* intelligitur hic qui prima vice suum pravum « habitum confitetur ».

§ 2. — « Et iste bene potest absolvi, etiamsi nulla emendatio « præcesserit, modo eam serio proponat; ut cum sententia commu- « nissima dicit Croix [1]. Ratio, quia talis pœnitens ex una parte non « est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum « accedere; ex alia, bene præsumitur dispositus, dum peccata sua « confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, « nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium; omnes enim « conveniunt quod dolor per confessionem manifestatur. Vide « Juenin [2], Salmant. [3]. — Nec valet dicere quod eadem prava con- « suetudo est signum indispositionis; nam, licet pravus habitus reddat « peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat præsumptio- « nem suæ infirmæ voluntatis. Attende quæ docet Catechismus Ro- « manus [4]: *Si..., audita confessione, judicaverit* (sacerdos) *neque in « enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœ- « nitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Nota: *omnino defuisse* ».

§ 3. — « *Recidivus* autem est ille qui post confessionem in eadem « peccata relapsus est ».

193. — « *Consuetudinarius*, inquit S. Doctor, intelligitur *hic* qui prima vice suum pravum habitum confitetur ». Advertas itaque, « hic » in nostra materia, quatenus scilicet consuetudinarius a re-

[1] Lib. 6, part. 2, n. 1820. — [2] Instit., de Pœnit., qu. 4, cap. 1. — [3] Tr. 1, de Sacram. i. g., cap. 1, n. 11. — [4] De Sacram. Pœnit., n. 60.

cidivo distinguitur, per consuetudinarium seu habituatum intelligi illum qui habitum peccandi *prima* vice confitetur, vel saltem, ut sanctus Auctor alibi explicat, eum confitetur postquam ipsum ab ultima confessione per aliquod notabile tempus retractaverat (*Prax.* n. 70; *Selva.* II, Istr. 4, n. 17). Per *recidivum* autem hic significatur ille qui post confessionem eodem quasi modo in eumdem habitum relapsus est, ut infra (thesi 11ª) latius exponemus.

Ante omnia igitur statuenda est genuina notio *habitus* seu *consuetudinis peccandi*. Qua in re psychologica exploranda præclaram facem nobis præferet Doctor Angelicus, cui optime consonat S. Alphonsi doctrina. — Deinde de notione *recidivi* agemus.

ARTICULUS I.

De notione habitus et peccatoris habituati.

Thesis 10ª.

Juxta mentem S. Thomæ et S. Alphonsi habitus peccandi est qualitas permanens, qua quis quasi naturaliter inclinatur ad peccandum, ita ut frequenter, prompte, facile et sine ullo fere resistendi conatu labatur. Unde peccans ex habitu et peccans ex passione plane inter se differunt.

Probatur Thesis

I. — *De mente S. Thomæ.*

194. — Quemadmodum, juxta Doctorem Angelicum, tria sunt actuum humanorum principia, intellectus scilicet, appetitus sensitivus et appetitus rationalis seu voluntas: ita quoque tres sunt causæ peccatorum, nimirum ignorantia in intellectu, passio in appetitu sensitivo et malitia seu inordinatio in voluntate (cfr. I-II, qu. 78, a. 1.; *ib.* qu. 76 *procem.*). Advertas fac, vocem « malitiæ » hic sumi sensu largiore; videlicet non accipitur pro solo peccato in Spiritum Sanctum vel pro obstinatione in peccato [1], sed pro quavis mali electione, quæ ex ipsa voluntate, non inducta per ignorantiam aut per meram passionem transeuntem, cum certa malitiæ notitia procedit. « Dicitur, ait Angelicus, ex certa malitia vel industria peccare, quasi scienter malum eligens » (I-II, qu. 78, a. 1). Quicumque vero ex habitu peccat, juxta S. Thomam, peccat ex certa malitia (*l. c.*, a. 2).

---

[1] Cfr. *De Malo*, qu. 3, a. 14.

195. — I. Est autem *habitus* generatim quædam qualitas permanens, qua quis velut naturaliter ad aliquid inclinatur. Quæ inclinatio ordinarie erit ad agendum, aliquando ad omittendum, uti in habitu pigritiæ. Si terminus inclinationis est bonum morale, habitus *virtus* vocatur; sin autem malum, dicitur *vitium* seu *habitus peccandi* [1].

Itaque hujusmodi *habitus peccandi*, ut dicitur in thesi, est:

1º « *Qualitas* », scilicet acquisita, inhærens potentiæ appetitivæ, qua hæc, indeterminate se habens ad diversa, disponitur, adjuvatur et determinatur ad unum prompte et facile agendum (I-II, qu. 49, a. 1).

2º Est « qualitas *permanens* » (I-II, qu. 78, a. 4) et firma seu « difficile mobilis » (II-II, qu. 156, a. 3); « nomen habitus diuturnitatem quamdam importat » (I-II, qu. 49, a. 2, ad 3). Sicut autem acquiritur per frequentiam similium actuum, ita removetur vel imminuitur per actus contrarios repetitos vel per cessationem a propriis actibus. (Cfr. I-II, qu. 53; qu. 85, a. 1).

3º Est denique qualitas, « qua quis *quasi naturaliter inclinatur ad peccandum* ». Atque hæc est propria habitus ratio et natura.

« Habitus, inquit S. Thomas, interius inclinat per modum cujusdam naturæ » (*De Malo*, qu. 3, a. 12, ad 6). Non igitur est simplex dispositio ad peccandum, sed est dispositio ita proxima, firma et perfecta, ut velut altera natura facta sit; ac proinde quemadmodum natura, ita et potentia inclinatur et tendit ad unum, scilicet ad peccandum. Ita passim Doctor Angelicus: « Qualitas sine forma, dum adhuc est imperfecta, dispositio dicitur; cum autem jam consummata est et quasi in naturam versa, habitus nominatur » (III, dist. 23, qu. 1, a. 1). « Ista dispositio superadducta est quasi quædam forma per modum naturæ tendens in unum; et propter hoc dicitur quod *consuetudo est altera natura* » (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 9). Hinc quod cui secundum habitum convenit, « fit ei quodammodo connaturale, secundum quod consuetudo et habitus vertitur in naturam » (I-II, qu. 78, a. 2). Unde ad rationem habitus pertinere dicitur, « ut (potentia) feratur in idem ut in plurimis per modum naturæ » (*ib.* qu. 51, a. 3). Denique expresse de habitu peccandi docet: « Quando (quis) peccat ex habitu, quod est ex malitia peccare, tunc voluntas per seipsam tendit in actum peccati, quasi jam totaliter inclinata ex habitu per modum naturalis inclinationis in actum peccati » (*De Malo*, qu. 3, a. 13).

196. — Attamen usus hujusmodi habitus semper libero voluntatis arbitrio obnoxius est; quia habitus est forma seu qualitas quæ recipitur per modum recipientis, idest creaturæ rationalis et liberæ. Unde qui habet habitum aliquo tempore potest illo non uti; imo

---

[1] « Habitus malus a Philosopho nominatur malitia, sicut habitus bonus nominatur virtus; et secundum hoc aliquis dicitur ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus » (I-II, qu. 78, a. 1, ad 3).

potest etiam actum contrarium elicere, etsi difficulter [1]. Neque enim natura humana totaliter corrupta est, sed liberum arbitrium semper habet remedium contra inclinationem habitus; scilicet homo potest per voluntatem applicare rationem, ut aliud consideret et meditetur [2].

Itaque habitus alicui peccatori confert promptitudinem et facilitatem eliciendi actum peccati, ejusque voluntatem ita naturaliter inclinat et pertrahit, ut hæc sponte sua, statim et quasi sine ulteriore deliberatione aut resistendi conatu libere ponat actum illum, quem non posuisset, si per habitum inclinata non fuisset.

197. — II. Quo melius natura habitus peccandi adeoque peccatoris habituati cognoscatur, plurimum interest cum S. Thoma considerare, in quo *differat a passione* et a peccante ex passione. — Est autem *passio*, juxta Aquinatem, motus appetitus sensitivi cum quadam transmutatione corporali. (Cfr. I-II, qu. 22, a. 2 et 3). Itaque:

1º In se spectata, passio est motus atque actus *transiens*, velut impulsus subitus parumque perdurans; habitus autem est qualitas *permanens*, inclinatio perseverans etiam post actum peccati. Hinc peccans ex passione *cito* resipiscit; secus autem peccans ex habitu.

« Passio, inquit S. Thomas, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit; et sic homo cito redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato. Sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens; et ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Unde Philosophus (in VII *Eth.* cap. 8) comparat intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo qui continue laborat; incontinentem autem, qui peccat ex passione, ei qui laboret interpolate » (I-II, qu. 78, a. 4). Videlicet Aristoteles (*l. c.*) habituatum phthisi vel hydropisia, alterum epilepsia laboranti comparat. Cfr. etiam *De Malo.* qu. 3, a. 13.

198. — 2º Ad causam impulsivam utriusque peccati quod attinet, in peccante ex passione inclinatio voluntatis est a principio *exteriore* atque ideo est *quasi violenta:* passio enim residet in appetitu

---

[1] « Omnis forma est in aliquo secundum modum recipientis. De natura autem rationalis creaturæ est quod sit *arbitrio libera ;* nam habitus virtutis vel vitii non inclinat voluntatem ex necessitate sic quod aliquis non possit contra rationem habitus operari; sed *difficile* est operari contra id ad quod habitus inclinat » (*De Malo*, qu. 3, a. 13, ad 6). Et alibi: « Liberum arbitrium *potest uti habitu vel non uti.* Unde non oportet quod semper aliquis agat secundum habitum; sed potest aliquando contra habitum agere, licet *cum difficultate.* Non tamen, manente habitu, potest contingere quod diu maneat nihil secundum habitum agens » (*De Verit.* qu. 24, a. 12, ad 13).

[2] « Ille qui peccat ex habitu semper gaudet de hoc quod ex habitu operatur, quamdiu habitu utitur. Sed quia potest habitu non uti, sed per rationem, quæ non est totaliter corrupta, aliquid *aliud meditari :* potest contingere, quod non utens habitu doleat de hoc quod per habitum commisit. Plerumque tamen tales pœnitent de peccato, non quia peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex peccato incurrunt » (I-II, qu. 78, a. 2, ad 3). Cfr. etiam *De Verit.* qu. 24, a. 10, et *De Malo*, qu. 3, a. 10.

sensitivo. In habituato autem hæc inclinatio est *ab intrinseco* et *spontanea:* est enim ab ipsa voluntate, utpote per illam qualitatem immanentem ultro et quasi naturaliter in malum inclinata.

« Impulsio quæ est ex passione, est quasi ex exteriori respectu voluntatis; sed per habitum inclinatur voluntas quasi ab interiori » (I-II, qu. 78, a. 4, ad 2). Quod pulchre S. Doctor alibi illustrat comparatione lapidis, qui sponte sua deorsum inclinatur, vi autem aliena in altum projectus violenter sursum tendit [1]. Unde in habituato peccati « primum principium » seu causa est propria malitia seu interna mali voluntas, ultro in peccatum inclinata; in altero autem est passio externa, cui quis velut invitus ex infirmitate succumbit [2]. Huic tamen non obstat, quominus objectum externum, v. g. visio mulieris, inimici, pecuniæ etc., possit esse occasio qua, non solum passio, sed etiam habitus excitetur et ad agendum inducatur. Videlicet objectum externum facit, ut voluntas, jam ab intrinseco per habitum ad malum naturaliter inclinata, facilius et citius actum peccati ponat, quam si habitus non adesset.

199. — 3° Si consideratur utriusque peccati *relatio* AD INTELLECTUM seu rationem, quæ primum est moralitatis principium, certe uterque, et habitus et passio, judicium rationis perturbat, ejusque rectum usum ligat: uterque namque efficit ut ratio erret et ignorantia consequenti suffundatur, voluntarie falso æstimans peccatum sibi esse bonum in particulari. Attamen multo major est error et ignorantia judiciique pravitas in peccatore habituato quam in peccante ex passionis impetu.

Prior, juxta S. Thomam, *errat circa ipsum finem :* « Habet ignorantiam circa ipsum finem, in quantum scilicet judicat hoc esse bonum, ut irrefrænate concupiscentias sequatur » (II-II, qu. 156, a. 3, ad 1). Peccans autem ex passione errat tantum « *quantum ad aliquod particulare eligibile*, prout scilicet æstimat hoc *nunc* esse eligendum »; unde « salvatur in eo optimum principium, scilicet recta æstimatio finis » (*l. c.*). Hinc etiam in ipso « durat illa ignorantia solum passione durante, sicut accessio febris tertianæ durat durante commotione humoris »; contra error seu ignorantia peccantis ex habitu « durat assidue propter permanentiam habitus; unde assimilatur phthisi vel cuicumque morbo continuo » (*l. c.*) [3]. Itaque

---

[1] « Invenitur aliquid in alterum inclinari dupliciter: uno modo quasi ab alio passum, sicut cum lapis projicitur sursum; alio modo per formam propriam; et tunc ex seipso inclinatur in illud, sicut cum lapis cadit deorsum. Et similiter voluntas inclinatur in bonum commutabile cui adjungitur deformitas peccati: quandoque quidem ex aliqua passione, et tunc dicitur ex infirmitate peccare;.... aliquando autem ex aliquo habitu, quando per consuetudinem inclinari in tale bonum, est ei jam versum quasi in habitum et naturam; et tunc ex proprio motu absque aliqua passione inclinatur ad illud; et hoc est peccare ex electione, sive ex industria, aut certa scientia, aut etiam ex malitia » (*De Malo*, qu. 3, a. 12).

[2] « In eo qui peccat ex infirmitate voluntas mali non est primum principium peccati, sed causatur ex passione. Sed in eo qui peccat ex malitia voluntas mali est primum principium peccati, quia ex seipso et per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio » (*ib.* ad 5).

[3] Item: « Sicut passio in irascibili vel concupiscibili existens causat electionem, in quantum ligat rationem ad momentum; ita habitus in his potentiis existens causat electionem, in quantum ligat rationem, non jam per modum passionis pertranseuntis, sed per modum formæ immanentis » (*De Malo*, qu. 3, a. 12, ad 12).

peccans ex passione habitualiter quidem recte judicat et bona habet principia circa electionem finis; actualiter tantum hic et nunc errat perturbatus a vehementia passionis. Contrarium vero accidit in peccante ex habitu. Hujus majoris et diuturnioris perturbationis causa est, quod habitus est quædam altera natura, voluntatem permanenter in peccatum inclinans; unde etiam ratio, obcæcata per hunc permanentem voluntatis affectum, judicat peccatum sibi esse naturale et finem convenientem [1].

200. — 4º Ex majore illa rationis perturbatione profluit etiam gravior *deordinatio* IN VOLUNTATE habituati. Etenim, quum peccans ex habitu naturalem habeat inclinationem ad malum, ejus voluntas est male disposita ad finem, imo *ordinata ad malum finem*, ejusque propositum habituale tendit ad peccandum. Peccans autem ex passione habitualiter habet voluntatem *ordinata ad bonum finem;* ejus « propositum, inquit S. Thomas, tendit in bonum finem, licet hoc propositum interrumpatur ad horam propter passionem » (I-II, qu. 78, a. 4).

Alibi: « Ille qui peccat ex infirmitate habet voluntatem ordinatam in bonum finem; bonum enim proponit et quærit, sed *interdum* recedit a proposito propter passionem. Sed ille qui peccat ex malitia habet voluntatem ordinatam in malum finem; habet enim *formatum propositum* ad peccandum » (*De Malo*, qu. 3, a. 13). Itaque hæc « voluntas mali », hoc propositum habituale tendens in malum finem, hæc adhæsio et libera affectio ad peccatum, orta ex illa permanente et naturali inclinatione quæ habitus vocatur, est, ut S. Thomas supra (n. 198) ait, primum et interius principium lapsus in peccatore habituato. Verbo, peccans ex passione « eligens peccat »; habituatus autem « peccat ex electione » [2].

201. — 5º Denique ex diversis hisce utriusque peccati causis etiam diversi oriuntur EFFECTUS, quibus facile utriusque generis peccatores dignosci possunt. Qui enim habitu movetur « agit *prompte* absque dubitatione et *delectabiliter* absque difficultate » (*De Virt. in comm.* a. 9, ad 13). Videlicet:

a) Qui ex passione peccat « non peccat nisi ex *gravi* concupiscentia », inquit Doctor Angelicus (II-II, qu. 156, a. 3, ad 3).

---

[1] « Vitii habitus quasi natura quædam inclinat in id quod est sibi conveniens; unde fit ut habenti habitum luxuriæ bonum videatur id quod luxuriæ convenit quasi connaturale. Et hoc est quod Philosophus dicit, quod qualis intus unusquisque est, talis et finis videtur ei » (*De Verit.* qu. 24, a. 10; item in II, dist. 7, qu. 1, a. 2). Alibi (*De Malo*, qu. 3, a. 9, ad 7) S. Thomas dicit, peccantem ex habitu habere unum principium quo moveatur, v. g. « Omni delectabili est fruendum »; unde statim concludit: « Hic actus (v. g. fornicatio) est delectabilis: ergo hoc est fruendum ». Peccans autem ex passione duplici movetur principio: « secundum rationem quidem ad vitandum peccatum, secundum concupiscentiam vero ad committendum »; sed obcæcatus ad momentum per passionis vehementiam « non assumit secundum rationem, sed secundum concupiscentiam »; in eo igitur « vincit motus concupiscentiæ », ideoque « peccat ex infirmitate ».

[2] « Aliud est peccare eligentem et aliud peccare ex electione. Ille enim qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione; quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum id quod extra passionem existens non eligeret. Sed ille qui peccat ex certa malitia secundum se eligit malum; et ideo electio quæ est in ipso est principium peccati; et propter hoc dicitur ex electione peccare » (I-II, qu. 78, a. 4, ad 3).

Hinc *non statim* cuivis obviæ tentationi consentit, sed generatim aliquo tempore resistit, serios conatus adhibet et ordinarie solum *post grave certamen* vincitur: habet enim voluntatem habitualiter inclinatam in bonum et aversam a malo. — Habituatus e contrario *prompte, expedite, quasi sine pugna et resistentia* in idem peccatum recidit; peccat « *sine gravi* renisu rationis » (I-II, qu. 78, a. 3, ad 1); « etiam ex *levi* concupiscentia peccat » (II-II, qu. 156, a. 3, ad 3). Ratio est, quia propter illam inclinationem in malum finem jam determinatus est ad unum, adeoque « absque dubitatione » seu longiore deliberatione statim eligit quod huic pravo fini conveniens est. « Habenti habitum jam est in ejus electione finis determinatus; unde quandocumque aliquid occurrit ut conveniens illi fini, *statim* eligitur, nisi ex aliqua attentiori et majori deliberatione impediatur » (*De Verit.* qu. 24, a. 12). Hinc etiam accidit, ut habituatus ordinarie *frequenter* in peccatum relabatur, tum quia jam determinatus est ad unum, nec maturiore deliberatione uti solet, tum denique quia deest ei illa vigilantia ad vitandum peccatum necessaria, nec ferventi oratione gratiam ulteriorem postulare solet [1].

b) Alter effectus habitus juxta S. Thomam est, ut quis operetur « *delectabiliter* absque difficultate ». Etenim, impulsus a passione, etsi actu peccato delectatur, tamen habitualiter abhorret a peccato, illudque aversatur et reprobat, sibique velut inimicum et extraneum æstimat; unde haud ita facile, sed difficulter peccato consentit. — Secus autem est in habituato. Hic enim, quum consuetudo sit altera natura, hanc peccandi operationem sibi velut naturalem et convenientem judicat et approbat, neque efficaci voluntate eam abhorret, sed de ea delectatur et gaudet, tamquam sibi amica et familiari. Ita S. Thomas: « Gaudet se peccasse, eo quod operatio peccati est sibi facta connaturalis secundum habitum » (II-II, qu. 156, a. 3) [2]. Imo habituatus, quia in malum finem tendit et inclinatur, haud raro, etiam non excitatus a concupiscentia, ultro quærit peccati delectationem: « quandoque eam (concupiscentiam) prævenit », et etiam « non concupiscens vel quiete, id est remisse, concupiscens persequitur delectationes » (*l. c.*, ad 3). Unde in peccato velut in fine quodammodo quiescit, nec graves conscientiæ

---

[1] « *Non diu* contingit hominem esse habitualiter dispositum ad peccandum quin occurrat sibi repente aliquod operandum, in quo ex inclinatione mali habitus labitur in consensum peccati mortalis; cum non sit possibile hominem diu esse vigilem ad hoc quod sufficientem sollicitudinem adhibeat ad vitandum peccatum mortale » (*De Verit.* qu. 24, a. 12).

[2] « Ut *delectabiliter* perfecta operatio compleatur... fit per habitum; qui quum sit per modum cujusdam naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem. Nam convenientia est delectationis causa; unde Philosophus ponit signum habitus delectationem in opere existentem » (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 1). Hæc tamen delectatio non semper est sensibilis, sed sæpe tantum in parte intellectiva et voluntate, uti v. g. in habitu blasphemiæ, eo quod actus est « connaturalis »; nam « consueta sunt delectabilia ad operandum in quantum sunt quasi connaturalia » (I-II, qu. 32, a. 8, ad 3).

remorsus sentit; contra ac peccans ex passione, qui, quum ordinarie in bonum finem tendat, non nisi violento et prætereunte concupiscentiæ motu rapitur ad consentiendum peccato, et cito gravem conscientiæ perturbationem experitur.

202. — Liquido igitur constat, Doctorem Angelicum semper sedulo distinguere inter peccantes *ex habitu* et peccantes *ex passione*. Priores post Aristotelem vocat *intemperatos*, posteriores vero *incontinentes*. (Cfr. II-II, qu. 156, a. 3). Nam temperantia virtus est cardinalis, quæ moderatur appetitum sensitivum seu concupiscentiam, eamque rationi et voluntati plane subjicit (II-II, qu. 141); continentia vero est virtus, « per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementer existunt » (*ib.* qu. 155, a. 1). Itaque « intemperati » seu peccantes ex habitu ipsam rationem et voluntatem habitualiter subjectam habent concupiscentiæ seu appetitui sensitivo, cujus imperio et dominio se scientes et volentes regi sinunt; hinc peccant ex *malitia* seu ex *mala* voluntate. « Incontinentes » vero seu peccantes ex passione debilem et infirmam habent voluntatem, adeo ut non resistant vehementibus motibus actu insurgentibus; hinc peccant ex *infirmitate* seu ex *infirma* voluntate.

203. — Ex hactenus dictis cum S. Thoma tria concludere licet:

1º Peccatores *habituati* seu *consuetudinarii*, circa quos disputatio nostra imprimis versatur, non illi dicendi sunt qui ex mera passione, etsi forte haud ita raro, in peccata labuntur, a. v. *incontinentes*, sed illi soli qui vi habitus in peccata incidunt, a. v. *intemperati*. Unde parum congruit doctrinæ S. Thomæ, quando aliqui recentes theologi peccatores habituatos dividunt in incontinentes et intemperatos. Non ita S. Alphonsus, ut mox videbimus.

2º *Gravius est peccatum ex habitu* quam ex passione. Quod hisce tribus rationibus ostendit Doctor Angelicus (I-II, qu. 78, a. 4). *Primo*, quia habituati peccatum est magis voluntarium, utpote ab ipsa mala voluntate, velut principio interiore, procedens. Passio autem imminuit peccati gravitatem, quippe quum voluntati ab extrinseco quasi vim inferat. Unde vehementia habitus peccatum aggravat; vehementia autem passionis illud minuit. *Secundo*, quia habituati peccatum diutius durat; oritur enim ex qualitate seu inclinatione permanente; passio autem est actus transiens. *Tertio*, quia habituati peccatum procedit ex voluntate ordinata in malum finem cum habituali adhæsione et affectu ad peccatum; qui vero sola passione movetur peccat ex voluntate habitualiter ordinata in bonum finem.

3º Tertia, eaque maximi momenti conclusio, ex altera jam profluens, hæc est: *Difficilior est conversio habituati* quam peccantis ex passione. Ita disertis verbis S. Thomas: « Difficilior est ejus (scilicet intemperati seu habituati) sanatio propter *duo:* quorum primum est ex parte *rationis*, quæ corrupta est circa æstimationem

ultimi finis; quod se habet sicut principium in demonstrativis: difficilius autem reducitur ad veritatem ille qui errat circa principium; et similiter in operativis ille qui errat circa finem. Aliud autem est ex parte *inclinationis appetitus*, quæ in intemperato est ex habitu, qui difficile tollitur; inclinatio autem incontinentis est ex passione, quæ facilius reprimi potest » (II-II, qu. 156, a. 3, ad 2) [1]. Potest sane etiam habituatus de peccato dolere — usus enim habitus semper voluntatis arbitrio subjectus est (cfr. n. 196) — ast difficulter, quia et rationem et voluntatem naturaliter et permanenter ad malum propensam habet. Hinc S. Thomas: habituatus « non est pœnitivus », i. e. « non de facili pœnitet » (l. c. in *nota*); imo « plerumque tales pœnitent de peccato, non quia eis peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum quod ex peccato incurrunt » (I-II, qu. 78, a. 2, ad 3).

204. — Atque hanc quidem S. Thomæ doctrinam de habitu et passione fusius exponere lubuit, quia fundamenta sternit totius hujus tractatus. Nemo enim non videt, gravissimas inde deduci *conclusiones* pro nostra materia de dispositionibus ad sacramentum Pœnitentiæ requisitis, deque absolutione recidivorum: eadem quippe principia, uti patet, valent a fortiori de relapsu post confessionem. Præcipuas conclusiones de horum absolutione jam hic, quasi in antecessum, indicare liceat:

a) *Recidivi* ex *sola passione*, quando non sunt occasionarii, generatim statim absolvi possunt, etiamsi pluries relapsi sunt. Ipsi enim, ut ex S. Thoma vidimus, voluntatem habent habitualiter ordinatam in bonum et aversam a malo, et actu ad horam tantum in æstu passionis vehementi tentationis motui succumbunt; unde cito et facile de peccato dolent et ad bonum propositum redeunt. Quapropter de eorum contritione serio dubitandum non est, quando hu-

---

[1] Idem alibi sæpius: « In eo qui peccat ex infirmitate seu ex passione voluntas inclinatur ad actum peccati, quamdiu passio durat; sed statim abeunte passione, quæ cito transit, voluntas recedit ab illa inclinatione et redit ad propositum bonum, pœnitens de peccato commisso. Sed in eo qui peccat ex malitia voluntas inclinatur in actum peccati manente habitu, qui non transit sed perseverat, ut forma quædam immanens et connaturalis facta. Unde qui sic peccant perseverant in voluntate peccandi et *non de facili pœnitent* ». Quod deinde etiam ostendit ex habituati voluntatis inclinatione in malum finem, qui in ordine morali est quod principia sunt in ordine speculativo; unde concludit: « Sic ergo gravissime et periculosissime peccat qui peccat ex malitia, et *non potest de facili revocari*, sicut revocatur ille qui peccat ex infirmitate, in quo ad minus manet bonum propositum » (*De Malo*, qu. 3, a. 13). — Iterum: « Quia passio cito transit, habitus autem est qualitas difficile mobilis, inde est quod incontinens statim pœnitet, transeunte passione: quod non accidit in intemperato, quinimo *gaudet se peccasse*, eo quod operatio peccati est sibi facta connaturalis secundum habitum; unde de his dicitur *Proverb.* (2, 14) quod *lætantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis*. Unde patet quod intemperatus est multo pejor quam incontinens, ut etiam Philosophus dicit » (II-II, qu. 156, a. 3). Et generatim S. Thomas laudat illud Aristotelis (VII *Eth.* cap. 8): « Intemperatus *non est pœnitivus* (i. e. difficulter ipsum pœnitet); immanet enim electioni; incontinens autem omnis est pœnitivus » (*l. c., sed contra est*). — Item *in II Sent.*, dist. 43, a. 4.

mili animo confessario peccata confitentur et absolutionem petunt. Habent illi voluntatem non malam, sed *infirmam*. Ad eorum autem emendationem maxime interest hanc infirmam voluntatem roborare; quod præcipue fit frequenti usu sacramentorum. Confessarius igitur, tum ut judex tum ut medicus, ordinarie eis absolutionem concedere potest et debet. — Quomodo tractandi sint, quando relapsus provenit ex *occasione*, vidimus in prima parte. (Cfr. thes. 4ª et 8ª).

b) *Recidivi* ex *habitu* certe difficilius absolvi possunt. Ipsi enim, juxta S. Thomæ doctrinam, voluntatem habent permanenter ad malum inclinatam et dispositam; peccant ex habituali affectu ad peccatum et propositum habent firmatum ad peccandum; « difficulter » ergo resipiscunt et dolent de peccatis. Præsertim vero, si *proprio sensu recidivi* sunt in eumdem habitum, neque post ultimam confessionem serium emendationis conatum adhibuerunt, ex hac præterita experientia grave ingenerant indispositionis dubium, et etiamsi se dolere asserant, facile sibi fucum faciunt. Agitur hic ante omnia de mutanda voluntate *mala*. (Cfr. thes. 13ª). Attamen si nunc aliquo *speciali* signo hanc voluntatis mutationem ostendunt, ordinarie absolvi possunt, nisi ob occasionem proximam judicet confessarius, dilationem esse utilem aut necessariam. (Cfr. thes. 16ª et 21ª). — Atque hæc quidem satis superque de mente S. Thomæ.

II. — *De mente S. Alphonsi.*

205. — Expositæ Doctoris Angelici doctrinæ optime consonat S. Alphonsi sententia circa notionem habitus et propriam privamque peccatoris habituati naturam. Eadem namque quæ S. Thomas assignat et postulat hujusmodi peccatoris signa et indicia.

Certe S. Doctor noster, agens de voluntario in causa, expresse distinguit inter peccatum ex *passione* et peccatum ex *habitu* (*Th. Mor.* V, 4, 2º, 3º). Per passionem seu concupiscentiam intelligit « quemdam *motum appetitus sensitivi* adversus spiritum rebellantis, qui tendit in bonum delectabile » (V, *tr. præamb.* XXIII). Habituatos autem vocat, non eos qui ex passione peccant, sed « qui habitum contraxerunt in aliquo peccato » (*Prax.* 70). In nostra autem quæstione, quæ est de recidivis, semper et ubique illum solum intelligit qui relapsus est in eumdem *habitum* peccandi: « Recidivus rediens cum *eodem habitu pravo* » (VI, n. 459, § 6) [1]. Agit de illo qui « *vi pravi habitus* est relapsus » (h. 1. § 10), « relapsus *propter mali habitus vim* » (§ 12; *Prax.* 73). — Ergo juxta S. Doctorem non passio aut concupiscentia, sed habitus est principium ac causa ejus lapsus, quemadmodum apud S. Thomam.

---

[1] Textum hujus n. 459 a § 4 usque ad § 12 vide infra post n. 245.

206. — Hujusmodi habituatus juxta S. Alphonsum peccat semper *eodem modo*, scilicet *facile*, *sine emendatione*, *sine pugna et resistentia*, imo *sine serio conatu* ad resistendum et se emendandum. Est enim, inquit, ille qui « *eodem modo* cecidit, *nullo adhibito conatu* et *nullo impleto ex mediis* a confessario præscriptis » (§ 7), qui « eodem modo reinciderit, *nullumque* ad se emendandum *conatum* adhibuerit » (§ 9). Tales sunt « qui post confessionem eodem modo aut *quasi eodem modo* sunt relapsi *absque emendatione* » (*Prax.* 71), « relapsi *sine ulla emendatione* » (ib.), qui « *facile* recidunt », adeoque ostendunt « *pravum habitum* ab eis non adhuc esse avulsum » (VI, n. 464, § 10). — Propterea ille peccator etiam *prompte* et *cito* labitur: is enim est qui « *paulo post* confessionem, seu *data prima occasione*, lapsus fuerit » (VI, 505); qui « post suas confessiones ut plurimum *cito* et *sine ulla resistentia* iterum cecidit » (ib.), qui « *statim* ceciderit, *post duos* nempe *vel tres dies* a confessione facta, *quin aliquo modo tentationi obstiterit* » (*H. Ap.* XVI, 103). — Hinc etiam *frequenter* labitur: « *frequens* ille relapsus (§ 7), scilicet « *frequenter* ex *consuetudine* » (VI, 451). — Vides igitur, eadem hic indicari peccatoris habituati signa eosdemque habitus *effectus*, quos supra (n. 201) a S. Thoma assignatos vidimus: « prompte », « cito », « statim », « delectabiliter absque difficultate », « sine gravi renisu rationis », « ex levi concupiscentia ».

Unde etiam juxta S. Alphonsum non est habituatus, neque recidivus in habitum qui « *per aliquod tempus* a peccato se abstinet, saltem *aliquem conatum* adhibet ante relapsum » (VI, 505), « si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante casum *aliquam saltem resistentiam* præstiterit » (ib.); neque « si relapsus fuerit *post magnum conflictum* » (VI, 460, 2º), « *post magnam resistentiam* » (*Prax.* 74, 2º), neque « si antequam ad confessionem accederet, *diu* abstinuerit a peccatis » (ib.).

207. — Easdem etiam ac S. Thomas (supra n. 198-200) *causas* seu rationes intrinsecas hujusmodi lapsus indicat S. Alphonsus, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. — Nam ad *intellectum* quod spectat, propter talem habitum deest illis peccatoribus æqua æstimatio ac horror peccati, quasi indifferentes sunt, ac proinde conscientiæ judicium habent depravatum. « Peccatores male habituati, inquit, ... cum *parvipendant* peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorialis impressio quæ fit in alio habente conscientiam minus *depravatam;* et hinc evenit quod in eorum memoria *non remanet vestigium* actualis illius cognitionis quam satis habuerunt antea de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant quod non adverterint » (V, 4, 3º). « Peccatum, ratione pravi habitus, facit illis *parvam impressionem*, atque idcirco postea

ejus non recordantur » (*Istruz. e Prat.* III, 27). Item: « Cum ipsi (male habituati) *tanti non faciunt peccatum*, ideo in suo animo *nullum* hujus sceleris *sensum experiuntur*, sicuti perciperet alius, qui esset conscientiæ non tam *depravatæ* » (*Prax.* 31).

Ad eorum *voluntatem* quod attinet, eam habent inclinatam et propensam ad malum: « Pravus habitus reddit peccatorem *propensiorem ad peccatum* » (n. 459, § 2). Fortiter eis inhæret, licet diverso pro natura habitus gradu: « In peccatis odii, furti aut libidinis *habitus fortius inhæret*, causa majoris concupiscentiæ sive *inclinationis* quæ in illis invenitur » (*Prax.* 75). Habent igitur voluntatem malam quam hic et nunc mutare debent; unde in iis qui in habitum recidivi sunt, ut absolvi possint, S. Doctor postulat « *mutationem* voluntatis », « signum *mutatæ* voluntatis » (n. 459, § 11; *Prax.* 73); nam eorum propositum erat infirmum, quum ita facile et eodem modo reciderint: « Qui enim firme proponit rem sibi moraliter possibilem *non ita facile* sui propositi obliviscitur » (ib. § 7).

Ex hisce omnibus consequitur, ut eorum *conversio* sit *difficilis:* « Advertendum, rem *valde difficilem* esse quod peccatores *frequenter ex consuetudine* in mortalia labentes cum vero proposito ad confessionem accedant » (VI, 451). — Ita quoque S. Thomas supra (n. 203, 3º).

208. — Luculenter igitur constat, S. Alphonsum hic loqui de illis peccatoribus, quos S. Thomas (supra n. 202) *intemperatos* vocat, qui nempe peccant ex *habitu* seu ex mala voluntate vel certa malitia; non vero agit de illis *incontinentibus*, qui recidunt tantum aliqua vehementi et momentosa passione abrepti. *Eædem* quippe apud utrumque Doctorem reperiuntur *notæ habituati:* scilicet promptitudo et facilitas peccandi, frequentia lapsus, defectus conatus resistentiæ seu renisus, corruptio et pravitas judicii rationis, perversio et malitia voluntatis, difficultas sanationis seu conversionis. Licet ergo S. Alphonsus nullibi ex professo exponat definitionem scholasticam habitus, tamen, ad rem quod spectat, doctrinæ psychologicæ S. Thomæ plane consentit, imo haud raro ad verbum usque concordat.

Atque ita quidem thesis nostra 11ª (supra p. 174) ex utroque Doctore declarata et probata manet.

Quæstiones de genesi habitus

209. — Probata thesi jam duplex oritur quæstio, ex cujus responsione natura habitus ejusque a passione distinctio magis etiam dilucidatur: 1ª *Quo modo habitus peccandi generatur?* — 2ª *Quæ actuum frequentia requiritur ut habitus constituatur?*

Ad PRIMAM quæstionem quod spectat, experientia constat, habitum generari *per frequentiam actuum.* Unde S. Thomas: « Ex multiplicatis actibus generatur quædam qualitas in potentia passiva et mota, quæ nominatur habitus » (I-II, qu. 51, a. 2).

Genesis autem habitus, juxta eumdem Doctorem, hæc est. Principium activum, quod est ratio, movet principium passivum seu appetitum, qui indeterminate se habet ad diversa, ipsumque ad unam actionem determinat, atque ita ipsi imprimit quamdam dispositionem ad similes actus. Hæc autem dispositio repetitis actibus semper crescit, et sic paulatim ingenerat illam qualitatem permanentem, illamque naturalem inclinationem quam habitum vocamus [1]. Multi igitur frequentesque actus ad habitum constituendum requiruntur: *primo* quidem quia generatim adsunt obstacula quæ paulatim removentur; sicut ignis paulatim tantum combustibile inflammat et simile sibi facit; *secundo* quia potentia appetitiva, quum ordinata sit ad diversa, per unum alterumve actum seu per rationes particulares non statim totaliter vincitur, ut permanenter ac velut naturaliter inclinetur ad unum idemque ut plurimum agendum [2].

210. — Hic tamen omnino animadvertendum est, frequentes in aliquod peccatum lapsus neque *per se*, neque *semper* habitum proprie dictum ingenerare. Nam etiam ex passione quis frequenter peccare potest; atque non solum intemperati, sed etiam incontinentes sæpe in eadem peccata relabi possunt. Quapropter, juxta S. Thomam et S. Alphonsum, ad habitum efficiendum requiritur præterea, ut frequentiori lapsui *nulla obstacula seria opponantur* (supra n. 201, 206); requiritur, inquam, ut voluntas, postquam aliquot peccati actus posuit, contrariis actibus non impediat quominus hæc incipiens prava inclinatio radices agat et permanens qualitas evadat. Sic, ut redeamus ad illam comparationem combustibilis, de qua supra (n. 209, *nota* 2ª) S. Thomas, si quis ligno comburere incipienti identi-

---

[1] Cfr. I-II, qu. 51, a. 2 et 3. Alibi S. Thomas dicit: « Quia vis appetitiva se habet ad utrumlibet, non tendit in unum nisi secundum quod a ratione determinatur in illud. Cum igitur ratio multoties inclinet virtutem appetitivam in aliquid unum, fit quædam dispositio firmata in vi appetitiva, per quam inclinatur in unum quod consuevit; et ista dispositio sic firmata est habitus virtutis. Unde, si recte consideretur, virtus appetitivæ partis nihil est aliud quam quædam dispositio sive forma sigillata et impressa in vi appetitiva a ratione » (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 9). Hæc pariter de habitu vitii valent.

[2] « Habitus per actum generatur, in quantum potentia passiva movetur ab aliquo principio activo. Ad hoc autem quod aliqua qualitas causetur in passivo, oportet quod activum totaliter vincat passivum; unde videmus quod, quia ignis non potest totaliter vincere suum combustibile, non statim inflammat ipsum, sed paulatim abjicit contrarias dispositiones. ut sic totaliter vincens ipsum, similitudinem suam ipsi imprimat » (I-II, qu. 51, a. 3; cfr. etiam ib. qu. 75, a. 4). Item: « Propter hoc quod agibilia sunt contingentia et probabilia, ideo unus actus non sufficit ad causandam virtutem, sed requiruntur plures. Et licet illi plures non sint simul, tamen habitum virtutis causare possunt; quia primus actus facit aliquam dispositionem, et secundus actus inveniens materiam dispositam, adhuc eam magis disponit, et tertius adhuc amplius; et sic ultimus actus agens in virtute omnium præcedentium complet generationem virtutis, sicut accidit de multis guttis cavantibus lapidem » (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 9, ad 11).

dem aquam infundit, impediet quominus ignis lignum totaliter inflammet et paulatim simile sibi faciat. Secus autem est, si voluntas parum aut nihil in contrarium agit; tunc enim, etiamsi quis initio sola passione commotus peccato consentiat, paulatim tamen et sponte ex illis sæpe repetitis actibus oritur habitus proprie dictus seu illa permanens et naturalis dispositio quæ, ut cum S. Thoma et S. Alphonso vidimus, difficilem reddit veram peccatoris conversionem. Atque ita passio, cui diu parum resistitur, habitum ingenerare potest.

211. — Ex hac autem doctrina profluit *conclusio practica*, quæ magni est momenti in nostra de absolutione recidivorum quæstione. Si quis enim, motus a vehementi quadam passione, sæpius quidem labitur in aliquod peccatum, puta pollutionis, blasphemiæ, odii etc., hunc autem actum peccati brevi post sæpius etiam voluntate retrahit, de eoque vere dolet, propositumque illum non amplius committendi renovat, tunc impediet quominus pravus hujus peccati habitus in se oriatur: qualibet enim vice actu contrario velut aqua salutari flammam ignis exstinguit. Atque hinc vides, quam sapienter Romani Pontifices et Concilia, sanctique Patres et Doctores passim Christifideles ad dignum et frequentem sacramentorum usum hortentur, utpote remedium efficacissimum pro iis qui in peccata recidunt. Quum enim ea occasione plures validi actus peccatis contrarii elici soleant, efficitur ut illi lapsus, etiamsi ex passione satis frequentes sint, tamen non in verum habitum transeant, a. v. ut non illa permanens et quasi naturalis in vitium inclinatio ingeneretur, quæ adeo exitiosos in anima effectus producit. Et quia in juniore præsertim ætate habitus aut boni aut mali formantur, atque idcirco Ecclesiæ inimici pueros imprimis corrumpere et spiritu mundano imbuere conantur, maxime interest, ut confessarii et prædicatores omnem operam adhibeant ad promovendum, præsertim apud pueros parvulosque, frequentem dignumque sacramentorum usum.

212. — Altera quæstio est: *Quæ actuum frequentia* seu qualis actuum numerus *requiritur ut habitus peccati constituatur?*

Respondetur, id una certaque regula definiri non posse. Pendet enim ex variis adjunctis. Videlicet:

1° *Ex quadam dispositione physiologica* seu e cujusque constitutione corporali, quam recentes « temperamentum » vocant. Alii e. g., iique plurimi, naturali temperatura ad luxuriam magis dispositi sunt, alii ad gulam et potus intemperantiam, alii ad iram, alii ad superbiam et contemptum auctoritatis etc. Et in una eademque dispositione varii etiam dantur gradus. Unde ceu regula statui potest: quo magis quis naturaliter et physiologice ad aliquod vitium dispositus est, eo citius habitus contrahitur, eo minor actuum numerus requiritur [1].

---

[1] Has « prædispositiones », uti aiunt, S. Thomas vocat « inchoationes naturales »; et quæ de habitu virtutis dicit, pari ratione de vitii habitu dicenda sunt: « Ex parte *corporis* secundum naturam individui sunt aliqui habitus appetitivi secundum inchoationes naturales: sunt

2º *Ex natura peccati:* utrum sit cogitationis vel oris dumtaxat, an etiam operis; et si est operis, utrum actus sint solitarii, an cum complice. Major enim numerus requiritur pro peccatis cogitationis vel oris, quam pro operibus, præcipue cum socio factis; quia hisce postremis major voluntatis deliberatio, pluresque sæpe actus interni ad superanda obstacula præcedere solent. Hinc regula: quo facilius peccatum perpetratur, eo major requiritur actuum numerus ad habitum contrahendum.

3º *Ex intentione et efficacia*, quacum singuli actus eliciuntur. Qua de re S. Thomas: « Quanto actio agentis est efficacior, tanto velocius inducit formam » scilicet habitus (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 9, ad 11). Sic pauci actus heroici brevi tempore habitum virtutis constituere possunt. Similiter quo major est rationis mali cognitio, majorque voluntatis in eo prosequendo vis et efficacia, eo facilius et citius habitus peccandi comparatur.

4º *Ex modo resistendi et resipiscendi.* Quo magis enim quis tentationibus resistere conatur, vel quo sæpius et citius post lapsum aliquo modo resipiscit, eo majus temporis spatium postulatur, ut quis quasi naturaliter ad peccatum inclinetur. Si nihil plane resistit, neque unquam resipiscit, cito habitus formatur. (Cfr. n. 210).

5º *Ex temporis diuturnitate.* Quo enim diutius peccatum exercetur, eo minor lapsuum numerus eodem temporis tractu requiritur; quia ipsa temporis diuturnitas pravam inclinationem magis confirmat et permanentem reddit. Sic qui per aliquot tantum hebdomadas fere quotidie se polluit, eo ipso nondum habituatus dici potest; posset autem, si per integrum annum quavis hebdomada semel tale peccatum committit, singulis quasi vicibus tentationibus statim cedens.

213. — Quia igitur propter hanc circumstantiarum varietatem numerica lapsuum computatio certam fixamque normam præbere nequit, qua definiatur utrum habitus sit constitutus necne, facilior est hæc *regula generalis*, eis innixa quæ juxta S. Thomam et S. Alphonsum exposuimus: Si quis per notabile tempus idem peccatum frequenter commisit, ita ut statim, facile et sine ulla fere resistentia vel emendationis conatu tentationibus passim cesserit, habituatus dicendus est. Dico: *per notabile tempus*, puta plurium saltem men-

---

enim quidam dispositi ex propria corporis complexione ad castitatem, vel mansuetudinem, vel ad aliquid hujusmodi » (I-II, qu. 51, a. 1). Item: « Secundum dispositionem quæ est in parte sensitiva, dicuntur aliqui habere naturalem inclinationem ad vitium vel virtutem » (*De Virt. in comm.* qu. 1, a. 9, ad 22). — Si corrupta dispositio corporalis inclinans in malum non consuetudine seu repetitis actibus est acquisita, sed homini plane *congenita*, a S. Thoma non stricto sensu habitus vocatur, sed « *ægritudinalis habitudo* ex parte corporis; sicut aliquis habens quasdam naturales inclinationes ad aliqua peccata propter corruptionem naturæ in ipso » (I-II, qu. 78, a. 3). Talis tamen non ex passione sed, perinde ac habituatus, ex certa malitia peccat, quia, ut ibidem S. Doctor, ipsius voluntas ex seipsa movetur et tendit ad malum, ut sibi conveniens.

sium; quia ex communiter contingentibus seu pro hominibus ordinariis, honestate naturali dotatis, breve tempus, v. g. unius mensis, non sufficit, ut illa peccandi facilitas illaque inclinatio comparetur, qua ratio et voluntas in malum finem permanenter ordinetur et in proposito peccandi quasi firmata sit. Quapropter *pro praxi* confessarius a pœnitente qui sæpe et diu in idem peccatum lapsus est, exquirat, utrum ordinarie statim et sine ulla fere pugna tentationibus ad peccatum consensum dederit, an sæpenumero seria quædam conamina ad resistendum adhibuerit. Si primum, lapsus ex habitu, sin alterum, ex passione potissimum ortos fuisse præsumendum est.

214. — Ne tamen res adeo practica nimis vaga et indeterminata relinquatur, S. Alphonsus illud « frequenter » pro varia peccatorum natura etiam magis definire conatur. Hinc

1º Pro peccatis *operis*, iisque *solitariis*, v. g. pollutionis, ebrietatis, furti, gravis inobedientiæ, neglectus præceptorum Ecclesiæ etc., hæc dicit S. Doctor: « Advertatur quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsos aliquod intervallum intercedat » (*Prax.* 70).

Qua de re fac advertas, *a*) sanctum Auctorem dicere: « jam *possunt* malum habitum constituere », ergo non semper constituunt: id enim, ut vidimus, ex variis pendet adjunctis. Præterea S. Alphonsus hæc intelligit de quinque lapsibus quovis mense *per notabile tempus*, puta per tres quatuorve menses, uti supra dictum est, non autem de tot lapsibus per unum dumtaxat mensem; nam expresse cum S. Thoma frequentes lapsus postulat et vult, ut ex iis conscientiæ depravatio et constans voluntatis in malum propensio oriatur; quod sane tam brevi tempore generatim non fit [1]. Hæc explicatio etiam liquet ex textu proxime sequenti. Deinde adverte, *b*) S. Doctorem requirere ut inter illos quinque lapsus mensiles « aliquod intervallum intercedat »: si quis enim quinquies in eadem hebdomade se pollueret, cæteris autem mensis hebdomadibus tentationi resisteret, signum esset illos lapsus potius ex transeunte passione quam ex permanente habitu processisse, etiamsi per plures menses ita laberetur.

2º De peccatis *operis*, *non solitarie* sed *cum aliis* commissis, præcipue in materia luxuriæ, hæc statim subjicit S. Alphonsus: « Et in materia fornicationum, sodomiarum et bestialitatum multo minor numerus habituum queit constituere: qui e. g. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest » (*Prax.* 70). Hæc clara sunt ex supra (n. 212, 2º) dictis.

Iterum hic notandum, S. Doctorem dicere: « habitum *queit* constituere », « habituatus dici *potest* ». Nam utrum re ipsa tales lapsus ex

[1] Ita quoque Lehmkuhl hunc S. Alphonsi textum de quinque lapsibus in mense laudat et explicat, scilicet de illo « qui *per notabile tempus* quinquies in mense peccaverit » (II, 622).

habitu an ex passione proveniant, pendet ex adjunctis, scilicet ex frequentia occasionis, utrum continua sit an interrupta, item ex resistentia tentationi præstita etc. Sic v. g. famula, sæpius per hebdomadam ab hero et a propria concupiscentia sollicitata, si semel tantum singulis mensibus per annum consentit, nondum dici potest habituata in peccato, sensu illo psychologico quem in thesi 10ª exposuimus. Ipsa enim nec facile nec cito peccat, sed ut plurimum resistit, et quando peccat id facit vel ex passione transeunte vel forte ex timore et quadam indolis debilitate. Secus esset, si etiam ipsa esset inclinata ad hoc peccatum et qualibet vice hero sollicitanti facile consentiret, imo forte sua procaci agendi ratione herum ad peccatum incitaret; quo casu duodecim lapsus per annum sufficerent sane ad habitum constituendum. Idem dicas de homine qui quolibet fere mense per annum ad lupanar accederet. Ceterum, quæstio illa psychologica quoad peccata luxuriæ consummatæ *cum aliis* commissa minoris est momenti, quum hujusmodi peccatores, etiam non habituati, propter *occasionem* proximam ordinarie jam ab initio a confessario, sive ut judice sive ut medico, prudenti quadam severitate tractandi sunt, uti vidimus in parte prima, maxime thesi 5ª et 7ª. Cfr. etiam infra thesis 21ª.

3º De numero lapsuum requisito ad formandum habitum in peccatis *cogitationis* (odii, delectationis morosæ etc.) vel *oris* (blasphemiæ, perjurii etc.) nihil definite dicit S. Alphonsus. Generatim ait Aertnys: « In peccatis oris vel cordis multo major numerus requiritur, v. g. bis terve in hebdomade » (*Th. Mor.* II, 481); quæ æstimatio æqua videtur, modo alia ad habitum efficiendum requisita adsint, nimirum ut quis per notabile tempus cito et sine ulla fere resistentia aut conatu labatur, neque statim post de peccato doleat.

215. — Ex omnibus quæ hactenus juxta S. Thomam et S. Alphonsum disputavimus pro praxi colligere licet, inter illos Christifideles, qui veritatibus fidei satis sunt instructi, timore Dei non sunt destituti et sacramenta cum vero emendationis desiderio frequentare solent, v. g. quolibet fere mense, peccatores vere habituatos non ita esse frequentes. Eorum enim lapsus mortales, etiamsi frequentes sunt, sæpe magis ex passione, quam ex habitu vel ex voluntate habitualiter in malum inclinata procedunt; unde cito resipiscunt et facile dolent de peccatis. Secus autem dicendum de illis Christianis qui, etiamsi fidem adhuc habent, tamen de sua salute æterna consequenda valde negligentes sunt, peccati gravitatem ejusque consequentias parum aut nihil considerant, adeoque ejus sollicitationi fere non resistunt, parum orant et ad sacramenta raro, vel saltem ex consuetudine magis quam ex sincero emendationis desiderio accedunt. Hi enim, si frequenter idem peccatum admittunt, ut plurimum inter peccatores habituatos recensendi sunt; quia habituali inclinatione et affectu peccato adhærent, difficulter veram agunt pœnitentiam et ad bonum firmumque propositum redeunt.

216. — Coronidis loco, non abs re erit hic elenchum contexere eorum qui potissimum in aliquo peccato *habituati* sunt. Tales ut plurimum sunt:

I. In materia *luxuriæ:* qui delectationibus morosis pravisque desideriis passim cedunt, — qui quotidie fere colloquiis graviter turpibus indulgent, — qui frequenter in peccatum pollutionis incidunt, puta semel et iterum in hebdomade pro cujusque constitutione, — qui perdite amant personam alterius vel etiam ejusdem sexus, eam sæpe visitant cumque ea graviter peccant, — qui lupanaria frequentare solent, item theatra aut cinematographa admodum turpia, — qui valde addicti sunt lectioni librorum obscœnorum aut eroticorum in quibus pasculum impurum inveniant, — qui in matrimonio onanistice vivere solent, etc.

II. In materia *injustitiæ:* qui fere unice cogitant de augendis divitiis quibuscumque demum mediis, licitis aut illicitis, modo ne in manus judicis civilis incidant, v. g. in contractibus, in negotiis, in bursarum operationibus, etc., — qui injuste acquisita restituere aut debita solvere diu culpabiliter negligunt, — qui furtula minora, in gravem materiam coalescentia, sæpe committunt, — qui in functione muneris titulo justitiæ accepti, v. g. medici, advocati, notarii, œconomi, frequenter graviter incuriosi sunt, etc.

III. In materia *inimicitiæ:* qui diu constanti odio gravi proximum prosequuntur, de injuria ab ipso illata vindictam quærunt, ejusque famæ aut bonis temporalibus nocere nituntur, etc.

IV. In materia *fidei opposita;* qui dubitationibus circa fidei veritates sæpe voluntarie inhærent, — qui libros, periodica, folia graviter periculosa sine justa et proportionata ratione legere solent, — qui cœtus hæreticorum, socialistarum aliorumque id genus hominum frequentant, vel familiare cum illis amicitiæ commercium habent sæpeque contra Ecclesiam ejusque ministros loquuntur cum periculo perversionis, etc.

V. In materia *blasphemiæ:* qui simplici colloquio formulas blasphematorias intermiscere solent, aut etiam frequenter, si ira excandescunt, blasphemias eructant, neque ullam curam consuetudinem hanc dimittendi adhibent.

VI. In materia *intemperantiæ:* qui cauponas visitare solent et ibidem, aut etiam domi, sæpe, puta pluries in mense, ebrietati se dedunt.

VII. In materia *præceptorum Ecclesiæ:* qui legem abstinentiæ fere non curant, — qui identidem, v. g. semel et iterum in mense, ex levi aut nulla causa Missam præscriptam non audiunt, — qui diebus prohibitis sine gravi ratione opera servilia peragere solent.

VIII. In materia *officiorum status:* qui hæc valde negligunt, v. g. *parentes*, qui religiosam filiorum educationem prætermittunt aut eos a periculis fidei et morum avertere non nituntur, præcipue matresfamilias quæ filias solas cum juvenibus amorem facere permittunt; — *domini et magistri* qui nihil solliciti sunt de honestate domesticorum aut operariorum in officinis vel alumnorum in scholis; — *filii et subditi* qui præcepta parentum et dominorum in re gravi contemnere soliti sunt; — *superiores* ecclesiastici et civiles qui leges particulares suæ communitatis aut societatis parum curant, transgressores nec monent nec puniunt cum gravi damno communi; — *confessarii* qui necessariam scientiam studio compa-

rare negligunt ita ut sæpe graviter fallantur in casuum solutione, qui nihil fere interrogant, haud satis dispositos monere negligunt, omnes peccatores sine discrimine absolvunt, aut contra recidivis passim absque gravi ratione vel durius absolutionem denegant; — *sacerdotes* qui non dispensati officium divinum sæpe non recitant, qui levi sua agendi ratione, verbis, ludis, nimia Missæ præcipitatione, fidelibus grave scandalum præbent; — *religiosi* utriusque sexus qui in materia gravi vota, v. g. paupertatis, sæpe lædunt, qui regulas majoris momenti, puta silentii, clausuræ, exercitiorum spiritualium, reverentiæ erga superiores etc., transgredi solent cum notabili damno communitatis et periculo relaxationis etc.

Hi omnes, si non aliquo passionis motu qui cito transit ita ut brevi resipiscant, sed ex voluntate constanter in malum inclinata frequenter, facile et prompte hæc peccata admittunt, peccatores *habituati* dicendi sunt. Licet enim plures ex hisce recensitis peccata tantum omissionis committant, tamen vere ex pravo habitu peccant, puta ex vitio acediæ vel incuriæ; quod quidem vitium in ipsis est qualitas permanens, qua velut naturaliter inclinantur, ut vim fere nullam sibi inferant ad implenda illa officia ac præcepta, vel ut timori aut respectui humano facile, frequenter et sine ulla fere resistentia cedant.

ARTICULUS II.

De notione recidivi.

217. — S. Alphonsus hic in textu (p. 173, § 3) recidivum generatim definiens, ait: « Est ille qui post confessionem in eadem peccata relapsus est ». Est, inquam, hæc definitio generalis de recidivo quocumque, sive ille in singula quædam peccata ejusdem speciei ex transeunte passione recidit, sive in eumdem habitum peccandi, huncque per confessionem aut serio retractatum aut non. Ast recidivus, de quo in hac nostra disputatione potissimum agitur, non hoc latissimo sensu accipitur, sed sensu pressiore, videlicet pro solo recidivo in habitum peccandi seu pro habituato recidivo. Hanc notionem S. Doctor hic infra et alibi sæpius declarat. Sit ergo ea quæ sequitur thesis:

Thesis 11ª.

Recidivus, sensu formali et pressiore de quo in hac disputatione agitur, recte definitur: peccator qui, jam semel a confessario monitus, eodem vel quasi eodem modo in eumdem habitum peccati est relapsus, nullo adhibito conatu et nullo impleto ex remediis a confessario præscriptis. Recidivus, cui aliqua ex hisce notis deest, dicitur recidivus materialiter tantum et sensu latiore, a. v. est solum recidivus in peccatum, non autem recidivus in habitum peccandi seu habituatus recidivus.

Declaratur Thesis

218. — Definitio hæc recidivi *formalis* presseque sumpti fere ad litteram est ex S. Alphonso; talis enim est, ut ait in textu infra (n. 459, § 6 et 7), « peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo..., quando jam in alia confessione fuit admonitus et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario præscriptis ». Thesim primo brevi exponemus; dein paucis vindicabimus.

Dicitur 1º: « in eumdem *habitum* ». Ita diserte S. Auctor textu proxime ante adducto. In *Praxi* hæc ait: « Recidivi sunt qui post confessionem eodem vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione » (n. 71); sed per illud « eodem modo » intelligit etiam in eumdem habitum, uti patet ex sententia proxime sequenti: « Nam *habitus* contractus et relapsus etc. ». Hoc expressius alibi dicit: « Recidivus est qui post confessionem relapsus est eodem vel quasi eodem modo in peccatum *habituatum* » (*Conf. Dir.* XV, 13); item: « Recidivi sunt illi qui post confessionem relapsi sunt in eumdem pravum *habitum* sine ulla emendatione » (*Selva.* II, Istr. 4, n. 17; item *Avvert.* n. VII). Hinc qui in eadem peccata sæpius recidit ex sola passione transeunte ac infirma voluntate, non vero ex habitu et voluntate naturaliter in malum inclinata, non est recidivus sensu formali, sed materiali tantum, a. v. ut habituatus non est recidivus.

Dicitur 2º: « in *eumdem* habitum ». Videlicet relapsus procedere debet ex eadem inclinatione permanente in eadem specie peccata: qui enim post confessionem in alium specie habitum cecidit, proprie recidivus dici nequit.

Dicitur 3º: « *jam semel a confessario monitus* ». Hæc quidem conditio ad notionem recidivi, qua talis, non pertinet; merito tamen hic additur, ubi consideratur recidivus relate ad absolutionem in sacramento Pœnitentiæ accipiendam. Si enim peccator in præcedenti confessione serio monitus non fuit, neque media emendationis ei fuerunt indicata, hujus relapsus non suæ solius, sed etiam confessarii culpæ adscribendus est; ac proinde relate ad absolutionem in eodem fere versatur statu ac ille qui prima vice habitum confitetur. Sufficit autem ut semel serio sit monitus, sive ab eodem sive ab alio confessario; qua de re vide infra n. 221.

Dicitur 4º: « *eodem vel quasi eodem modo* est relapsus ». Ita S. Doctor in *Praxi* et *Conf. Dir.* (supra 1º). Idem est quod « absque emendatione » (*Prax.* l. c.), « sine ulla emendatione » (*Selva.* l. c.); intellige: sine ulla *vera* et *seria* emendatione, saltem *inchoata.* Recidivus ergo stricto sensu non est, qui aliquantum se emendaverit,

modo hæc emendatio non sit dubia, sed notatu digna et vere inchoata. (Cfr. infra n. 362).

Dicitur 5º: « *nullo adhibito conatu* »; intellige iterum: *vel quasi nullo.* Idem est quod S. Alphonsus alibi dicit: « sine aliqua resistentia » (VI, 505), id est: sine aliqua *seria* resistentia, sine ullo *vero*, etsi non magno, conatu vel studio ad resistendum, uti diximus supra 4º. Idem est quod Lehmkuhl vocat: « sine vera pugna », « sine seria pugna » (II, 622). Unde juxta S. Alphonsum recidivus sensu stricto non est qui « ante casum aliquam saltem resistentiam præstiterit » (VI, 505).

Dicitur 6º: « *nullo impleto ex remediis a confessario præscriptis* »; quod eodem modo explicabis ac præcedentia 4º et 5º.

219. — Si itaque aliqua ex recensitis conditionibus deest, peccator non erit recidivus *formalis* et *sensu stricte sumpto*, sed recidivus *materialis sensuque latiore.* Hinc recidivus, stricto sensu, non est: 1) qui, licet frequenter lapsus sit, tamen non vi habitus, sed ex mera passione peccavit; 2) qui in præcedenti confessione non serio monitus fuit cum indicatione remediorum contra relapsum; 3) qui aliquomodo se vere, etsi non multum, emendavit; 4) qui non recidit, nisi post aliquam seriam resistentiam vel pugnam; 5) qui aliqua saltem remedia serio adhibuit [1].

220. — Hæc omnia requiri ad notionem recidivi formalis seu recidivi in habitum, patet ex eo quod jam postulantur ad notionem peccatoris simpliciter habituati, quemadmodum in superiore thesi 10ma juxta S. Thomam ostensum est; videlicet, ut quis « facile », « cito », « prompte », « statim », « frequenter » recidat, ex « levi concupiscentia », « sine gravi renisu rationis », ex voluntate « quasi naturaliter inclinata et ordinata in malum ut in finem suum ». Qui ergo post confessionem non eodem modo recidit, sed difficulter et post seriam pugnam vel studium emendationis, signum præbet, se sincera pœnitentia malam voluntatem retractasse ac pristinum suum habitum pro viribus abrupisse; nec proinde sensu proprio et formali, ut habituatus, recidivus dicendus est.

---

[1] Recte ita brevi Tanquerey: « Ut quis sit *formaliter recidivus* tres conditiones simul requiruntur: *a*) ut, postquam habitum pravum confessus sit, serio a confessore de gravitate culpæ et de mediis ad eam vitandam necessariis monitus fuerit; *b*) ut in eadem peccata, non autem in alia diversi generis, lapsus fuerit; *c*) ut, absque emendatione, eodem fere modo relapsus fuerit, eadem facilitate, statim aut brevi post confessionem, absque serio conatu sive ad repellendas tentationes, sive ad media emendationis adhibenda » (*De Pœn.*, n. 634). Recte quoque Ballerini recidivos *stricte dictos* ab aliis distinguens dicit, priores esse illos « qui diu in iisdem vitiis emarcuerint, nullo habitualiter adhibito ad sui emendationem conatu et qui animo libenti jacent in peccato ac peccati affectu; qui quidem plane distinguendi sunt ab aliis multis qui licet sæpius peccent, onus tamen peccati sentiunt, mox iis displicet quod egerint, tentationi pluries resistunt, licet misere rursus cadant: de quorum dispositione nihil dubitandum est » (*Opus. De Pœn.* n. 183). Haud recte tamen Ballerini hic et alibi passim censet, notionem recidivi de quo hic agitur, apud S. Alphonsum largiorem esse quam apud alios antiquos theologos. Vix enim unum antiquum theologum invenies qui adeo strictas veri recidivi requirat conditiones ac sanctus Doctor noster, uti supra ostensum est.

Discutitur alia notio recidivi

221. — Recentiores quidam theologi præfatæ recidivi definitioni aliam opponunt, quam mutuarunt ex Andreucci. Hic quippe auctor hæc ait: « Recidivus apud theologos morales . . . is est et dicitur: qui idem peccatum mortale pergit committere post propositam emendationem, postque plures peractas confessiones, eodem vel majore numero lapsuum ». Deinde concludit: « Quare tria requiruntur ad constituendum recidivum in hac acceptione theologica: 1º frequens relapsus post plures confessiones; 2º deinde relapsus in eadem specie peccata; 3º defectus omnis, etiam inchoatæ emendationis » (*Conf. recidivi*, n. 1).

Verum enim vero, hæc notio parum accurata valdeque imperfecta est. Nam

1º Nihil hic occurrit de frequenti lapsu *in habitum*, quod tamen, uti vidimus, ad essentiam hujusmodi recidivi de quo hic agitur pertinet.

2º Nihil etiam ibidem invenitur de neglecto *conatu* seu *studio* emendationis; quod pariter requiritur. Optime enim fieri potest, ut quis serium aliquod studium emendationis adhibuerit, et tamen propter majores tentationes aliasque circumstantias eumdem vel etiam majorem lapsuum numerum admiserit; quo casu iterum non est presso sensu recidivus.

3º Nec quicquam ibi dicitur de præmissa seria *confessarii monitione;* quae etiam conditio hic postulatur (n. 218, 3º).

4º Præcipue vero nobis cum S. Alphonso aliisque plane rejiciendum videtur quod in hac definitione et in primo requisito dicitur: « post *plures* confessiones ». Etenim circumstantia hæc, quod quis ter, quater aut pluries confessus sit habitum in quem recidit, nihil refert ad genuinam notionem recidivi. Qui *semel* confessus est habitum et post hanc confessionem eodem modo in eumdem recidit, neque ullum serium conatum se emendandi adhibuit, jam est *simpliciter* et *stricto sensu* recidivus; qui vero ter quaterve eumdem confessus est et toties eodem modo recidit, ter quaterve recidivus erit. Hic est sensus proprius et naturalis vocis « recidivi », tum apud populum, doctos indoctosque, tum in omni tribunali, sive civili sive ecclesiastico. Absonum ergo videtur aliam significationem huic voci affingere pro tribunali Pœnitentiæ. Dicamus ergo cum S. Alphonso et cum communi sensu: « Habituatus qui post *unam* confessionem recidit sine emendatione, jam est *verus recidivus* » (*Prax.* 71). — Constat ergo illam recidivi notionem esse multipliciter mancam et imperfectam.

Ceterum ipse etiam Andreucci, quando illud: « post plures

confessiones » explicat et probat, non loquitur de recidivo *presse sumpto* seu de recidivo in habitum. Ait enim: « Requiritur frequens relapsus post plures confessiones; nam si *unica* dumtaxat confessio præcesserit *unum* vel *alterum* relapsum, non proinde, communiter loquendo, sufficienter colligitur inefficacia præsentis doloris et propositi » (n. 2). Utique; sed qui post unam confessionem semel aut iterum tantum relapsus est, etiam juxta nos non est ille recidivus formalis et presse sumptus, de quo hic agitur; quia nondum in eumdem *habitum* recidit. — Pergit Andreucci: « Addas, nec inde præcise inferri, quod prior confessio fuerit invalida... saltem si *non statim* a confessione fuerit relapsus ». Quæ iterum verissime dicta sunt, sed clare ostendunt, hunc auctorem non loqui de recidivo in *habitum*, quia hic statim et data prima occasione ut antea relabi solet. Incassum igitur hic adducitur sententia Andreucci.

222. — Ad alios theologos antiquos quod attinet, multi certe nihil distinguunt inter relapsus post unam aut post plures confessiones; sic e. g. Segneri et Ludovicus Granatensis, quos Andreucci citat. Lugo (*De Pœn.* disp. 14, n. 166) quidem instituit quæstionem de illo qui « post *multas* confessiones » relabitur; sed hisce definitionem recidivi non tradit; neque significat, hunc solum esse verum recidivum. Atque idem dictum esto de Salmanticensibus aliisque. Ceterum, Lugo (*l. c.*) expresse supponit, recidivum sæpius quidem confessum, sed non serio « admonitum » fuisse; et præterea, ut notat etiam Gaudé (in textu n. 459, nota *i*), Lugo « ad judicandum de præsenti pœnitentis dispositione recurrit, ut S. Alphonsus, ad signa peculiaria doloris ». Verum quidem est, plures auctores admittere, etiam recidivum formalem seu in habitum peccati, etsi nullum speciale doloris signum præbeat, pluries absolvi posse; sed hæc est *alia* quæstio ac nostra quæ est de *notione* recidivi. « Notio recidivi, ut ad rem advertit Em^mus^ van Rossum, confundi non debet cum quæstione in qua differunt theologorum sententiæ, *quoties* scilicet recidivo redeunti sine emendatione dari possit absolutio, si sola signa ordinaria dispositionis affert » (*Comment. de jud. sacr.*, ed 2ª, p. 114). Cfr. infra thesis 15ª.

223. — Ex hisce etiam liquido apparet, immerito hanc definitionem Andreucci dici definitionem recidivi « acceptione *theologica* ». Nam multi theologi, aut de pluribus confessionibus non loquuntur, aut quæstionem instituunt de recidivo alterius generis, de illo scilicet qui nec statim nec adeo sæpe reciderit, vel qui conatum quemdam adhibuerit, aliave specialia doloris signa præbuerit. Ita ipse quoque Andreucci (*l. c.* n. 3. et supra n. 221). Est enim *duplex* quæstio theologica: altera de recidivo formali et presse sumpto, altera de recidivo materiali et lato sensu. Hanc ultimam præsertim tractant Andreucci multique antiquiores, disputantes contra sui temporis rigoristas, illisque plane assentitur S. Alphonsus. Unde perperam illa definitio, ab Andreucci tradita, vocatur de-

finitio recidivi « acceptione theologica », ac si de solo recidivo, sensu latiore sumpto, inter theologos controversetur. Magis adhuc a vero aberrant quidam recentiores et inaniter ad auctoritatem Andreucci aliorumque antiquorum provocant, quando ad notionem recidivi formalis, qui scilicet *eodem modo* in eumdem *habitum* relapsus est, postulant ut *pluries* eumdem habitum jam confessus fuerit.

Expositis notionibus habituati et recidivi, jam de utriusque generis peccatorum absolutione agendum est.

CAPUT II.

De absolutione peccatoris habituati.

Thesis 12ª.

Habituatus in peccato, etiamsi nulla emendatio præcesserit, jam prima vice absolvi potest, si ordinaria dispositionis signa præbet.

Ita S. Alphonsus in textu § 2, supra (p. 173) adducto.

Explicatur Thesis

224. — *Habituatus* hic intelligitur sensu proprio et presse sumpto, cujus indolem in thesi 10ª (p. 174) exposuimus. Ergo a fortiori jam prima vice absolvi poterit qui non ex habitu seu malitia, sed ex mera passione transeunte, etsi frequenter, in gravia peccata lapsus est. De hujus enim generis peccatoribus nulla specialis est difficultas, quum hi, ut S. Thomas docet (supra n. 203, 3º *nota*), facile peccatis doleant et cito ad bonum propositum redeant. Ceterum, quæ probationes pro hac thesi afferuntur, multo magis valent de iis qui ex sola passione labuntur. Advertendum autem est, diversos intensionis gradus dari in habitu: quo diutius enim habitus perduravit et quo plures eodem tempore actus produxit, eo magis radicatus vel etiam inveteratus erit. Porro in thesi habitus sumitur quocumque gradu, sive remisso sive intenso.

Dicitur: *absolvi potest*, videlicet a confessario, ut judex est. Quid confessarius, ut medicus, aliquando facere possit, videbimus infra (n. 235).

Deinde in thesi supponitur, hunc habituatum non esse implicatum aliqua occasione « in esse », puta concubinatus; tunc enim, ut thesi 5ª ostendimus, ob rationem specialem ordinarie ne prima quidem vice absolvi potest.

Signa ordinaria dispositionis sunt ipsa confessio vel assertio pœnitentis, se dolere et proponere. Cfr. infra n. 255 *b*).

225. — Thesis hæc statuitur contra complures theologos sæc. XVII et XVIII, qui nimio imbuti rigore docebant, magnos peccatores, et speciatim habituatos seu consuetudinarios, absolvendos non esse, nisi diuturna experientia, v. g. plurium mensium, per vitæ emendationem veram suam conversionem probaverint [1]. Hoc autem

[1] Cfr. infra apud S. Alph. VI, n. 459, § 5, et n. 463, § 3, cum notis Gaudé.

ostendere nitebantur, tum ex doctrina concilii Tridentini, tum ex praxi antiquæ Ecclesiæ. Ast immerito prorsus, ut videbimus. — Contra hanc doctrinam rigidiorem stat « sententia *communissima* » theologorum, quemadmodum S. Alphonsus in textu (§ 2, p. 173) post Lacroix dicit.

Antequam ad thesis probationem transeamus, opus est paulo fusius exponere doctrinam concilii Tridentini circa dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ requisitam; nam ex una parte rigoristæ hac doctrina graviter abutuntur; ex altera vero parte ad eam non semper satis attendunt quidam theologi remissiores.

Digressio

De doctrina concilii Tridentini circa dispositionem ad absolutionem requisitam.

226. — Doctrina hæc sequentibus capitibus Concilii continetur.

I. « *Contritio*, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus necessarius... Declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem, non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum* (*Ezech.* 18, 31)... Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat (S. Synodus)...: quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit » (*Sess.* 14, *cap.* 4).

II. *De differentia sacramenti Pœnitentiæ et Baptismi* Concilium docet: « Alius est Baptismi et alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit » (*Sess.* 14, *cap.* 2).

III. Circa *modum præparationis* ad justificationem eadem S. Synodus dicit, eam fieri, dum peccatores fidem concipiunt, timore utiliter concutiuntur, in spem eriguntur et Deum, « tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccatum per odium

aliquod et detestationem;... denique dum proponunt... inchoare novam vitam et servare divina mandata » (*Sess.* 6, *cap.* 6) [1].

IV. Denique *de lapsis et eorum reparatione* ait: « Docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri, non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali » (*Sess.* 6, *cap.* 14).

227. — Ad ulteriorem hujus doctrinæ explicationem pro re nostra sequentia notare juvabit.

1° Actus contritionis juxta concilium præcipue consistit in actu *odii et detestationis*, qui est actus displicentiæ et reprobationis, quo quis peccatum præteritum destructum ac deletum vellet [2]. « Displicentia autem, inquit S. Thomas, causat dolorem (scilicet tristitiam voluntatis), in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita » (III, qu. 84, a. 8). Quo sensu rite S. Alphonsus: « Detestatio est causa doloris; et dolor ideo est utilis, quia procedit a peccati detestatione, quæ principaliter est abolitio culpæ, cum sit velle non peccasse » (VI, 435). Est igitur vera immutatio voluntatis per sinceram aversionem a peccato et conversionem ad Deum, juxta illud: « Convertimini ad me in toto corde vestro » (*Joel.* 2, 12) [3].

Hæc autem contritio seu detestatio debet esse, non quidem intensive, sed tamen *appretiative* seu *æstimative summa*, ita ut pœnitens peccatum majus quovis alio malo in genere, intellectu æstimet et voluntate detestetur, sive hoc magna sive parva animi intentione seu conatu fiat. (Vide *Digress.* infra n. 236 sqq.). — Dico: *in genere;* quia neque necessarium neque prudens est, ut peccator de quodam summo malo physico *in particulari*, v. g. de dura martyrii morte subeunda, explicite cogitet: tale enim malum cum peccato comparando inutiliter se exponeret tentationi, quum mala sensibilia vehementius hominem commovere soleant; Deus autem non tenetur jam nunc dare gratiam specialem ad superanda gravia pericula, quæ quis sibi temere per phantasiam crearet [4].

---

[1] Licet hoc caput directe agat de præparatione ad Baptismum, tamen quæ ibi dicuntur etiam intelligenda sunt de dispositione ad sacramentum Pœnitentiæ. Cfr. Conc. Trid. *Proœm.* Sessionis 14.

[2] Cfr. S. Thomas, III, qu. 85, a. 1-3.

[3] « Offensa peccati mortalis, ait Doctor Angelicus, procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile; unde requiritur ad remissionem offensæ divinæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendæ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ » (III, qu. 86, a. 2).

[4] Ad rem S. Thomas: « Contritus tenetur *in generali* velle magis pati quamcumque pœnam quam peccare;... sed *in speciali* descendere ad hanc pœnam vel ad illam non tenetur. Quinimo stultum faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus pœnis » (*Quodl.* 1, a. 9). Cfr. etiam *Suppl.* qu. 3, a. 1, ad 4.

Præterea contritio hæc debet esse *vera;* neque enim sufficit contritio *putativa* seu *mere existimata*, etsi bona fide, uti post aliquot antiquiores censent Faure (*Dubit. theol.* IV, sect. IV) et Ballerini (*De Pœn.* n. 33-46). Nam nisi peccator secundum rei veritatem et intimo animo se a peccato avertat, vera ad Deum conversio haberi nequit. Deinde Tridentinum supra (*sess.* 14, *cap.* 4) docens: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius », postulans præterea « vitæ veteris odium », profecto de vero ac reali contritionis motu deque vero realique odio loquitur, et non de mere existimato, qui in falsa dumtaxat pœnitentis opinione existeret, sed juxta rei veritatem nullus esset. Unde contrariam sententiam merito Lehmkuhl (II, 384) dicit « falsam », et Palmieri (*Nota* in n. 46 Ballerini) « antiquatam ».

228. — 2º Sufficit autem contritio *imperfecta*, quæ etiam *attritio* vocatur, orta ex motivo inferiore, v. g. spei aut timoris pœnarum; quæ quidem sententia certa est et hodie communis, contra antiquos rigoristas [1].

Quodsi juxta Tridentinum (*sess.* 6, *cap.* 6; cfr. n. 226, III) requiritur etiam *initium dilectionis* seu illum animi motum quo peccatores Deum « tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt » [2], id certe intelligendum non est cum multis rigoristis de charitate perfecta, gradu quodam remisso, id est de hujus charitatis *actu perfecto* et *efficaci*, quo Deus, utut *remisse*, secundum seipsum diligitur et quo quis ex hoc motivo ejus offensam dolet et vitat; nam quilibet gradus hujus actus charitatis jam extra sacramentum justificat (S. Alph. VI, 440 sqq.). Optime autem explicari posse videtur de illa charitate imperfecta, quæ jam includitur in actu attritionis, qui a Tridentino (*l. c.*, et *sess.* 14, *cap.* 4) postulatur. Nam amor concupiscentiæ, qualis hic in ordine supernaturali justificationis intelligitur, pro proximo objecto et termino habet Dei amicitiam et pro ultimo ejus possessionem in cœlis, ac proinde licet initium et motivum formale sumat a timore et spe, psychologica tamen necessitate *incipientem amorem benevolentiæ*, i. e. hujus *actum imperfectum* et *inefficacem*, seu *inchoatum* quemdam affectum benevolum erga Deum in se spectatum, conjunctum habet. Vigilanter idcirco Tridentinum dixit, quod peccatores Deum « tamquam omnis justitiæ fontem (id est tamquam justificationis omnium auctorem) *diligere incipiunt* », quo inchoatus tantum et imperfectus actus dilectionis seu amoris benevolentiæ indicatur; non autem additum voluit: « per *actum* charitatis », quo potius significaretur hujus cha-

---

[1] Cfr. S. Alph. VI, 440. — Jam S. Thomas docet: « Quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur » (IV, dist. 22, qu. 2, a. 1).

[2] Communius et probabilius auctores hunc locum interpretantur de amore initiali, ut est conditio necessaria in ipsa receptione sacramenti sive Baptismi sive Pœnitentiæ.

ritatis actus perfectus, completus et efficax (ap. S. Alph. VI, 442, Obj. 3º) [1].

Ceterum sedulo notandum est, objectum attritionis seu detestationis debere esse peccatum *ut est offensa Dei*, eo scilicet sensu ut pœnitens doleat se offendisse Deum justum et peccati vindicem; non autem ejus objectum est peccatum, prout meram pœnam importat, ita ut dispositus esset peccatum committere si infernus aliæve pœnæ non essent. Licet ergo *motivum* attritionis possit esse peccati pœna, ejus *objectum* debet esse culpa seu offensa Dei, ita ut offensa Deo illata sit *terminus* actus doloris. (Cfr. n. 242). Ad hoc S. Alphonsus attentos vult confessarios dicens: « Advertendum hic est, non fieri actum contritionis, si quis diceret, se pœnitere peccati commissi quia meruit infernum, sed opus habet ut dicat, *se pœnitere offendisse Deum, propterea quod meruit infernum* » (*Praxis.* n. 10).

229. — 3º Ex hujusmodi actu contritionis, sive perfectæ sive imperfectæ, sponte profluit « *propositum* non peccandi de cætero » seu « inchoandi novam vitam ». Quod propositum *firmum* esse debet atque adeo, ut ait S. Alphonsus, « importat ut pœnitens habeat voluntatem omnino deliberatam non recidendi; et sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine, peccatum in posterum admittere velit » (VI, 451). Debet etiam esse *efficax*, « id est, ut S. Doctor loquitur, aptum efficere quod proponitur; et ideo oportet quod pœnitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi; ut communiter docent doctores » (*l. c.*).

Advertas autem Tridentinum, quando aliquoties (*sess.* 14, *cap.* 4; *sess.* 6, *cap.* 14) ut dispositionem requirit « *cessationem a peccatis* », intelligere cessationem illam quæ jam in ipso actu detestationis et propositi includitur, a. v. cessationem *actualem* seu *præsentem;* nullo autem modo postulat cessationem *futuram*, ita ut pœnitens re ipsa in posterum non amplius peccet. Falso igitur rigoristæ ex hisce Concilii verbis inferre volunt, peccatorem non esse dispositum ad absolutionem recipiendam, nisi confessario experientia constet, ipsum se jam aliquomodo emendasse et a peccando cessasse. Ad rem S. Thomas: « Pœnitere est anteacta peccata de-

---

[1] Explicatio tradita conformis videtur sententiæ S. Alphonsi qui hæc habet: « Non negamus ad justificationem requiri initium amoris... Sed qualis, quæso, amor a concilio requiritur? Numquid *charitas perfecta ?* vel an tantum *initium charitatis ?*... Hoc *initium amoris*... jam habetur in *attritione* quam supra descripsimus... Qui amat Deum tamquam sibi *summum* bonum, et excludit omnem voluntatem peccandi, tunc elicit actum bonum supernaturalem; et licet non habeat *charitatem perfectam*, illam tamen non excludit, *eamque jam incipit habere*, et aliquo modo ad Deum se convertit » (VI, 442, Obj. 3º). Ergo S. Doctor intelligit *initium charitatis perfectæ* seu amoris benevolentiæ; hoc autem initium non est hujus charitatis gradus remissus, sed ejusdem actus inchoatus, imperfectus, inefficax; et hoc tantum sensu illa charitas imperfecta vocatur. — Cfr. etiam Lehmkuhl (II, 391); Prümmer (III, 345); item S. Thomas (I-II, qu. 40, a. 7; II-II, qu. 17, a. 8).

flere et flendo non committere, *scilicet simul dum flet*, vel actu vel proposito... Quod autem aliquis postea peccat, vel actu vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit » (III, qu. 84, a. 10, ad 4). Unde merito S. Alphonsus post Lugonem: « Dispositio sufficiens est dolor et propositum *præsens*, non emendatio futura; atque ita pœnitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurus » (VI, 459, infra § 10). Illa igitur futura emendatio seu cessatio a peccatis non est conditio necessaria sacramenti recipiendi, sed sæpenumero erit effectus sacramenti recepti, qui scilicet paulatim ex frequenti hujus sacramenti usu sequitur.

Ex hisce etiam consequitur, affectum ad peccatum, quem excludere debet peccator ut absolutionem accipiat, esse affectum *actualem*. Nam Tridentinum requirit tantum actualem peccati detestationem; minime vero postulat, ut habitus peccandi seu illa permanens inclinatio ad peccandum jam cessaverit: non enim habitus contritionis, sed ejus actus est quasi materia confessionis. Proinde optime fieri potest, ut quis actu affectum ad peccatum non habeat, et tamen habitualiter talem affectum adhuc experiatur et vi illius in peccatum recidat: potest enim, uti cum S. Thoma vidimus (n. 196), habituatus, etiam permanente habitu, actum habitui contrarium elicere, etsi difficulter. Requiritur tamen, ut actu proponat hunc habitum aptis mediis serio oppugnare [1].

4º Denique, quando Concilium supra (*sess.* 14, *cap.* 2) cum sanctis Patribus Pœnitentiam vocat « *laboriosum Baptismum* », qui « magnos fletus et labores » postulat, loquitur de satisfactione, quæ fit *post* acceptam per absolutionem sacerdotis peccatorum remissionem; qua quidem satisfactione, si vere laboriosa et plena est, peccator restituitur in illam « novitatem et integritatem », quam antea per Baptismum consecutus fuerat. Hoc clare patet ex contextu hujus capitis et ex collatione cum capite 14 sessionis 6. Unde immerito plures theologi, imprimis rigoristæ, adducunt hunc locum, ut probent, talem satisfactionem ad culpæ remissionem in sacramento Pœnitentiæ recipiendam requiri.

Probatur Thesis

230. — Ut confessarius, tamquam judex, peccatori absolutionem concedere possit, non requiritur certitudo stricte dicta de ejus dispositione, sed sufficit certitudo probabilis, seu talis probabilitas quæ, licet prudentem quamdam formidinem admittat, tamen verum

---

[1] Hinc vides quo peccet hoc argumentum Juenini: « Maxime dubium est, an ii qui lethaliter peccarunt ex consuetudine, nec operibus emendationem probarunt, habeant affectum ad peccatum mortale, imo moraliter certum est illum affectum in eis reperiri » (*Instit. de Pœn.* cap. 5, a. 1). Si hoc de affectu habituali intelligitur, transeat; si de affectu actuali, falsum est de illo peccatore qui actum veræ contritionis elicuit.

strictumque dubium excludat, et idcirco certitudo moralis late dicta seu opinativa vocetur.

Atqui peccator habituatus prima vice talem probabilem et late sumptam certitudinem præbet, si ordinaria dispositionis signa affert. — Ergo.

Major ulterius explicabitur et probabitur in thesi 19ª.

Minor probatur cum S. Alphonso argumento *præsumptionis.* Et sane; verum quidem est, statum hujusmodi peccatoris habituati esse valde miserum, uti thesi 10ª juxta S. Thomam vidimus. Oportet enim, ut peccatum, quod hactenus ut finem suum æstimaverat, cui voluntate habituali addictus erat et cujus sollicitationi prompte et sine ulla quasi pugna consentire jam diu solitus erat, sincero animo ut Dei offensam super omnia detestetur et odio habeat, atque firmiter proponat se illud nullam ob rationem iterum commissurum, novam vitam inchoaturum, aptaque media adhibiturum esse ad illius consuetudinem exstirpandam. Attamen, ut idem S. Thomas docet (supra n. 196), habitualis ille status non impedit, quominus hic peccator actum contrarium ponat. Potest nimirum voluntas, sub influxu gratiæ divinæ quæ volenti et petenti non deerit, rationem movere, ut ea consideret quæ ad detestandum hoc peccatum inducunt, puta veritates æternas, peccati pœnas et turpitudinem, ingratum animum erga Deum etc., atque ita actum displicentiæ elicere, quo vellet non peccasse; ex quo actu sponte enascitur firmum propositum inchoandæ novæ vitæ. Talis autem *actus* sufficit ad absolutionem sacramentalem; quia tunc jam habetur actualis voluntatis immutatio, id est vera aversio a peccato et conversio ad Deum, etsi habitualis illa inclinatio ad peccatum nondum cessaverit, vel etiam possit esse causa cur hæc conversio voluntatis non constans sit et stabilis. (Cfr. supra n. 229).

Jamvero, si pœnitens prima vice peccata sua ex habitu commissa confitetur, asseritque se peccatis dolere et proponere emendationem, merito *præsumi* debet, eum reapse gratia Dei præventum et per supernaturalia illa motiva perductum fuisse, talemque actum contrarium displicentiæ seu detestationis et firmi propositi sincere elicuisse, etsi nulla adhuc seria emendatio præcesserit. — Etenim confessio est per se signum a Deo ordinatum quo talis contritio manifestetur. Nisi ergo quid obstet, signum hoc pro re significata accipiendum est. Valet hic axioma: « Nemo malus nisi probetur »; quod præcipue obtinet in sacramento Pœnitentiæ, ubi pœnitens est simul reus et testis; cui igitur, si suæ voluntatis mutationem testetur, *per se* credendum est, nisi ex aliis adjunctis aliter concludendum foret. Brevi S. Alphonsus hoc argumentum ita effert in textu: « Talis pœnitens ex una parte non est præsumendus malus, ita ut velit indispositus ad sacramentum accedere; ex alia, bene præsumitur dispositus, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi

obstat aliqua præsumptio in contrarium; omnes enim conveniunt quod dolor per confessionem manifestatur » (§ 2, supra p. 173).

231. — Quod talis pœnitens hactenus nihil aut fere nihil fecerit ad se emendandum, aliquam quidem prudentem formidinem vel suspicionem defectus dispositionis ingerere potest; sed *in his adjunctis*, scilicet in accessu ad sacramentum Pœnitentiæ, « non dat præsumptionem suæ infirmæ voluntatis », ut ait S. Alphonsus (*l. c.*), neque etiam positivum dubium. Hæc enim conversio seu immutatio voluntatis etiam brevi tempore per gratiam Dei fieri potest. Jamvero, si nihil aliunde obstat, supponendum est, hujusmodi peccatorem ad sacrum tribunal accessisse, non ex mero usu aut consideratione humana, sed ex gratia Dei et ex motivo supernaturali ac desiderio reconciliandi se cum Deo; supponendum pariter est, eum confessionem illam multorum et gravium peccatorum animo sincero peregisse, adeoque innatam suam superbiam et verecundiam per actum veræ humilitatis haud parum superasse; supponendum denique est, primam illam admonitionem qua confessarius ipsum magis etiam disponere conatur, propria sua efficacia haud destitui. Hæc omnia autem *gravem* sane præbent *præsumptionem*, talem peccatorem brevi tempore gratiam veræ conversionis obtinuisse; quæ præsumptio, quum *prima* vice accedat, nulla alia præsumptione contraria eliditur. Talis autem præsumptio vocatur certitudo probabilis seu late dicta. — Merito igitur S. Leonardus a P. M. docet, habituatum, magnis etiam multisque peccatis irretitum, statim absolvi posse, « si hujusmodi peccator numquam ab aliquo confessario de malo suo statu correctus aut admonitus fuit, nunc vero, efficaci admonitione illuminatus, ex corde emendationem promittit et perlibenter qualemcumque accipit pœnitentiam sive præservativam sive satisfactoriam, firmumque se emendandi propositum ostendit » (*Disc.* n. 10).

232. — Accedit argumentum ex *funestis consequentiis* sententiæ contrariæ. Si enim absolutio magnis peccatoribus, imprimis habituatis, dari non posset, nisi prius *experientia* suam probassent emendationem, ut pertendunt rigoristæ, sequeretur ut multi, iique præsertim qui hoc sacramento maxime opus haberent, conversionis difficultate perterriti, ad illud non accederent, sed in desperationem aut indifferentiam religiosam inciderent, ac proinde in majora semper ruerent peccata et haud raro etiam a fide disciscerent. Quod quidem tristi Jansenismi et rigorismi historia comprobatum est.

S. Alphonsus doctrinam suam confirmat auctoritate Catechismi Romani; de quo textu vide infra n. 422. [1].

---

[1] Huc etiam ab aliquibus referri solet Instructio S. C. de Propaganda Fide 3 Oct. 1736 (cfr. infra n. 433). Atvero ibi proprie de *habituatis* non agitur, sed contra illos rigidissimos auctores qui « promiscue » et « passim » differebant absolutionem illis qui « *cujusque peccati mortalis* » rei erant.

Objectiones refutantur

233. — Objectiones rigoristarum, ex doctrina *concilii Tridentini* petitas, jam supra (n. 228, 229) diluimus.

Circa *prop.* 60 *ab Innocentio XI* proscriptam, quæ etiam objicitur, vide infra n. 276.

Fundamentum *theologico-historicum* rigorismi, videlicet praxis quam juxta adversarios antiqua Ecclesia ex institutione Christi secuta esset, jam eversum est per proscriptionem variarum propositionum. Sic e. gr. Alexander VIII, 7 dec. 1690, hanc damnavit propositionem 16: « Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei ad ipsum quodammodo incitante » [1]. — De antiqua Ecclesiæ praxi circa absolutionem sacramentalem et pœnitentiam publicam, vide infra n. 434. Quidquid historice de publica pœnitentia dicitur, certum est, hanc non esse ex institutione Christi, neque ad ipsam sacramenti essentiam pertinere. Unde pia mater Ecclesia ob justas rationes hac in re paulatim mitiorem praxim inducere potuit.

Ad *Sanctos Patres* quod attinet, quorum multi textus opponuntur, vide infra n. 290, 343.

234. — Opponitur etiam *doctrina S. Thomæ* dicentis: « Deus ad hoc quod gratiam infundat animæ, non requirit aliquam dispositionem, nisi quam ipse facit. Facit autem hujusmodi dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiæ quandoque quidem subito, quandoque autem paulatim et successive, ut supra dictum est » (I-II, qu. 113, a. 7). Supra autem (qu. 112, a. 2, ad 2) ut exemplum subitaneæ conversionis adduxerat S. Paulum. Jamvero, dicunt rigoristæ, habituatus, qui nullam hactenus emendationem ostendit, ordinarie non subito, ut S. Paulus, sed paulatim et successive talem dispositionem a Deo accipit. Ergo prima vice absolvendus non est.

Resp. Hujusmodi habituatus, etiamsi hactenus nullatenus se emendavit, jam plures a Deo dispositiones accepit. Habet enim virtutem fidei et spei; habet motus timoris Dei, quibus impulsus ordinarie ad sacramentum accedit; item gratiam actualem seu inspirationem supernaturalem ut se Deo reconciliet. Atque ita paulatim jam a Deo præparatus et dispositus est ad conversionem, etiamsi adhuc peccare pergat. Nam omnes illæ virtutes et gratiæ motus consistere possunt, non solum cum habitu peccandi, sed etiam cum peccato actuali. Ultima denique dispositio est actus contritionis, sive ante confessionem, sive in ipsa confessione per Dei gratiam elicitus, quo detestatur peccatum. Hisce ergo ita succes-

---

[1] Cfr. etiam hæ propositiones proscriptæ: prop. 5 contra errores Petri de Osma a Sixto IV, 9 Aug. 1478; prop. 87 et 88 a Clemente XI, 8 Sept. 1713; prop. 35 et 36 a Pio VI, 28 Aug. 1794.

sive positis, tandem per absolutionem sacramentalem subito ille pœnitens justificatur. (Cfr. I-II, qu. 113, a. 7, ad I).

Quoad confutationem rigorismi vide etiam thes. 16ª (n. 341-348) et thes. 20ª (n. 431-434).

Quæstio

De officio medici circa simpliciter habituatos.

235. — Quæritur, num confessarius, etiam ut *medicus*, habituatis semper prima vice absolutionem conferre debeat?

Agitur hic de dilatione absolutionis, ut remedio contra relapsum, pro pœnitente quem confessarius ut judex hic et nunc sufficienter dispositum haberet. Utrum autem hoc remedio utendum sit necne, pendet ex variis adjunctis, quæ confessarius pro sua prudentia pensare debet. Generatim quidem, si peccata illa habitualia non proveniunt ex aliqua occasione externa, sed ex solo vitio interno, uti v. g. in pollutionibus, blasphemiis etc., valet hic doctrina S. Auctoris circa recidivos in habitum, scilicet: « in tali pœnitente magis sperandum profuturum fore gratiam sacramenti quam dilationem absolutionis » (in textu VI, 463, § 7). Certe nociva esset dilatio, si pœnitens exinde animum desponderet, aut a frequenti confessione averteretur, aut apud alium confessarium peccata forte reticeret; qua de re plura vide infra (n. 459, 1º; 471). Si nullus malus exitus timetur, dilatio ad breve tempus etiam prima vice prodesse poterit in hisce casibus:

1º Primum meminit S. Alphonsus in *Praxi:* «Si habitus, inquit, esset *valde radicatus*, potest etiam confessarius ei differre absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans pœnitens in praxim deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem » (n. 70). Fac tamen advertas, apud illos qui sacramenta frequentare solent, puta singulis aut saltem alternis mensibus, habitum « valde radicatum » prima vice confitendum, raro occurrere, quia notabile tempus ad talem habitum formandum deest (cfr. n. 213). Apud illos qui raro, v. g. semel tantum aut bis in anno, confitentur, alia sæpe erit ratio cur absolutio differenda non sit, ne scilicet nimis a confitendo absterreantur; quare tunc melius erit ab hisce obtinere, ut brevi ad eumdem confessarium redeant.

2º Si agitur de juvene qui habitum, v. g. pollutionis, contrahere *incipit*, ut ita salutari timore percellatur et firmius emendationis propositum concipiat. Hunc specialiter casum memorat Lugo, quando utilitatem dilationis pro pœnitente disposito probat « communi sententia, cui, inquit, adstipulatur experientia multorum pœnitentium debilium qui hoc remedio adhibito brevi tempore solent

curari, et *pro pueris potissimum* videtur magis necessarium, qui hoc modo melius concipiunt necessitatem perseverantiæ in proposito non peccandi » (*De Pœnit.* Disp. 14, n. 171).

3° Idem, eamdemque ob rationem, dictum esto, si quis adultus, alioquin praxi religionis addictus, prima vice habitum *valde periculosum* confitetur, puta onanismi matrimonialis; tunc enim jam ab initio mediis quam efficacissimis uti proderit, ne secus sero medicina paretur.

4° Potiore etiam ratione hoc remedium utile, vel etiam necessarium erit, si agitur de habitu *admodum scandaloso*, v. g. insignis blasphemi, turpiloqui, aut corruptoris, cum periculo damni communis.

Digressio

De contritione appretiative summa.

236. — Theologi quidem fere omnes admittunt, contritionem etiam imperfectam seu attritionem, ut sacramentum Pœnitentiæ *fructuose* recipiatur, debere esse *appretiative* seu *æstimative summam*, ita scilicet ut pœnitens peccatum supra omnia mala, saltem in genere spectata, detestetur, et ut omnem voluntatem iterum peccandi plane excludat. (Cfr. supra n. 227). Atvero plures antiquiores ad *valorem* sacramenti aliquem inferiorem attritionis gradum sufficere censent, ita scilicet ut pœnitens doleat quidem de peccatis commissis, sed tamen, sistendo in aliquo inferiore doloris gradu, *affectum* quemdam ad peccatum adhuc habeat, neque in genere aut implicite illud ut *summum* malum æstimet et detestetur, neque *omnem* voluntatem peccandi pro omnibus circumstantiis occurrentibus excludat. Sacramentum igitur ita bona fide susceptum esset *validum* quidem, sed *informe*. Quapropter si postea pœnitens actum contritionis aut attritionis appretiative summæ eliciat, sacramentum revivisceret et formam suam ultimam, id est gratiam seu fructum, operaretur. Sententiam hanc, inde a tribus sæculis in scholis fere derelictam, « nostro tempore resuscitavit Billot (*De Pœn.* thes. 16):... neque tamen feliciter id actum esse censeo »; ita Lehmkuhl (II, 401); cujus judicio, pace Emin.mi viri, subscribimus. Egregium Billot aliqui recentes theologi sequuntur.

237. — Defensores illius sententiæ maxime nituntur *auctoritate S. Thomæ* (*Suppl.* qu. 9, a. 1); ast immerito, ut nobis quidem videtur. Fatemur ingenue etiam alios theologos plerosque, licet præfatæ sententiæ contradicant, hunc locum intellexisse de *sacramento* valido, sed informi; ast hi quoque, ut nostra fert opinio, falsi sunt. Unde paulo prolixius de hujus loci interpretatione agendum nobis est.

Re sane vera. S. Doctor loco adducto quærit: « *Utrum confessio possit esse informis?* » Atvero hic per vocem *confessionis* non intelligit, ut plerique supponunt, sacramentum Pœnitentiæ, quatenus etiam actum contritionis ut partem essentialem complectitur, sed solam alteram sacramenti partem quæ consistit in *accusatione* peccatorum, quæ accusatio passim etiam « confessio » vocatur. Sæpe enim contingit, ut pœnitentes bona fide accedant ad sacramentum, peccata sua rite accusent, sed quasi inscii verum dolorem cum firmo proposito non habeant. Talis confessio, id est accusatio, est vere *sacramentalis* seu pars sacramenti; proinde hæc pars non est repetenda, sed *reviviscit*, si pœnitens postea fictionem suam, id est absentiam veræ contritionis, confitetur et absolutionem recipit. Aliis verbis: *totum* sacramentum Pœnitentiæ erit invalidum, quia deest una pars essentialis, scilicet contritio; *altera pars*, quæ est confessio seu accusatio, de qua sola hic agit S. Thomas, erit *valida* et vere sacramentalis, adeoque non reiteranda: sed *informis* manet, donec accedant vera contritio, confessio hujus fictionis et nova absolutio sacerdotis. Hæc explicatio nobis videtur omnino clarere ex contextu et ex tota Doctoris Angelici doctrina. Quod ita probatur.

238. — 1º S. Thomas in *contextu hujus articuli* agit de *sola* confessione seu *accusatione*, non autem de sacramento, quatenus etiam contritionem ad ejus valorem necessariam includit; id cuique legenti patebit [1].

a) Ait enim: « Confessio dividitur contra contritionem et satisfactionem » (*obj.* 2º); item in *resp.* ad 2ᵐ. Ergo excludit contritionem. — *b*) Supponit talem pœnitentem « qui adhuc manet in affectu peccati », qui « corde peccatum tenet » (*obj.* 3º); ergo illum qui non habet contritionem. Unde in *resp.* ad 3ᵐ dicit, eum qui narrando peccata sincere loquitur satisfacere « quantum ad substantiam confessionis » i. e. accusationis, utpote quæ valida est pars sacramenti, etiamsi ejus « finis » seu fructus, qui est charitas, non obtinetur, quia scilicet adhuc « *corde peccatum tenet* » seu contritus non est. — *c*) Deinde *Sed contra* agit iterum de sola accusatione peccatorum, ut cuique legenti obvium est; hancque vere sacramentalem esse posse, etsi fructum charitatis non operetur, probat hoc argumento: nemo certo scit se charitatem habere; quisque autem certo scire potest se sacramentaliter confessum esse; ergo accusatio vere sacramentalis et valida esse potest, etiamsi non producat charitatem. — *d*) In *corpore* articuli primo expresse loquitur de sola confessione seu accusatione peccatorum, « secundum quod est *pars* sacramenti » et « ordinat confitentem ad sacerdotem qui per *confessionem* (i. e. accusationem) conscientiam confitentis *cognoscit* ».

---

[1] Ad rectam eorum quæ sequuntur intelligentiam benevolum lectorem rogare voluerim, ut ipsum articulum S. Thomæ (*Suppl.* qu. 9, art. 1) adeat et perlegat.

Deinde statim subjungens: « et secundum hoc *confessio* potest esse etiam in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua confiteri sacerdoti », necessario etiam hic per vocem « confessionis » intelligit solam accusationem peccatorum; quod ceterum etiam patet ex addito: « qui non est contritus ». Ergo supponit primam partem essentialem seu contritionem plane deesse. Quapropter in fine *corporis* concludit: « Unde non tenetur iterare confessionem (i. e. accusationem) qui fictus (i. e. non contritus) accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri », scilicet quod sine contritione accessit, ut novam absolutionem accipiat.

Difficultatem quamdam facere possunt alia quæ in eodem contextu habentur; ast quum hactenus probata sint plane certa, quæ opponuntur nostro judicio sic commode explicantur. Quando S. Doctor ait: « Quamvis tunc (scil. in prima accusatione) non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet », intelligit: post confessionem hujus fictionis et per novam ejusdem sacerdotis absolutionem. Etenim, si pœnitens hunc fructum seu gratiam jam ante novam absolutionem percepisset, scilicet ubi primum actum contritionis appretiative summæ elicuit — uti adversarii volunt —, S. Doctor in fine non dixisset: « *tenetur* postmodum fictionem suam confiteri ». Supponitur enim ab adversariis, ad hoc ut validum sit sacramentum, talem actum contritionis superioris in prima confessione *bona fide* adeoque *sine peccato* a pœnitente fuisse omissum; sed tunc confessio hujus fictionis seu inculpabilis omissionis necessaria non esset. Sola ergo ratio, cur hanc fictionem seu absentiam contritionis appretiative summæ confiteri debeat, est quia nova absolutio necessaria est ut fructum percipiat. — Neque etiam obstat quod addit: « Et sic etiam est in aliis sacramentis »; supponit enim: pro natura cujusque sacramenti. Nam in Pœnitentia actus contritionis juxta S. Doctorem non tantum est dispositio, sicut e. g. in Baptismo, sed est etiam pars materiæ. Absentia igitur hujus contritionis est fictio essentialis et invalidum reddit sacramentum. Quapropter sola altera pars, quæ est confessio seu accusatio bona fide facta, utpote « ordinata ad sacerdotem qui claves habet », valida est et, recedente fictione per actum contritionis, reviviscere potest, « sicut in aliis sacramentis ».

Adversarii pertendunt, S. Thomam in hoc articulo supponere, adesse in casu inferiorem quemdam gradum contritionis (scil. infra contritionem appretiative summam); qui gradus ad essentiam seu valorem sacramenti sufficeret. Sed hæc assertio est mere gratuita, et ne verbulo quidem S. Doctor hoc insinuat; quinimo contextus, ut vidimus, talem partem essentialem, scilicet contritionem, expresse excludit (« non est contritus »); ergo etiam illum gradum inferiorem, quem adversarii ut essentialem ad valorem agnoscunt.

239. — 2º Præterea, quod Angelicus Doctor hoc loco (qu. 9, a. 1) agat de *sola confessione* seu *accusatione* informi deque ejus reviviscentia, non autem de *toto* sacramento valide sed infructuose recepto, luculenter etiam patet ex eo quod in *tota hac parte* Supplementi (a qu. 6 usque ad qu. 11) vocem « confessionis » semper accipit pro sola accusatione. Postquam enim a qu. 1 usque ad qu. 5 locu-

tus fuerat de primo actu sacramenti seu contritione, inde a qu. 6 agere incipit de *altero* actu seu parte, quæ est *accusatio* peccatorum, et ita descendit ad qu. 9, quæ inscribitur: « De qualitate confessionis » seu accusationis. Circa hanc in 1º art. quærit: « Utrum confessio possit esse informis? » Ergo etiam in hoc articulo utens voce « confessionis », S. Doctor manifeste loquitur de sola confessione, ut est accusatio, non autem de confessione, ut est sacramentum, complectens etiam omnia alia essentialia ad hujus valorem. Contextus igitur totius hujus partis luculenter ostendit, S. Doctorem etiam hoc articulo per confessionem validam intelligere solam accusationem validam, non autem totum sacramentum validum, uti supponunt adversarii [1].

Brevi, quod S. Thomas in hoc articulo docet redit ad id quod cum communi sententia tradit S. Alphonsus, videlicet necesse non esse repetere confessionem seu accusationem, in qua defuit dispositio seu contritio, si confessarius recordetur status pœnitentis, « quia, inquit S. Alphonsus, *talis confessio*, cum facta fuerit *in ordine ad absolutionem* recipiendam (adverte idem prorsus esse quod S. Thomas h. l. ait: quia « ordinat confitentem ad sacerdotem qui habet claves Ecclesiæ ») sufficienter dicitur *sacramentalis*, quatenus etiam ad sigillum sacramentale obstringit (VI, 502, Dub. 1º) [2].

240. — 3º Alibi S. Thomas disertis verbis dicit, *effectum seu fructum* sacramenti Pœnitentiæ, scil. remissionem peccatorum, *semper* sequi, quando hoc *valide* suscipitur, a. v. idem requiri ad ejus valorem quod ad ejus fructum. Etenim in *Suppl.* qu. 29 a. 8 agens de sacramento Extremæ Unctionis dicit: « Hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui *semper* ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti etiam rite peractis: sicut character in baptismo et confirmatione, et transsubstantiatio in Eucharistia, et *remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ*, non autem de essentia hujus sacramenti (scil. Extr. Unctionis) ». Clare ergo hic S. Doctor docet, ubi primum adest illa contritio quæ ad essentiam seu valorem sacramenti Pœnitentiæ requiritur, adesse etiam ejus effectum seu fructum, quæ est « remissio peccati ». Consequitur ergo necessario, S. Thomam non admittere illum gradum inferiorem contritionis, qui quidem ad valorem, non autem ad fructum hujus sacramenti sufficeret. Contra quia, ut ipsi adversarii

---

[1] Quinimo S. Thomas, quando agit de hoc sacramento, passim id vocat « sacramentum Pœnitentiæ », non autem « confessionem » vel « sacramentum confessionis ». Posteri tantum theologi, imitantes modum loquendi populi, per vocem « confessionis » sæpe etiam intelligunt totum sacramentum; atque ita quoque in interpretatione hujus articuli falsi sunt.

[2] Quodsi pœnitens absolutionem ab *alio* sacerdote accipere vult, confessio seu accusatio utique iteranda est, non quia prior accusatio in se invalida fuit, sed quia hic sacerdos sententiam judicialem proferre nequit in causa quam ignorat. Sed hunc casum hic non supponit S. Thomas.

concedunt, ad fructum hujus sacramenti contritio appretiative summa postulatur, etiam illa contritio, quæ ad essentiam seu valorem requiritur, iuxta S. Thomam appretiative summa esse debet. — Hæc nostra conclusio adeo vera est, ut Billuart (*De Pœn.* diss. 7, a. 1) censeat, S. Doctorem in qu. 29, a. 8 sententiam, in qu. 9, a. 1 traditam, retractasse. Sed est hæc gratuita suppositio, quæ unice nititur falsa explicatione posterioris loci, ut supra (n. 238 sq.) vidimus; imo valde improbabile est, S. Thomam in eodem libro, ex quo desumptum est « Supplementum », scilicet in IV, dist. 17, qu. 3, a. 4 et in IV, dist. 23, qu. 1, a. 4, adeo contraria docere.

Immerito igitur adversarii invocant auctoritatem Doctoris Angelici ad probandum sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum sed informe, eo quod ad ejus valorem sufficiat inferior quidem gradus attritionis, qui non esset dolor super omnia mala seu appretiative summus. — Quinimo, ut ex hoc postremo loco (qu. 29, a. 8) patet, S. Thomas huic sententiæ prorsus refragatur. Atque hoc *primum* est nostrum argumentum.

241. — *Alterum* argumentum contra præfatam sententiam est quod hæc *parum conformis* videtur *concilio Tridentino*, quippe quod idem requirat ad Sacramenti valorem ac ad ejus fructum, et ne ullo quidem verbo significat, aliam contritionem sufficere ad valorem, aliam requiri ad fructum. Jamvero, si ad fructum sacramenti percipiendum requiritur dolor appretiative summus, ut concedunt adversarii, idem etiam ad ejus valorem necessarius erit. — Præterea, contritio, quam concilium postulat ut partem et quasi materiam sacramenti, adeoque ad ejus valorem, ita ab eodem definitur: « Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero » (*sess.* 14, *cap.* 4; supra n. 226, I). Atqui verum dolorem veramque peccati detestationem non habet ille, « qui, ut D. Thomas dicit, adhuc manet in affectu peccati » et « corde peccatum tenet » (*Suppl.* qu. 9, a. 1), a. v. qui illud non absolute et simpliciter super omnia mala detestatur. (Cfr. infra n. 242). Neque etiam verum propositum non peccandi de cetero habet, si peccatum non pro omnibus circumstantiis occurrentibus omittere velit, si non omnem voluntatem peccandi excludat. Tale enim propositum non esset vere firmum neque absolutum, nam, ut ait S. Alphonsus: « Propositum firmum importat ut pœnitens... sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit » (VI, 451, 1°). Sane, filius qui injuriosa sua agendi ratione graviter offendit patrem ab eoque veniam peteret, non haberet verum dolorem firmumque propositum non amplius eum offendendi, si non omnem voluntatem ipsum in posterum ita offendendi excluderet, si talem offensam non pro omnibus circumstantiis forte occurrentibus vitare vellet. Merito igitur Suarez ait, adversariorum

sententiæ « videntur repugnare concilium Florentinum et Tridentinum, quæ indistincte unum et eumdem dolorem constituunt ut partem sacramenti et ut dispositionem ad effectum ejus » (*De Pœn.* diss. 20, sect. 5).

242. — *Dices :* Navigator habet verum affectum ad merces et propositum efficax illas servandi, licet non in omnibus circumstantiis futuris; quia in periculo vitæ eas projicit in mare; ergo ille affectus non est super omnia. Jamvero, « sicut verus erat affectus prædictus, ita verus esse potest dolor de peccato, quamvis nondum detestans peccatum super omne temporale incommodum sive damnum; et sicut verum erat propositum in navigatore, ita verum potest esse propositum in pœnitente, etsi nondum efficaciter se extendat ad omnem casum occurrentiæ peccati cum malo temporali, adeoque nondum excludat omnem peccandi voluntatem ». Ita Emin.mus Billot (*De Pœn.*, thes. 14, Coroll.).

Resp. Concedo antecedens; sed *nego* consequentiam: claudicat enim comparatio. Et sane; ille navigator habet affectum ad merces et dolet de iis amissis, sed ut sunt *merum malum proprium ;* et quia hæc sunt bona temporalia et finita sive majora sive minora, varius quoque gradus doloris circa eorum amissionem haberi potest. Peccator autem, qui in sacramento Pœnitentiæ vera attritione Deo reconciliari vult, debet de peccato dolere illudque detestari, non tamquam merum malum proprium idque finitum, sed etiam tamquam malum seu offensam Dei, etsi non propter se et super omnia dilecti, ita scilicet ut *motivum* quidem doloris possit esse bonum proprium seu evitatio mali proprii, sed *terminus* sit Deus quem offendit; a. v. debet dolere quod Deum offendit qui est bonum suum. (Cfr. supra, n. 228). Jamvero, statim ac pœnitens vere detestatur peccatum ut est offensa Dei, idest cum respectu et in ordine ad Deum offensum tamquam doloris terminum, implicite saltem illud considerat et æstimat prout est in se seu ut summum malum, habetque propositum illud vitandi præ omnibus aliis malis et in omnibus circumstantiis futuris. Inferior ille gradus doloris quem supponunt adversarii, sistit in malo proprio, ut in termino seu objecto, quemadmodum ille navigator, et non ascendit nec terminatur ad dolorem de peccato qua tali, ut est Deo offensivum, sed affectu « adhæret » adhuc peccato, « corde tenet peccatum » ut S. Thomas (*Suppl.* qu. 9, a. 1) loquitur; ac proinde peccatum, secundum quod peccatum seu offensa Dei est, non vere et sincere detestatur et aversatur. Ex hisce etiam consequitur, talem dolorem non esse gradum inferiorem in eadem specie, sed dolorem specie diversum a dolore appretiative summo. Nam formaliter differt odisse peccatum, ut est mere malum proprium varioque gradu finitum, et odisse peccatum, ut est malum infinitum et in omnibus circumstantiis summe odibile; formaliter quoque differt excludere omnem voluntatem peccandi, et excludere hanc voluntatem pro hisce dumtaxat circumstantiis. Merito igitur iterum Suarez ait: « Illud principium, quod hæc opinio supponit, videlicet minorem dolorem de peccatis confessis sufficere in re ipsa ad valorem sacramenti quam ad fructum ejus, falsum est » (*l. c.*).

Advertas tamen — quod jam supra (n. 227) diximus — ad talem dolorem æstimative summum non requiri comparationem peccati cum aliis malis *in particulari ;* sufficit *in genere* et quasi in confuso ac implicite

dolere de peccato, ut de malo supra omne malum odibili, seu de malo ad cujus essentiam pertinet esse summum malum.

243. — *Objic.* « Oportet sacramentalem materiam esse sensibilem, et ideo quidquid ex sese non est natum transire in exteriorem sui manifestationem, hoc ipso extra rationem materiæ esse ostenditur ». Atqui actus exterior pœnitentiæ præscindit a gradu illo appretiative summo doloris; id est attritio, quatenus est appretiative summa, per actum externum seu per processum juridicum, quæ est confessio seu accusatio, nullo modo externe manifestatur et sensibilis redditur. Ergo attritio, quatenus est appretiative summa, pertinere nequit ad materiam. Ita Billot (*l. c.*, thes. 16).

Resp. Dist. *majorem:* materia, in casu actus attritionis, debet esse sensibilis et externe manifestata, *quoad actus substantiam*, concedo; quoad *omnes ejus conditiones seu qualitates essentiales*, nego: quoad has conditiones seu qualitates sufficit, ut confessarius satis cognoscat, eas adesse in actus substantia, quæ est confessio dolorosa. Unde nego *minorem*, scilicet conditionem seu proprietatem essentialem, in casu gradum appretiative summum, qua talem, debere externe manifestari. — Sane dolor, prout est appretiative summus, non magis sensibilis reddi debet quam prout est supernaturalis. Jamvero opus non est ut hæc supernaturalitas, quæ juxta omnes est qualitas essentialis veræ attritionis (cfr. prop. 57, Innoc. XI), directe sensibus percipiatur: sufficit ut in substantia actus seu in confessione dolorosa includatur. Eodem modo non requiritur, ut altera conditio essentialis hujus attritionis, quod nimirum est appretiative summa, per se et directe seu qua talis sit sensibilis. Si enim confessio cognoscitur vere dolorosa, quod ex verbis vel signis pœnitentis patet, jure meritoque hæ duæ qualitates essentiales præsumuntur adesse, etiamsi pœnitens expresse non significet vel externe manifestet, suum dolorem esse supernaturalem et appretiative summum. Confessarius igitur facile habebit illam cognitionem juridicam in casu requisitam, certitudinem scilicet late dictam et præsumptivam, quando pœnitens quacumque ratione, verbis vel signis, sincere profitetur, se dolere quod Deum offenderit, seque proponere peccatum numquam amplius perpetraturum. — Ceterum, egregius adversarius certitudinem ad dandam absolutionem requisitam nimis exaggerat; qua de re vide infra thesim 19^{am}.

244. — Adde tandem, ut *tertium* argumentum, sententiam adversariorum nimis facilem præbere ansam *laxiori sacramenti Pœnitentiæ administrationi*. Minor quippe ratio requiritur ad ministrandum sacramentum infructuosum quam invalidum. Certe confessarius qui hanc sequitur sententiam facilius quam qui oppositam tenet conferet absolutionem peccatori, qui hic et nunc non est satis dispositus ad fructum gratiæ recipiendum: censet enim sacramentum

valide esse receptum, et reviviscere gratiamque producere, si peccator postea actum doloris appretiative summi eliciat. Id etiam Lehmkuhl advertit dicens: « Doctrina quæ talem contritionem existimatam pro sufficienti habet ad valorem, ansam dare potest laxioris sacramenti pœnitentiæ administrationis, scil. ad absolutionem levius et indiscriminatim dandam, ad homines in peccatis suis retinendos, utpote qui, si in accessu ad confessionem ad verum et efficacem dolorem de peccatis non moveantur, postea etiam difficilius eum concipiant, atque ita in statu peccati permanentes tabescant » (II, 401). Quinimo, sententia adversariorum, exaggerando difficultatem habendi sensibilem illum dolorem appretiative summum, exaggerando etiam certitudinem requisitam ad dispositionem ut pœnitens absolvi possit, *eo ipso* inducit confessarios ad facilius et sæpe absolvendum peccatorem qui minime est dispositus ad fructum sacramenti recipiendum; secus enim, uti pertendunt, pauci tantum peccatores absolvi possent, quia de paucis tantum constat eos talem dispositionem afferre. Ast sunt hæ, ut diximus, exaggerationes; re enim vera plurimi, etiam ex recidivis, ostendunt illum dolorem appretiative summum, præcipue si, uti oportet (cfr. thes. 17ª), a sedulo confessario ferventi exhortatione adjuvantur. Unde dicere cum adversariis, *paucos* tantum peccatores per absolutionem sacramentalem *statim* consequi sacramenti fructum seu gratiam, gravis et periculosa nobis exaggeratio videtur, quæ rigoristis sæc. XVII et XVIII relinquenda foret.

245. — Quod spectat ad *auctoritatem antiquorum* qui ab adversariis pro opposita sententia afferuntur, notandum est, eos ut plurimum scripsisse ante concilium Tridentinum [1]. Per hoc vero concilium et per posteriores theologorum disputationes hæc materia de contritione et attritione, antea adeo intricata, multum dilucidata, illustrata et evoluta fuit. Unde longe præferenda est auctoritas horum qui inde a tribus sæculis quasi communi consensu censent, ad sacramenti Pœnitentiæ valorem eamdem requiri attritionem ac ad ejus effectum. Cfr. Suarez (disp. 20, sect. 5); Lugo (disp. 14; n. 70 sq.). — Ceterum, multorum auctorum error ex eo ortus videtur quod falso opinati sunt, S. Thomam in celebri illo loco (*Suppl.* qu. 9, a. 1) per verbum « confessionis » intelligere totum sacramentum Pœnitentiæ, quum S. Doctor aperte solam alteram ejus partem, quæ est peccatorum accusatio, significet, ut initio hujus digressionis vi-

[1] Advertas fac, ex longo catalogo auctorum ab Em.mo Billot prolato permultos docere dumtaxat, sacramentum Pœnitentiæ aliquando posse esse validum sed informe — quod et nos cum S. Alphonso admittimus (cfr. h. l. *nota*) —; sed hi nequaquam negant, attritionem ad valorem sacramenti requisitam debere esse appretiative summam. Unde, nedum adversariis faveant, ipsis refragantur.

dimus. Ità e. g. Cajetanus (*Opusc. de confess.* qu. 5). — Ex hac falsa hujus loci intelligentia etiam postea tanta inter auctores de hac quæstione orta est sententiarum diversitas, ut alter alterum confutantes eorum hac de re auctoritas valde imminuatur et jure allegari nequeat.

Merito igitur S. Alphonsus cum Busenbaum aliisque auctoribus post sæc. XVI quasi communiter de dolore ad essentiam Sacramenti requisito nihil hæsitans dicit: « Dolor debet esse summus appretiative, ita ut nihil magis detesteris quam peccatum, malisque omnia mala hujus mundi perpeti quam mortaliter contra Deum peccare » (VI, 433, 7°) [1].

[1] Alia est quæstio, num sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, sed informe ex defectu attritionis, non quidem modo intensivo, sed *extensivo*, ita ut attritio appretiative summa ex motivo dumtaxat *particulari* concepta, non se extendat ad omnia peccata mortalia. Qua de re videsis S. Alph. (VI, 444); Suarez (*l. c.*); Lugo (*l. c.* n. 74 sqq.); Gonet (*Clypeus. De Pœn.* disp. 10, a. 1-3); Lehmkuhl (II, 402).

CAPUT III.

De absolutione recidivorum.

TEXTUS S. ALPHONSI
(n. 459, § 4-12)

§ 4. — « Hic dubitatur *an possit absolvi* (*recidivus*). — Adsunt « tres sententiæ:

« *Prima*, quam tenent Silvester [a]), Henriquez [a]), Tanner [a]), « Sanctius [a]), etc., apud Salmant. [1], dicit hunc absolvendum esse « toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia judicetur in- « dispositus; alias semper dispositus est censendus, utque talis jus « habet ad absolutionem. — Sed hæc sententia falsa est, ut infra « dicemus ».

§ 5. — « *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent Mer- « besius [2], Juenin [3] et Genettus [4], dicit numquam peccatorem ha-

[1] Tr. 17, de Voto et Juram., cap. 2, n. 169. — [2] De Pœnit., qu. 48, cas. 5, reg. 2 et 3. — [3] Instit., de Pœnit., qu. 6, cap. 5, art. 1, concl.; et v. *Quæres* 3. — [4] De Pœnit., cap. 7, qu. 15.

NOTÆ CRITICÆ EX EDITIONE GAUDÉ. — [a]) Salmanticenses auctores istos allegant pro sententia quæ docet *n.* 167, semper dandam esse absolutionem ei « qui sæpius admonitus, in eodem semper statu permaneret, nihil ex parte sua curæ apponendo, ut ad meliorem frugem redeat ». — At vero Silvester, *v.* Confessor III, *qu.* 12, scribit tantum, absolvendum esse pœnitentem etsi confessarius prævidet eum « non expleturum... quod promisit ». Sed hæc subdit: « Cautius tamen esset, quando facultas adest, inducere eum prius ad satisfactionem: quod tamen si commode non potest, sufficit si satisfacere disponat quam primum poterit ». — Henriquez autem, *lib.* 4, *cap.* 24, *num.* 4: « Consuetudo, inquit, qua sæpius absolutus relabitur in mollitiem, cujus occasio expelli non potest, non cogit negare, sed aliquando differre absolutionem ut firmiori proposito melius disponatur ad gratiam; propter fragiles enim et male habentes curandos septuagies septies... instituta est medicina Pœnitentiæ ». — Tanner, *tom.* 4, *disp.* 6, *qu.* 9, *dub.* 5, *n.* 113, dicit confessarium teneri absolvere eum quem potest licite et valide absolvere; sed *n.* 114, addit: utiliter et licite nonnumquam differri absolutionem illi qui licite posset absolvi; et « exemplum est in eo qui in peculiari quidem aliqua peccandi occasione non hæret, simulque propositum emendationis et satisfactionis præ se fert, sed tamen in pœnitentiis ad peccati emendationem injunctis negligens, parum se emendat in consueto crimine ». — Quod attinet ad Joannem Sanctium, ipse, *Select. disp.* 9, *n.* 12, negat posse absolutionem denegari disposito, « quantumcumque peccandi consuetudini dedito », nisi de ipsius consensu; et *n.* 13, reprobat eos qui differendam esse ajunt absolutionem ei qui consuetudinem jurandi habet, si ter aut sæpius admonitus, nihil curæ adhibuerit ad depellendam pravam consuetudinem.

« bituatum censendum esse dispositum ad absolutionem, nisi diu « conversionem suam per emendationem probaverit [b]). Et idem sentit « Pater Concina; quamvis alibi [1] sic in praxi temperet suam doctri- « nam, dicens: *Et ut errandi periculum declines, si vides bina vel trina « absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emen- « datio peccatoris securior omnibus regulis est norma, vel impertiendi, « vel denegandi absolutionem* ».

§ 6. — « *Tertia* sententia communis, quam sequimur, et te- « nent Sanchez [c]), Palaus [c]), Bonacina [c]), Lugo [2], Petrocorensis [d]) « Sporer [3], Azor [e]), Viva [e]), Laymann [4], Holzmann [5], Anacletus [f]), « Pater Milante [g]), Wigandt [6], et Salmant. [7] cum Suarez [h]), Sayro [h]), « Hurtado [h]) Prado [h]), Rodriguez, Lopez, etc., docet quod peccator

[1] Lib. 2, diss. 3, cap. 10, num. 24. — [2] Disp. 14, n. 166. — [3] Part. 3, cap. 2, n. 330 et seqq. — [4] Lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10. — [5] De Pœnit., n. 589. — [6] Tr. 13, num. 98, v. *Nota tamen.* — [7] Tr. 17, cap. 2, n. 168 et 170. - *Rodrig.*, Sum., part. 1, cap. 191, num. 11 et 13. - *Ludov. Lopez*, Instruct. consc., part. 1, cap. 25, v. *Secundo dicimus* et seqq.

---

[b]) Hæc dicunt de consuetudinario Merbesius et Juenin; hinc a fortiori idem sentiunt de recidivo formali, ut ipse Merbesius innuit. — Concina autem, *lib.* 2, *diss.* 3, *cap.* 7, § 4, huic sententiæ videtur adhærere quatenus rejicit primam, et dicit recidivos esse absolvendos si vera emendationis signa exhibeant. Cfr. etiam *cap.* 10, *n.* 13, 16 *et* 19, ubi de simplici consuetudinario tractat.

[c]) Sanchez, *Decal.*, *lib.* 2, *cap.* 32. *n.* 45, adducit quidem opinionem istam; quid vero ipse sentiat inferius exponit, dicens absolvendum esse statim, si aliquid curæ adhibuit ad evellendam pravam consuetudinem; si vero nil curæ apposuit, posse nihilominus absolvi si vere doleat et firmiter emendam proponat; pendereque a confessoris prudentia an sit consilium differre absolutionem. Cfr. etiam *lib.* 3, *cap.* 5, *n.* 18. — Et Sanchezii sententiam Palaus amplectitur, *tr.* 14, *disp.* 1, *punct.* 9, *n.* 6, sicut et fere etiam Bonacina, *disp.* 4, *de* 2° *Præc.*, *qu.* 1, *punct.* 13, *n.* 7.

[d]) Petrocorensis hanc tertiam sententiam satis insinuat, dicendo, *de Pœnit.*, *cap.* 7, *qu.* 9, *resp.* 2, v. *Iis autem*, negandam esse absolutionem illis prave habituatis, « in quibus post aliquas confessiones, nullum emendationis vestigium apparet ».

[e]) Azor pariter, *part.* 1. *lib.* 11, *cap.* 3, *qu.* 4, differendam esse ait absolutionem, si nihil in ea re studii et operæ posuerit. Cfr. etiam *lib.* 9, *cap.* 28, *qu.* 18. — Viva, *de præc. Decal.*, *qu.* 7, *art.* 7, *n.* 4 : « Si numquam propositum servet, inquit, non est deinde [saltem post quartam vicem] absolvendus ».

[f]) Anacletus, *tr.* 14, *dist.* 8, *n.* 51, dicit differendam esse absolutionem, si longo jam tempore admonitus, nihil omnino profecerit.

[g]) Milante, *exercit.* 35, *sup. propos.* 60 Innoc. XI, severior S. Alphonso videtur, dum hæc dicit etiam de consuetudinario, qui prima vice ad confessarium accedit, si nempe consuetudo longo jam tempore duraverit.

[h]) Salmant. loquuntur de consuetudinario recidivo in peccatis perjurii vel blasphemiæ. Præterea citant Suarez, *de Relig.*, *tr.* 5, *lib.* 3, *cap.* 8, *i. f.*; Sayrum, *Clav.*, *lib.* 5, *cap.* 5, *n.* 8 ; Thomam Hurtadum, *tr.* 1, *cap.* 6, *resol.* 21, *a n.* 206, tamquam patrocinantes sententiæ quæ docet posse absolvi istiusmodi recidivum etiam pluries admonitum. — Prado autem, *cap.* 32, *qu.* 8, *n.* 22 *et seqq.*, differendam absolutionem ait, si bis vel ter admonitus noluerit a prava consue-

« recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi: « nisi afferat extraordinaria signa suæ dispositionis ».

§ 7. — « *Prima pars* est contra primam sententiam dicentem « quod recidivi debent absolvi semper ac ad sacramentum accedunt. « Et probatur ex prop. 60, damnata ab Innocentio XI, quæ dicebat: « *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, na-* « *turæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est* « *neganda nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere et* « *proponere emendationem.* — Ratio est, quia, ut confessarius possit « pœnitentem absolvere, debet esse moraliter certus de ejus dispo- « sitione. Unde, quamvis peccator prima vice confitens censendus « sit dispositus, eo quod (ut diximus) nulla ei obstat præsumptio in « contrarium; tamen, quando jam in alia confessione ipse fuit admo- « nitus et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto « ex mediis a confessario præscriptis, frequens ille relapsus signum « præbet vel saltem prudentem dat suspicionem quod sua pœni- « tentia non sit vera. Qui enim firme proponit (bene ait Lugo [1]) « rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi oblivi- « scitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut « rarius cadit. — Hinc S. Isidorus [2] sic ait: *Ille pœnitentiam digne* « *agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat.* « Et S. Augustinus (apud eumdem Isidorum) sic optime scripsit: « *Qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit.* Ideo « S. Carolus Borromæus [3] bene docuit: *Proroganda est absolutio* « *eis qui a multis annis in eisdem peccatis perseverarunt, nec ut emen-* « *darentur laborarunt* ».

§ 8. — « Et hoc ait Lugo [4] accidere posse etiam in confessione « *venialium* in quibus pœnitens sit habituatus. — Nam, licet com- « muniter dicant DD. quod facilius absolvi possint qui in eadem re- « cidunt venialia, quia ipsorum occasiones sunt frequentiores, quas « evitandi non adest obligatio tam stricta; tamen merito dicit El- « bel [5], sæpe timendum esse ne sint nullæ et sacrilegæ confessiones

[1] Disp. 14, num. 160. — [2] Sententiar. lib. 2, cap. 13, n. 7; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 83, col. 615. - *S. August.*, Sermo de disciplina christiana, cap. 10, num. 11; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 40, col. 675. — [3] Instruct. Confess., v. *Si differisca anco.* — [4] Loc. cit. — [5] Confer. 4, de Proposito, num. 112 et 113.

---

tudine desistere, nisi tamen scandalum adsit, « aut aliqua causa, ob quam statim debeat a peccatis absolvi ».

« illorum qui propositum de prædictis venialibus vitandis nimis ge-
« neraliter concipiunt. Unde bene advertit cum Sporer [1] quod hujus-
« modi pœnitentes, potius quam se vexent ut omnia sua venialia
« exacte confiteantur, attendant ad illa clavibus subjicienda de
« quibus noverint verum habere dolorem et propositum ».

§ 9. — « Dicunt vero Sanchez [i]), Laymann [2], Lugo [i]), Palaus [i]),
« Viva [3], Sporer [4], cum aliis, quod, his non obstantibus, bene po-
« terit absolvi recidivus usque ad tertiam vel quartam vicem, etiamsi
« eodem modo relapsus fuerit et nullum adhibuerit remedium. — Ve-
« neror tantorum doctorum auctoritatem: sed ego eorum opinioni
« numquam acquiescere potui. Etenim cum pœnitens jam fuerit in
« alia confessione admonitus, et eodem modo reinciderit, nullumque
« ad se emendandum conatum adhibuerit; eadem suspicio utique
« recurrit, qua fit ut confessarius non possit habere de ejus disposi-
« tione moralem certitudinem sufficientem respective ad hoc sacra-
« mentum (ut infra explicabitur *n.* 461) ».

§ 10. — « *Secunda* vero *pars* est contra secundam sententiam:
« quæ cum intolerabili rigore dicit numquam absolvi posse consue-
« tudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius emen-
« datione. — Ratio nostræ sententiæ est, quia relapsus, tametsi
« præbeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum
« indispositionis; bene enim contingere potest quod pœnitens vere
« habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi
« habitus sit relapsus, ut advertit S. Anselmus [5], dicens quod con-
« suetudinarii, *pravo usu irretiti... nolentes in eadem vitia dejiciuntur.*
« Unde, quoties pœnitens affert signa extraordinaria doloris, per ea
« tollitur suspicio illa de indispositione; et tunc confessarius pru-
« denter judicare poterit suum pœnitentem satis esse dispositum.
« Unde recte ait Pater Milante (in prop. 60 damnatam ab Inno-
« centio XI, supra relatam), quod ibi *non excluditur absolute con-*

[1] Part. 3, cap. 2, num. 339. — [2] Lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10. — [3] De præc. Decal., qu. 7, art. 7, n. 4, l. f. — [4] Loc. cit., n. 332. — [5] Id est *Eadmer*, Opusc. de Similitudinibus S. Anselmi, cap. 190; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 159, col. 701. - *Milante*, exercit. 35, v. *Et hic ponderanda.*

---

i) Sanchez, *Decal.*, *lib.* 3, *cap.* 5, *n.* 18; et Palaus, *tr.* 14, *disp.* 1, *punct.* 9, *n.* 6, dicunt posse absolvi, etsi « sæpe » jam admonitus sit. — Lugo autem, *n.* 166, quamvis dicat posse absolvi « post multas confessiones » si judicatur vere dolere; attamen ad judicandum de præsenti pœnitentis dispositione, recurrit, ut S. Alphonsus, ad signa peculiaria doloris.

« *suetudinarius utcumque talis, sed qui nullam dat emendationis spem.* « *Igitur... consuetudinarius qui dat aliquam emendationis spem, modo* « *solida et fundata hæc sit..., potest absolvi.* — Tot autem auctoritates « SS. Patrum quas adducunt adversarii, nihil aliud probant quam « magnam illam difficultatem quæ adest in exstirpando pravo ha- « bitu; sed bene docet Lugo [1] cum Suarez, Sanchez, Reginaldo [j]), « Henriquez [j]) et aliis communiter, quod *dispositio sufficiens est* « *dolor et propositum præsens, non emendatio futura; atque ita* (pœ- « nitens) *poterit absolvi, licet judicetur relapsurus* ».

§ 11. — « Nec verum ut quod sola temporis probatio unicum « sit signum mutatæ voluntatis. Nam voluntatis mutatio pendet a « divina gratia, quæ tempore non indiget, sed in instanti operatur; « et ideo non solum per experimentum temporis, sed etiam per alia « quidem signa patefieri potest. — Immo, aliquando alia signa præ- « sentis dispositionis multo melius manifestant mutationem volun- « tatis quam experientia temporis. Nam signa illa directe indicant « dispositionem pœnitentis; experientia vero, tantum indirecte; « adeo ut non raro evenire possit quod aliquis etiam a longo tempore « se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat (ut ait D. Gre- « gorius), et nihilominus non sit rite dispositus ».

§ 12. — « Propterea, quoties pœnitens affert vera signa doloris « et propositi, toties bene absolvi poterit; ut clare colligitur ex can. « *Septies* 23, *de pœn. disp.* 3, ubi D. Hieronymus sic inquit: *Septies* « *cadit justus... Si cadit, quomodo justus? Si justus, quomodo cadit? Sed* « *justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* « *Et non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si conver-* « *tatur ad pœnitentiam, peccata donantur.* Et D. Joan. Chrysostomus [2] « scripsit: *Temporis moram non quæro, sed animæ correctionem; hoc* « *itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius immutati,* « *et res tota confecta est.* — Hinc auctor libri Romæ editi, cui titulus: « *Istruz. per li novelli confessori* [3], sic inquit: *Se la ricaduta nasce dalla*

[1] Disp. 14, n. 166. - *Suar.*, de Relig., tr. 5, lib. 3, cap. 8, i. f. - *Sanch.*, Decal., lib. 3, cap. 5, n. 18. - *D. Gregor.*, homil. 13 in Evangel., n. 2; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 76, col. 1124. - *S. Hieron.* epist. 123, ad Rusticum, de pœnit., n. 3; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 22, col. 1044. — [2] Homil. 14, in epist. 2 ad Cor., n. 3; Migne, Patrol. græco-lat., tom. 61, col. 502. — [3] *Giordanini*, part. 1, cap. 15, n. 356.

---

j) Reginaldus, *lib.* 18, *n.* 87; Henriquez, *lib.* 4, *cap.* 24, *n.* 4, hæc dicta non habent; et profecto Lugo plura asserta simul congerit, et auctores allegat indiscriminatim.

« *propria fragilità, senz'altra causa estrinseca volontaria, è quasi te-* « *merità il dire che ogni ricaduto sia indisposto* [k]). Ac ideo [1] dicit quod « peccator relapsus propter mali habitus vim statim absolvendus « est, si firmam habeat voluntatem adhibendi media ad se emen- « dandum; additque: *E giudichiamo che il fare altrimenti sia troppo* « *rigore; e che il confessore, facendolo, s'allontanerebbe dal vero spirito* « *della Chiesa... e del Signore... e dalla natura del sagramento, il quale* « *non solamente è giudizio, ma medicina... salutare* [l]) ».

Exponitur status quæstionis

246. — Quandoquidem permulti Christiani post semel acceptam in sacramento Pœnitentiæ culparum veniam non in singula dumtaxat peccata, sed etiam in habitum peccandi iterum atque iterum recidant, quæstio oritur magni momenti, quænam circa illos debeat esse confessarii agendi ratio in concedenda absolutione seu in peccatis remittendis aut retinendis. Qua de re, quum non una sit omnium sententia, in hoc capite fusius nobis agendum est.

Ante omnia *status quæstionis* pressius definiendus est. — Nequaquam inter Catholicos controvertitur, utrum necne confessarius, ut judex est, potestatem habeat absolvendi peccatorem recidivum, qui cum vero dolore et firmo proposito ad hoc sacramentum accedit. Est enim hoc fidei dogma contra antiquos Novatianos definitum. Deus enim infinite misericors est et paratus etiam millies condonare peccatori qui, ut filius prodigus, contrito animo ad Patrem cælestem redit. Ergo etiam sacerdos, Dei in hoc judicio minister, hujusmodi peccatorem recidivum absolvere potest, quoties eum vere dispositum esse judicat. Atque ita sensu accommodato a multis de remittendis a confessario peccatis adhibentur illa verba Christi ad Petrum, quæ sensu proprio de condonandis a quovis Christiano offensis a proximo acceptis dicta sunt: « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies » (*Matth.* 18, 22), i. e. semper. Hinc Tridentinum ait, Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, « ut per sacerdotum

[1] Part. 1, cap. 9, n. 213.

---

[k]) Id est: « Si relapsus oriatur ex propria fragilitate sine alia causa extrinseca et voluntaria, quasi temerarium est dicere omnem recidivum esse indispositum ».

[l]) *Latine:* « Et judicamus alium agendi modum nimie rigorosum esse; et confessarium sic agentem a vero spiritu tum Ecclesiæ tum Domini recedere, necnon a natura hujus sacramenti, quod non solum est judicium, sed et medicina salutaris ».

sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari » (*sess.* 14, *cap.* 2). Ex hac veritate dogmatica consequitur, ut relapsus per se, seu quatenus relapsus est, numquam possit esse ratio denegandi beneficium absolutionis. Neque enim alia dispositio requiritur pro recidivo, alia pro simplici peccatore; pro utroque sufficit vera voluntatis conversio ad Deum, sufficit eadem contritio seu attritio supernaturalis et æstimative summa, etiam gradu remisso, cum proposito firmo et efficaci, non peccandi de cetero. (Cfr. supra n. 227).

247. — Verum enim vero, confessarius, quum cor peccatoris intueri nequeat, non nisi ex *signis externis* de vera et interna ejus dispositione judicare potest. Unde theologi unanimo consensu hæc externa doloris signa postulant, ut prudens de dispositione judicium ferri et absolutio concedi possit. Quapropter etiam Rituale Romanum absolutionis « incapaces » esse docet eos « qui nulla dant signa doloris » (Tit. 3, cap. 1, n. 23).

Neque etiam controversia est, num absolvi possit peccator recidivus qui *vera* hujusmodi dispositionis *signa* præbeat, talia scilicet ex quibus prudenter ad veram conversionem concludi possit. Nam tales absolvi posse, affirmant theologi tantum non omnes. Hinc S. Alphonsus supra in textu (p. 220, § 12): « Quoties pœnitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit ». Et in *Praxi:* « Semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari peccatorem mutasse voluntatem, bene absolvi potest » (n. 75).

248. — *Cardo quæstionis* igitur est, *quænam* sint illa *vera signa externa*, ex quibus confessarius prudenter judicare possit, vere dispositum esse pœnitentem qui, antea jam serio admonitus, in eumdem pravum habitum est relapsus. Videlicet signa illa respicere possunt tum præteritam tum præsentem pœnitentis conditionem. *Præteritam*, inquam, quatenus confessarius ex agendi ratione pœnitentis post ultimam confessionem cum solido fundamento concludere possit, ipsum etiam in hac confessione esse rite dispositum; *præsentem* autem, quatenus hic et nunc aut modo *ordinario* et communi, aut modo aliquo *speciali*, extraordinario et non communi veram suam contritionem voluntatisque mutationem patefaciat.

Hinc *triplex* potissimum existit sententia circa absolutionem recidivorum in habitum peccandi. Alii dicunt, *semper* sufficere signa *præsentia ordinaria*, quidquid sit de præterita agendi ratione pœnitentis: hæc ubi adsunt, toties quoties hic absolvi potest. Alii volunt, signa præsentia neque ordinaria neque specialia sufficere, sed requiri signa desumpta ex vita *præterita*, id est vitæ emendationem per aliquod tempus. Alii denique ajunt, sufficere et requiri signa quædam *specialia*, eaque aut *præterita*, aut *præsentia*. Itaque

249. — I. *Prima sententia* docet, peccatorem etiam *formaliter recidivum*, qui scilicet, jam serio a confessario admonitus, statim post confessionem in eumdem habitum est relapsus, nullo ad se emendandum adhibito studio, nulloque impleto medio ex iis quæ erant præscripta, *toties quoties* absolvi posse, modo hic et nunc non ficte, sed sincere asserat, se vere dolere firmiterque proponere. Nequaquam igitur hujus sententiæ defensores sustinent, recidivum absolvi posse, etiamsi sciret se non esse vere contritum — nemo enim catholicorum talem absurditatem umquam protulit (cfr. Trident. *sess.* 14, *cap.* 4, supra n. 226, I); neque etiam censent, nulla requiri doloris signa; sed ajunt, confessarium in formando judicio de recidivi dispositione præsenti nihil attendere debere ad specialia signa præterita aut præsentia, semper autem sufficere signa præsentia, eaque *communia* et *ordinaria*, quæ in simplici peccatore non recidivo requiruntur, qualia sunt ipsa confessio et affirmatio ipsius pœnitentis, se dolere et proponere (cfr. n. 255). Practice res ita generatim continget: confessarius, sive ante sive saltem post ferventem exhortationem, pœnitentem interrogat, num vere peccatis doleat firmiterque proponat; cui pœnitens dat simplex, sed sincerum responsum affirmativum. Huic affirmationi confessario, ut judex est, semper credendum esse pertendunt. Alia signa peculiaria aut extraordinaria utilia quidem esse concedunt, ea vero necessaria esse ut prudens fiat judicium, omnino negant, etiamsi pœnitens sexcenties in eumdem habitum sine ulla emendatione, imo sine ullo serio emendationis conatu, relapsus fuerit. Innituntur autem, velut unico fundamento, huic axiomati, præ ceteris sibi sacro: *Pœnitenti credendum est tum pro se tum contra se loquenti*. Talis itaque recidivus, etiam formalis, juxta illos auctores « semper dispositus est censendus », ac proinde absolvi potest « toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus » (in textu p. 216, § 4), v. g. quia non vult aliquam obligationem implere, uti occasionem proximam fugere, restituere etc.

250. — *Patroni* hujus sententiæ sunt ex sæculo XVII JOANNES SANCHEZ (Sancius) et STEPHANUS BAUNY, quorum utriusque opera in Indicem librorum prohibitorum relata sunt. Tres alii: Silvester, Henriquez et Tanner immerito a Salmanticensibus, et ex hisce a S. Alphonso pro hac sententia adducuntur. (Cfr. *Nota critica* [a]) Gaudé, supra p. 216). — Joannis Sanchez verba vide apud Gaudé (*l. c.*). Hujusmodi recidivum, quotiescumque relapsus fuerit, Sanchez semper dispositum esse dicit, modo id ipse pœnitens asserat; atque ut fundamentum suæ sententiæ adducit hoc: « Fides namque habenda est pœnitenti asserenti se propositum verum afferre ». (*Selecta*. disp. 9, n. 19). — Stephani Bauny verba vide infra (n. 274).

251. — Sæculo XVIII eamdem sententiam pluribus tuitus est JOAN. B. FAURE in opere posthumo: *Dubitationes theol. de judicio practico*. Concedit quidem, multos recidivos ad sacramentum accedere indispo-

sitos: « Quod multi hac etiam attritione careant, libens concedo » (dub. 4, sect. 3). Docet vero, hos omnes, si confessarius eos brevi at ferventi exhortatione allocutus fuerit, toties quoties absolvendos esse, dummodo ipsi serio testentur se dolorem et propositum habere: « Cum sacerdos, qui propheta non est, nesciat distinguere inter vera et simulata doloris signa, inter pia opera vere facta aut mendaciter offerta, hinc est quod tandem totum fundamentum sacerdotis reducitur ad testimonium pœnitentis... Nonnisi ex dicto pœnitentis possunt confessarii practice judicare, utrum dispositus an indispositus sit » (dub. 2, § 4). Axiomatis ergo loco habet illud: « *Credendum est testimonio pœnitentis de sua dispositione testantis*... Hanc regulam præcipue intelligi velim, cum confessarius spiritu ac sermone evangelico proponit motiva doloris, quibus auditis pœnitens serio respondeat se dolere et proponere » (dub. 2, § 2). « Quoties pœnitens serio respondet eo modo, toties poterit absolvi » (ib. § 3). Præterea tenet Faure, contra unanimem fere inde a tribus sæculis sententiam, ad sacramentum Pœnitentiæ tum valide tum fructuose recipiendum sufficere contritionem (attritionem) mere existimatam, i. e. dolorem adeo imperfectum, ut revera coram Deo efficax et universalis non sit, sed ita a pœnitente bona fide putetur; atque hanc doctrinam vocat « gravissimum fundamentum » benignioris suæ praxeos. (Dub. 4, sect. 6). Hinc plane negat utilitatem dilationis absolutionis illis recidivis qui se dispositos esse serio testantur. Imo praxim differendi absolutionem recidivo qui, « deficientibus signis sufficientibus doloris, interrogatus an ex animo detestatur peccatum, affirmat se detestari », hanc praxim, inquam, dicit ignotam fuisse in Ecclesia usque ad epocham Jansenismi. (Cfr. dub. 2, § 1; dub. 3, § 2; dub. 4, sect. 9) [1].

Ex eodem sæculo pro prima hac sententia etiam adducitur Philippus Salvatori qui, rejectis signis extraordinariis, censere videtur, omnes recidivos ferventi et, si opus esset, diuturna plurium horarum aut etiam dierum exhortatione a confessario disponi posse et debere, atque tunc ordinarie absolvendos esse. Hic tamen auctor nequaquam ita clare loquitur, neque re ipsa a tertia sententia dissentire videtur. (Cfr. infra n. 358).

252. — In altera parte sæculi XIX eamdem sententiam, quæ relicta erat, iterum instauravit Antonius Ballerini, eamque præsertim contra S. Alphonsi doctrinam, quam tunc fere communiter theologi sequebantur, fuse propugnare enixus est. Ejus autem sententia ad hæc tria capita fere reducitur: 1º Recidivus etiam formalis, qui nempe jam sæpe a confessario serio admonitus, semper eodem modo sine ullo emendationis studio in eumdem habitum relapsus est, semper tamen absolvi potest, si serio, id est non ficte, affirmat se dolere et proponere; nam « pœnitenti credendum est tam pro se quam contra se dicenti ». Ad signa specialia attendere utile quidem esse potest, necessarium autem non est. 2º Tali recidivo

[1] Eminet quidem Faure eruditione; eam tamen præcipue ex Francolinii operibus hausit. Sed judicio sano et critico haud parum deficere videtur, estque hac in re Francolinio multo inferior. Laxioris ingenii et praxeos fautorem Faure etiam se ostendit, quando duo opuscula anonyma edidit ad defendendum librum Benzi, qui inscribitur: *Dissertatio in casus reservatos Venetæ diœceseos;* qui quidem liber a S. C. Inquisitionis decreto 16 aprilis 1744 prohibitus fuit. Cfr. *Bibliothèque des Ecrivains de la Compagnie de Jésus;* art. Benzi (III, 136) et Faure (IV, 210).

differre absolutionem numquam est præceptum; est tamen aliquando consilium, non quidem propter defectum dispositionis, sed ut remedium contra relapsum. 3º Hæc est doctrina communis theologorum; sententia autem S. Alphonsi est « recens » et « nova ». (Vide ejus verba infra n. 261, 283, 288, 289, 322-327, 337, 339. 2º). — Multa Ballerini deprompsit ex Faure, quem etiam contra communem theologorum doctrinam secutus est in quæstione de contritione mere existimata. (Cfr. supra n. 227). — Ex recentioribus theologis aliqui eidem primæ sententiæ adhærent, innixi imprimis Ballerinii auctoritate.

253. — II. « *Secunda sententia* omnino opposita », inquit S. Alphonsus (p. 216, § 5), est rigoristarum ex sæculis XVII et XVIII. Hi tamquam solum signum sufficientis dispositionis admittunt diuturnam experientiam seu stabilem emendationem pœnitentis. Ita multi jam de simplici consuetudinario; ergo a fortiori de recidivo (cfr. supra p. 217 *notam b)* Gaudé; item infra textum S. Alphonsi n. 462, § 3). Unde hisce communis fere praxis erat omnibus formaliter, imo sæpe quoque materialiter tantum, recidivis absolutionem diutius differre, etiamsi hic et nunc peculiaria quædam dispositionis signa exhibebant. — Hæc sententia sæculo XIX paulatim relicta est, præcipue post eximia illa encomia quibus Sedes Apostolica S. Alphonsi doctrinam exornaverat.

254. — III. « *Tertia sententia* communis », inquit S. Alphonsus, « docet quod peccator recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat signa extraordinaria suæ dispositionis » (§ 6).

Hæc explicatione indigent; adest enim quædam antilogia. Nam S. Doctor contra sententiam quam hic (§ 6) « communem » vocat, infra (§ 9) opponit plures graves auctores qui dicunt, hujusmodi recidivum posse absolvi « usque ad tertiam vel quartam vicem ». Difficultatem sic solves. Theologi tantum non omnes in eo contra primam sententiam conveniunt quod docent, recidivo affirmanti tantum suam dispositionem *non semper* seu *toties quoties* absolutionem dari posse; atque in hoc dumtaxat sensu hæc tertia sententia a S. Alphonso « communis » vocatur. Conveniunt etiam in rejicienda secunda sententia rigoristarum. Dissentiunt tamen inter se circa quæstionem, utrum tali recidivo, cum eodem habitu redeunti neque ullum speciale dispositionis signum præbenti, *per se* jam *prima* vice absolutio differri debeat — uti S. Doctor aliique tenent —, an solum post *aliquot* vices, quod multis aliis videtur (§ 9). Adsunt ergo, si mavis, quatuor sententiæ; sed tertia et quarta, practice saltem, non multum differunt, sicut postea (thesi 15ª) videbimus. Nos tamen infra singulas distinguemus et discutiemus. — Sed prius præcipua verba « tertiæ » sententiæ exponenda sunt. Itaque

255. — *a*) *Recidivus* hic intelligitur tantum *formalis* quam supra thesi 11ª juxta S. Doctorem definivimus: ille videlicet qui, jam monitus a confessario, non ex mera passione transeunte, sed ex

habitu relabitur; relabitur autem, non una alterave solum vice, sed eodem fere modo sicut antea, ac proinde frequenter, statim seu prima occasione, et facile, quin ullum serium emendandi studium, ullumve resistendi medium adhibeat. Intelligitur præterea non solum recidivus in habitum ob solam fragilitatem intrinsecam, v. g. pollutionis, blasphemiæ etc., sed etiam recidivus in habitum ob occasionem extrinsecam. (Cfr. text. S. Alph. infra n. 463, § 5).

b) Signum *ordinarium* est ipsa confessio atque pœnitentis simplex affirmatio, utique non simulata aut mendax sed seria, se dolere et proponere. In qua notione signi ordinarii omnes passim conveniunt, tum auctores primæ sententiæ, uti patet ex eorum adagio: « Pœnitenti credendum est tam pro se quam contra se loquenti », tum S. Alphonsus aliique. Ait enim S. Doctor: « Illi (recidivi) nequeunt absolvi, si sola signa *ordinaria* afferunt, nempe si tantum confiteantur, asserendo se pœnitere et proponere » (*Praxis.* n. 71); item alibi: « Cum solis signis *ordinariis*, id est dicendo se pœnitere et proponere » (*Conf. dir.* XV, 13; *Selva.* n. 17) [1].

c) Signa *extraordinaria* juxta S. Alphonsum sunt omnia alia signa *specialia* præter ipsam ordinariam pœnitentis attestationem, qua confessario interroganti, num peccatis doleat, simplex responsum affirmativum præbet.

256. — Ne autem cum quibusdam recentioribus hanc vocem male intelligas, omnino advertas velim, per illa signa extraordinaria nequaquam significari *dolorem extraordinarium;* nam, ut supra (n. 246) jam diximus, sufficit pro recidivis eadem contritio idemque propositum quod pro aliis peccatoribus. Sunt ergo quædam speciales testificationes veri doloris, sunt alia quædam indicia exhibita, sive ante confessionem per præteritam agendi rationem pœnitentis, sive in ipso modo instituendi præsentem confessionem, ex quibus confessarius cum quadam certitudine late sumpta colligere potest, recidivum, non obstante suo relapsu, hic et nunc vere dolere firmiterque proponere, ita ut spes inchoatæ saltem emendationis rationabiliter concipi queat.

Neque etiam « extraordinarium » hic idem est quod *rarum;* quia hæc signa, saltem post exhortationem confessarii, re vera sæpissime occurrunt et valde obvia sunt apud omnes pœnitentes recidivos qui vere contriti sunt.

---

[1] Parum recte igitur Gury (n. 472, al. 625 vel 437) inter signa *ordinaria* quædam recenset quæ ab aliis generatim extraordinaria vel specialia dicuntur, v. g.: « Si ex desiderio conversionis *jam a peccato cessaverit* ». Immerito autem id fit. Ordinarium enim dicitur quod omnibus pœnitentibus commune est, quod in omnibus requiritur. Cessatio autem a peccato non est tale signum; nam etiam ille qui usque ad confessionem a peccato non cessavit, v. g. consuetudinarius qui prima vice suum habitum confitetur, absolvi potest, quia jam affert signum ordinarium, i. e. simplex testimonium sui doloris. Quod ergo plus affertur extraordinarium seu speciale et non commune dicendum est.

Antiqui theologi hæc signa sæpe vocant « specialia » seu « peculiaria », quæ voces sane aptissimæ sunt, item « clariora », « non ordinaria », « non communia », vel etiam « certa et manifesta », quatenus opponuntur signis probabilibus quæ ordinarie sufficiunt; vel etiam loquuntur de ostensione doloris « magni », « vehementis », « extraordinarii », quod intellige de magnis, vehementibus, extraordinariis doloris signis. S. Alphonsus cum Voit et Reuter (infra n. 319) ea passim dicit « extraordinaria », quæ vox etiam optima est, modo ne explicetur de dolore extraordinario et raro.

Quænam sint potissima illa specialia seu extraordinaria signa, videbimus infra (thes. 18ª).

257. — Hisce præstitutis quinque articulis totidemque thesibus gravem hanc disputationem absolvemus. In primo et secundo articulo refutabimus « primam » sententiam æquo laxiorem tum ex ratione theologica (thesi 13ª) tum ex auctoritate (thesi 14ª); in tertio articulo excutiemus quæstionem de recidivo jam semel admonito et absoluto (thesi 15ª); in quarto refellemus « secundam » seu rigoristarum sententiam (thesi 16ª); in quinto denique agemus de obligatione confessarii disponendi recidivum, deque exitu hujus conatus (thesi 17ª).

ARTICULUS I.

De absolutione recidivorum juxta rationem theologicam.

Thesis 13ª.

Recidivus formalis, qui scilicet jam serio admonitus eodem semper modo in eumdem pravum habitum recidit, non potest toties quoties a confessario, ut judex est, absolvi, si solum signum ordinarium, id est proprium suæ dispositionis testimonium, affert. — Proinde adagium: « Pœnitenti credendum est sive pro se sive contra se loquenti » de hujusmodi recidivo intelligi nequit.

Hæc thesis, quæ statuitur contra defensores primæ sententiæ, post supra (n. 249 sqq.) dicta, explicatione jam non indiget. Oppositam sententiam, quæ tenet talem recidivum toties quoties seu semper absolvi posse, S. Alphonsus vocat « falsam » (p. 216, § 4), ac proinde thesim nostram habet *veram*. Eam autem hic probabimus variis rationibus internis et theologicis. In sequenti thesi eam præterea auctoritate theologorum confirmabimus. — Ultima hujus thesis pars est *corollarium* ex probatis profluens.

Probatur Thesis variis rationibus

I. — *Ex parte firmi propositi.*

258. — Ratio hæc, quæ est S. Alphonsi (p. 218, § 7), in hanc formam syllogisticam reducitur:

« Ut confessarius possit pœnitentem absolvere, debet esse moraliter certus de ejus dispositione » (*l. c.*), id est debet habere certitudinem probabilem ac late dictam seu prudentem probabilitatem unicam de ejus dispositione ac firmo proposito, ita ut excludatur grave et prudens dubium de firmitate hujus propositi.

Atqui talem certitudinem ac prudentem probabilitatem habere nequit confessarius et saltem graviter dubitare debet de firmo proposito recidivi, qui semper eodem statim modo in eumdem habitum relabitur et nunc etiam solum ordinarium signum seu proprium de suo firmo proposito testimonium præbet.

Ergo hujusmodi recidivo confessarius non potest semper seu toties quoties absolutionem conferre.

Major probabitur infra thesi 19ª.

Minor probatur, videlicet: graviter saltem dubitandum est de firmo proposito hujus recidivi. Rationem dat S. Doctor noster: « Quando jam in alia confessione ipse (habituatus) fuit admonitus et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario præscriptis, frequens ille relapsus signum præbet vel saltem prudentem dat suspicionem (i. e. præsumptionem) quod sua pœnitentia non sit vera. Qui enim firme proponit — bene ait Lugo — rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit » (*h. l.*) [1]. Ratio hæc, quæ certe magis adhuc valet, si recidivus jam in multis confessionibus idem promisit et semper eodem modo est relapsus, nititur *lege psychologica*, quotidianæ vitæ experientia comprobata. Quicumque enim sincere in aliquem finem tendit et idcirco media necessaria adhibere firmiter proponit, profecto ordinarie saltem aliquem serium conatum adhibebit, ut ad propositum finem perveniat; secus enim nemo prudens ejus voluntatem assequendi finem vere firmam fuisse dicet. Si ergo constat, ipsum in præterito nihil unquam præstitisse ut propositum exsequatur, ipsa prudentia, quæ judicat ex iis quæ ut in pluribus contingunt, præcipit ut saltem graviter dubitetur de ejus propositi firmitate. — Neque huic judicio obstat, quod hujusmodi homo iterum affirmat se proponere. Nam talis affirmatio, præcipue si jam sæpius repetita est, facile ex propria hallucinatione oritur, qua vel-

[1] Contextum Lugonis vide infra n. 309.

leitatem pro firmo proposito sumit: facta verbis non respondent; ipsemet se seducit, credens firmum esse propositum quod nimis infirmum esse experientia comprobatur. (Cfr. infra n. 281, 288, 289).

259. — Huc faciunt quæ S. Thomas de *prudentia* in judicando docet: « Prudentia est circa contingentia operabilia. In hoc autem non potest homo dirigi per ea quæ sunt simpliciter et ex necessitate vera, sed ex his quæ *ut in pluribus* accidunt... Quid autem in pluribus sit verum, oportet *per experientiam* considerare » (II-II, qu. 49, a. 1). Unde paulo infra: « *Ex præteritis* oportet nos quasi *argumentum sumere de futuris* » (ad 3). Jamvero, « experientia » constat, eos qui firmiter aliquid proponunt, « in pluribus », i. e. ordinarie ac ut plurimum, aliquid saltem curæ adhibere, ut id quod proponunt exsequantur. Si ergo pœnitens est recidivus formalis, qui in exsequendo proposito nihil curæ adhibuit, prudentia dictat, ut velut ex communiter contingentibus probabiliter judicemus, ejus propositum *jam in præterita* confessione non fuisse satis firmum; ac proinde « oportet quasi argumentum sumere » *etiam in præsenti* confessione graviter dubitandum esse de ejus propositi firmitate, nisi forte nunc *speciali* modo aut signo firmius quam antea propositum ostendat.

Efficacissima igitur est hæc ratio S. Alphonsi ex parte propositi, quam etiam complures antiqui theologi primæ sententiæ opponunt, ut infra (thesi 14ª) videbimus [1].

260. — *Opponunt* adversarii huic rationi hæc verba D. Thomæ: « Pœnitere est anteacta peccata deflere ac flendo non committere, scilicet simul dum flet, vel actu vel proposito... Quod aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit. Numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem; sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit qui postea peccat » (III, qu. 84, a. 10, ad 4).

Resp. Vehementer abutuntur egregii adversarii hisce verbis. Etenim Doctor Angelicus hic dicit dumtaxat relapsum *per se* non excludere veritatem prioris pœnitentiæ — quod quidem omnes theologi cum S. Alphonso concedunt —, ac propterea pœnitentiam iterari posse, ut docet fides catholica (cfr. supra n. 246). Videlicet, ita arguit S. Thomas, dolor prioris confessionis, *si verus fuit*, ut supponitur (« *veritas* prioris actus »),

---

[1] Idem argumentum ita recte proponit præclarus Lehmkuhl: « Sane qui relabitur *brevi* post peractam confessionem, idque *sine pugna et resistentia* contra tentationes atque *frequenter*, suspicionem ingerit de voluntate emendationis, quam conceperat, inerti, *de proposito non firmo* parumque sincero, atque ita de *valore præteritæ confessionis merito potest dubitari*. Quando igitur voluntas præsens non fortior apparet quam in confessionibus præteritis, sed eadem debilitate languet: *dispositio* sufficiens *manet dubia*. Quapropter confessarii est exstimulare pœnitentem, utrum forte augere possit signa bonæ voluntatis et firmioris propositi. Quodsi conatus iste frustra adhibeatur neque confessarius prudenter judicare possit pœnitentem nunc melius dolere et emendationem proponere, absolutio regulariter differenda est, dum *meliora* sinceræ voluntatis signa apparent » (*Neo-Conf.* Reuter-Lehmk. n. 188, *k*).

numquam infectus fit, si pœnitens postea actum contrarium ponit et in peccatum recidit, sicut quod quis antea vere cucurrit non excluditur per hoc quod postea sedet. Res ipsa loquitur: adversaretur enim principio contradictionis quod aliquid sit vere factum et simul non vere factum. Nequaquam tamen hic dicit S. Thomas, *omnem* pœnitentiam priorem semper fuisse veram et sinceram, neque etiam relapsum qualemcumque numquam posse esse argumentum dubitandi de veritate et sinceritate prioris pœnitentiæ. De *veritate* pœnitentiæ in singulis casibus confessario judicandum est juxta prudentiæ regulas ex variis signis et circumstantiis; qua de re hic nihil dicit S. Doctor, quia non erat ejus tractandi locus. Supra tamen (n. 259), ut vidimus, S. Thomas posuit generale prudentiæ principium, ex quo de firmitate aut infirmitate propositi ad pœnitentiam requisiti per experientiam et « ut in pluribus » argumentari licet. — Ergo plane abs re ille textus magna cum emphasi a quibusdam recentibus thesi nostræ objicitur.

261. — *Opponunt* præterea doctrinam de libero voluntatis arbitrio, quæ inconstans est et mutabilis in suis propositis. « Agimus de homine libero, qui suam mutare potest voluntatem ac reipsa sæpe ex inconstantia et fragilitate mutat, prouti et discipuli in proposito v. gr. certas horas quotidie tribuendi studio linguæ hebraicæ, juri canonico, theologiæ morali, meditationi sanctæ aut piæ lectioni etc.... inconstantes sunt ». Ita Ballerini (*De Pœn.* n. 178).

Resp. Hæc iterum verissima sunt et optime ostendunt, inconstantiam *per se* non esse signum, præteritum propositum fuisse infirmum. Hinc etiam S. Alphonsus dicit: « Relapsus *non semper* est signum propositi infirmi, sed sæpius tantum signum est mutatæ voluntatis » (VI, n. 451). Sed in thesi agimus de *speciali modo relapsus*, de recidivo nimirum formali, qui semper eodem fere modo relabitur in eumdem habitum sine ullo serio proposito exsequendi studio. Jam age, ipsum exemplum ab opponente adductum ad liquidum thesim nostram demonstrat, nedum contrarium ostendat. Si enim hic discipulus « in illo proposito certas aliquas horas quotidie tribuendi studio » adeo inconstans est, ut statim illud obliviscatur aut negligat et nullum unquam serium conatum adhibeat illud exsequendi, sed semper eodem quasi modo in pristinam suam pigritiam aut levitatem relabatur; quis prudens magister tale propositum firmum esse dicet, etiamsi discipulus illud asserat? Atqui hic est casus quem thesis nostra spectat. Profecto talis inconstantia ex propositi debilitate oritur et gravem ingerit præsumptionem, etiam præsens propositum firmum non esse.

II. — *Ex parte sinceræ contritionis.*

262. — Graviter saltem dubitandum esse de vera contritione recidivi formalis, ostenditur:

1° Ex *natura* ipsius contritionis. Etenim, sicut supra (n. 226 sq.) ex concilio Tridentino vidimus, ad illam contritionem seu attritionem, quæ ad remissionem in sacramento Pœnitentiæ accipiendam proxime disponit, requiritur vera peccati « detestatio » ac « odium »,

actus « displicentiæ » et « reprobationis »; requiritur voluntatis immutatio, ejusque sincera aversio a peccato: « cor novum, contritum et humiliatum ». Atque hæc detestatio debet esse non mere existimata, sed vere formalis (supra n. 227). Jamvero talis contritio et conversio jam in simplici habituato est « difficilis », ut S. Thomas dicit (cfr. n. 203, 3º); quia consuetudo ipsi ut « altera natura » facta est, id est ejus voluntas « per modum naturæ » in peccatum permanenter est inclinata; est in illud « ab interiore principio » velut « determinata »; peccatum est ipsi « connaturale » ac spontaneum; ejus ratio adeo obcæcata est, ut peccatum tamquam finem suum habitualiter consideret; ac proinde illud « frequenter », « prompte », « sine dubitatione » seu hæsitatione, « quasi sine renisu rationis » committit; imo illud « quærit », in eoque velut in fine quiescit. Ita passim Doctor Angelicus, ut supra (n. 195 sqq.) vidimus.

Hæc si vera sunt in simplici *habituato*, quanto magis in *recidivo formali*, qui jam serio admonitus nihil curæ ad se emendandum adhibuit; quanto magis si iterum atque iterum quoties confitetur cum eodem prorsus habitu redit, nihil se emendare studens, sed tantum reputans et affirmans se dolere! Certe quisque prudens de sincera hujus contritione, deque vera ejus detestatione et odio illius peccati, cui habitualiter adeo addictus est, graviter saltem dubitabit. Qui enim sincere dolet et reprobat aliquod factum sæpe a se commissum illudque vere deletum vellet, non statim eodem facili modo eademque ac antea frequentia id iterum committere solet; ordinarie enim ille sincerus dolor et vera detestatio efficit, ut aliquem saltem serium voluntatis conatum adhibeat ne id denuo committat [1]. Est hæc iterum lex psychologica, quotidiana experientia etiam in aliis ordinis naturalis factis comprobata. Esto igitur quod initio ejus ingenuo doloris testimonio fides haberi possit, ut thesi 12ª ostendimus: si iteratis vicibus eodem modo recidit, nullumque aliud doloris signum præbet nisi idem semper testimonium, sane talis relapsus, non ex transeunte passione sed ex habituali peccati adhæsione proveniens, gravem injicit præsumptionem de veræ contritionis defectu, atque adeo prudenter judicandum est, pœnitentem etiam bona fide attestantem suum dolorem fucum sibi facere.

Hinc merito S. Alphonsus docet, ad ingerendam gravem illam suspicionem contra contritionis veritatem, *duo* elementa concurrere debere, habitum scil. et relapsum, quorum alterutrum per se non sufficiat: « *Habitus* contractus *et relapsus præteriti sine ulla emendatione* magnam præstant suspicionem quod dolor et propositum, quæ pœnitens asserit se habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est absolutio per

---

[1] « Qui enim *sincere dolet*, inquit Lehmkuhl, et firmiter proponit peccatum aliquod omittere, saltem per aliquod tempus se continebit, neque illico in primo cum hoste congressu victas manus dabit » (*Th. Mor.* II, 623, 4).

aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis » (*Prax.* n. 71); nisi tamen in præsenti aliud quoddam speciale contritionis signum afferat, ut infra (thesi 16ª) cum S. Doctore videbimus.

Atque hæc quidem ratio, ex natura contritionis petita, adeo gravis visa est quibusdam adversariis recentioribus, ut ab ea non aliter evadere posse arbitrati sint quam docendo, confessario ut absolvat per se sufficere dubium positivum de vera pœnitentis contritione. (Ita v. g. Génicot, n. 367. 2º). Hi ergo propositionem majorem syllogismi supra (n. 258) expositi negant; quorum sententiam infra (thesi 19ª) confutabimus.

263. — 2º Ex *effectibus* supernaturalibus *veræ* contritionis probatur etiam, quam dubia et insufficiens sit dispositio hujusmodi recidivi. — Profecto, si habituatus semper statim recidit, desunt illi effectus, qui ordinarie ex vera conversione seu ex habitatione Spiritus Sancti per gratiam sanctificantem et ex gratia sacramentali profluunt, quales sunt quædam saltem seria constantiæ et emendationis conamina. Atqui ubi plane desunt tales effectus, haud immerito concludere fas est, etiam ipsam *causam*, scilicet gratiam sanctificantem et veram conversionem, ordinarie defuisse, a. v. præcedentem confessionem fuisse nullam vel saltem valde dubie validam [1].

III. — *Ex experientia et praxi S. Tribunalis.*

264. — Hac namque constat, multos recidivos, sola signa ordinaria præbentes, non dispositos aut saltem valde dubie dispositos esse.

Re sane vera; quicumque enim aliquam sacri tribunalis praxim habet fatebitur, permultos non satis dispositos neque vere contritos ad Pœnitentiæ sacramentum accedere, maxime ex iis qui in habitum peccandi eodem usque modo recidivi sunt. Alii haud satis instructi sunt in rebus religiosis parumque edocti de necessitate aut de conditionibus veræ contritionis quæ juxta Tridentinum ad pœnitentiam requiruntur. Externis religionis signis adeo assueti sunt, ut etiam confessionem velut cæremoniam quamdam externam habeant et,

---

[1] En quibus verbis Berardi hanc rationem exponat: « Virtus pœnitentiæ non sejungitur a gratia divina, quæ ex se habet ut a relapsu præservet; unde scripsit D. Thomas (III, qu. 84, a. 8, ad 1): " Vera pœnitentia non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem a peccatis futuris ". Sacramentum autem confert etiam gratiam sacramentalem, quæ majorem adhuc constantiam pœnitenti adjicit, atque insuper in illo vim habituum malorum diminuit; unde idem D. Thomas subjunxit (qu. 86, a. 5): " Nihil prohibet, quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ: remanent tamen debilitatæ et diminutæ ". Si itaque in pœnitente post ejusdem confessiones *nulla præservatio, nulla constantia, nulla diminutio* pravarum dispositionum unquam conspiciatur, quomodo timeri non debebit, ejus pœnitentiam fuisse illusoriam, et sacramenta quæ recepit invalida vel informia fuisse? Nonne enim si fuissent prout esse debuissent, proprii eorum effectus conspici deberent? » (*De Rec.* n. 79). Optime quoque hanc rationem explicatam vide apud Segneri, *Il Crist. istr.* (part. 3, rag. 22, n. 3).

modo absolutionem carpant, contenti sint. Alii levem quamdam displicentiam vel aliquam se emendandi velleitatem pro sufficienti dolore et proposito habent. Alii magis ex quodam domestico usu aut more patrio vel ex quodam respectu humano, licet sine pravo consilio, ad sacramenta accedunt, quin ad mores corrigendos serio animum advertant. Alii adeo leves animo sunt, ut vix de eliciendo vero actu doloris cogitent; vel simplicem quamdam contritionis formulam mente potius distracta memoriter recitant aut ex libro legunt, sine seria consideratione et interno actu detestationis ex motivo supernaturali orto. Hos veræ dispositionis defectus passim testari possunt concionatores et missionarii, qui seriem instructionum de contritione et proposito ad populum habent; eosque non apud illitteratos dumtaxat reperiunt, sed etiam apud homines cultiores qui haud raro in materia religionis parum instructi sunt. Quinimo hac nostra ætate defectus illi sæpe eo magis timendi sunt, quo spiritus hujus mundi, qui indifferentiam et levitatem in rebus supernaturalibus, summam autem industriam in bonis terrenis præ se fert, suis maculis complures etiam consperserit catholicos qui usum sacramentorum nondum missum fecerunt. — Age vero, hi generatim, a confessario interrogati num peccatis vere doleant, responsum dant affirmativum, idque non ficto sed, ut putant, sincero animo, adeoque signum ordinarium dispositionis præbent; et tamen coram Deo vere contriti non sunt.

Libenter quidem concedimus, multos ex iis debita confessarii instructione paternaque exhortatione in ipsa etiam confessione disponi posse (cfr. thes. 17[a]). Sed hi ordinarie hanc novam animi dispositionem signo quodam *speciali* seu extraordinario ultro confessario patefacient; quo casu extra thesim nostram versantur. Verum enimvero, multi etiam, iique imprimis qui in habitum peccandi formaliter recidivi sunt, illa confessarii exhortatione ad veram contritionem non commovebuntur (cfr. n. 356). Quare si in præsenti nullo speciali signo suæ voluntatis immutationem ostendunt, præsumptio stat contra illos, neque confessarius simplici eorum assertioni prudenter fidem habere poterit.

265. — Tristem hanc experientiam circa frequentiam defectus dispositionis testibus quibusdam locupletissimis confirmare lubet.

Catechismus Romanus testatur: « Ita charitas refrixit, ut jam *plerique* ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis esse arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant » (*De Pœn.*, n. 67).

Leo XII in constitutione *Charitate Dei* diei 25 Dec. 1825 ait: « Sistunt se quidem *multi* sacramenti Pœnitentiæ ministris prorsus imparati ».

S. Leonardus a P. M., longa missionum experientia edoctus, testatur: « *Ex centum* pœnitentibus reperietis nonnumquam *octoginta* et amplius male habituatos in vitiis sive blasphemiæ, sive perjurii, sive luxuriæ, furti, odii, co-

gitationum turpium », qui per annos recidivi sine sufficienti dispositione absoluti sunt. Hos sæpe non brevi quadam et ferventi exhortatione, sed sola prudenti absolutionis dilatione ad veram contritionem adduci et curari posse affirmat (*Disc.* n. 13; cfr. ejus verba infra n. 357).

VEN. SEGNERI idem sentit: « Quot sunt, inquit, qui ob defectum propositi confessiones faciunt invalidas et sæpe etiam sacrilegas! Non unus est alterve, sed sunt *integræ generationes* virorum et mulierum, nobilium et plebejorum, qui dicunt: semper confessus sum malum quod feci; per tot quidem annos vivo in hac prava praxi, sed eam semper accusavi. Credunt se mundos esse, sed non sunt, quia confessi sunt sine vero proposito... Facile quidem est se projicere ad pedes confessarii, percutere pectus et dicere: *me pœnitet*. Caput autem rei est videre, num propositum habeatis mutandi vitam » (*Penit. istr.* cap. 8). Ordinarium ergo ipsius pœnitentis testimonium in recidivis ut sufficiens doloris signum non habet.

In præclaro opusculo, quod inscribitur DIRECTORIUM IN EXERCITIA SPIR. S. IGNATII et a Præposito Generali S. J. Claudio Aquaviva editum est, de utilitate confessionis generalis hæc dicuntur: « Si nulla alia esset, hæc certe satis esse deberet, quod experimur *homines plerumque* aut sine examine sufficienti, aut sine debito dolore, nullo vel valde infirmo melioris vitæ proposito ad confessionem accedere » (cap. 16). Quæ sane omnium maxime intelligenda sunt de illis recidivis formalibus qui jam antea admoniti et absoluti nullum se emendandi studium adhibuerunt.

Concludere ergo licet cum Berardi: « Certissimum est, *plurimos* pœnitentes non habere verum dolorem et propositum, quamvis formulam contritionis recitent, et quamvis etiam, interrogati an doleant et proponant, simpliciter affirmative respondeant » (*De Rec.* n. 29).

IV. — *Ex funestis consequentiis doctrinæ oppositæ.*

266. — Agimus hic de illis pœnitentibus qui merito supponuntur ob prudentem absolutionis dilationem sacramenta non prorsus deserturi, sed qui implicati vitiosis habitibus, uti luxuriæ, blasphemiæ, odii, ebrietatis, injustitiæ, neglectus præceptorum Ecclesiæ etc., statis temporibus adhuc confitentur; quorum quidem peccatorum ubique terrarum ingens est numerus. Si hi omnes semper rite dispositi habentur et generaliter absolvuntur, quoties post paternam confessarii exhortationem solum signum ordinarium, proprium nempe sui doloris testimonium, exhibent, licet eodem semper modo in habitum relabantur neque unquam serio se emendare studeant: profecto hæc ipsa absolvendi facilitas natura sua ansam præbet magnæ morum laxitati et ruinæ animarum.

Re quidem vera; hac enim absolvendi facilitate pravi eorum habitus, quibus, licet diligenter a confessario ad dolorem excitati, vix unquam serio resistunt, temporis diuturnitate magis radicantur; proinde eorum ratio semper magis obcæcatur, voluntas debilitatur;

hinc ex una quidem parte major cordis obduratio, ex parte autem Dei ordinarie major usque subtractio gratiæ illius abundantioris et efficacis; hinc vera conversio et contritio semper difficilior, emendatio nulla, quin etiam crescens morum corruptela. Hi peccati gravitatem et veritates æternas numquam serio perpendunt, justitiam Dei non timent, temere sperant, sæpe in ipso actu peccati, in Dei misericordiam, utpote per simplicem confessionem facile obtinendam. In ipso autem accessu ad sacramentum Pœnitentiæ vix commoventur, aut præ animæ levitate, aut præ ignorantia, aut præ adhæsione ad peccatum, decipientes seipsos et sumentes quamcumque displicentiam pro vera contritione et quamdam velleitatem pro firmo proposito; quo in errore haud parum confirmantur per confessarium, ita facile semper absolventem. Atque ita sensim eo perveniunt ut, juxta solemne illud, peccatum velut aquam bibant et usque ad mortem in vitiis sordescant. — Accedit quod hi recidivi ut plurimum aliorum etiam Christifidelium ruinæ spiritualis causa sunt propter multa *scandala* tum verbis tum operibus data; quæ quidem scandala eo efficaciora sunt, quo semper tam facile absolutionem obtinent, licet numquam se emendent. Exempla habes in tot blasphemis, turpiloquis, luxuriosis, bibulis, onanistis, negligentibus circa præceptum Missæ etc.

Sed etiam ad ipsam eorum *fidem* quod attinet, hæc absolvendi facilitas sæpe valde periculosa est. Nam ex illa semper increscente prava consuetudine mentisque obcæcatione quasi sponte profluit indifferentia in materia religionis, quam suis moribus plane oppositam esse probe norunt. Hinc paulatim ultroneus neglectus sacramentorum, quæ nihil ad veram suam conversionem et emendationem profecisse ipsimet experti sunt. Hinc denique sæpe jactura fidei, præcipue hac nostra ætate quæ undique fidei periculis scatet. En tristis historia multorum qui a fide desciverunt, quorum quidem ruina initium sumpsit ab iisdem semper relapsibus in pravas consuetudines. (Cfr. infra n. 271) [1].

267. — Si hisce miseris recidivis, antequam res ad talem funestum exitum perducta fuisset, post paucas saltem confessiones in quibus, licet ferventer ad contritionem excitati, nullum speciale doloris signum dederunt, a confessario affectu vere paterno absolutio per breve tempus fuisset dilata, usquedum serium quoddam emen-

---

[1] Cfr. Claeys-Bouüaert in *Nouv. Revue Théol.* (1921, p. 281 ss., et 1922, p. 185 ss.), ubi auctor optime ostendit, præposteram multorum confessariorum indulgentiam esse causam, cur permulti hodie recidivi formales, qui tempore Paschali aliisque quibusdam festis solemnibus ad sacramenta accedunt, licet se dolere et proponere dicant, vero tamen dolore serioque se emendandi proposito careant, per annos in peccatis marcescant, sacramentum Pœnitentiæ velut simplicem ritum externamque formalitatem habeant, quam tandem sæpe plane relinquunt; ita ut hæc remissa praxis, nedum animas salvet, uti hi confessarii intendunt, eis valde sit nociva.

dationis conamen fecissent, occasionem proximam melius fugissent et orationem aliaque media sedulius adhibuissent: sæpissime citius animo resipuissent, consuetudo non ita altas radices egisset, neque animum mentemque ita pervertisset, brevi malum non ita invaluisset, juxta illud: « Principiis obsta etc. ». Quemadmodum ergo pueri, qui patris exhortationibus solum promissis et numquam factis obediunt, imo semper statim post in eosdem recidunt defectus, severiore modo tractandi sunt: ita quoque hi recidivi formales maxime initio, quando adhuc sacramenta frequentare solent neque ea prorsus relinquendi gravis timor adest, per prudentem absolutionis dilationem salutari timore sunt concutiendi, ut hoc modo quasi sentiant et addiscant, quid sit sincera conversio, quid vera voluntatis immutatio, quid firmum et efficax propositum. Est hæc lex pædagogica, scholasticæ psychologiæ plane consona. Quam legem qui negligeret confessarius, certe causa esset relaxationis morum et ruinæ animarum.

268. — Quantopere universim magna illa absolvendi facilitas ansam præbeat perpetuis relapsibus morumque corruptelæ, ac proinde animarum saluti sit perniciosa, confirmatur quoque validissima *auctoritate.*

S. Congregatio de Propaganda Fide in instructione data mense Augusti 1827 graviter contra eam monet. Relatis verbis Ritualis Romanis « Videat autem diligenter sacerdos, quando et quibus conferenda vel deneganda sit absolutio », ita prosequitur: « Quod præscriptum non fuisset, si pœnitentibus omnibus, etiam *recidivis et in habituali peccandi consuetudine existentibus*, indiscriminatim absolutio esset impertienda. Doceantur igitur confessarii tui de hac triplici pœnitentium specie, juxta mox laudatum Rituale Romanum, et absolutionem denegent iis qui vel nulla vel fictæ tantum pœnitentiæ indicia præbent; illis vero *differant*, quorum pœnitentia *incerta et suspecta* merito habetur. Ita docent cordatiores theologi; ita docent instructiones confessariis propositæ a S. Carolo Borromæo et a Francisco Salesio, qui regulas a S. Carolo traditas in suis synodalibus constitutionibus adoptavit, ut videre est in earum titulo 9, art. 5, n. 3, ac meminisse debent mox præfati confessarii Vicariatus tui, *ex magna absolvendi facilitate magnam peccandi facilitatem oriri necessario debere* » (*Collect.* ed. 2ª I, n. 799) [1]. Hæc monitio apprime valet pro illis recidivis formalibus qui passim nihil aliud quam signum ordinarium seu simplex sui doloris testimonium afferre solent, quorum proin dispositio dubia et suspecta merito habetur [2].

---

[1] Notum est illud S. Ambrosii: « Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi » (*Sermo* 8 *in Ps.* 118, n. 26; Migne, XV, 1305). Item illud B. Bellarmini: « Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi » (*Dom. IV Adv. conc.* 8); quod quidem non ad sola beati illius Cardinalis tempora spectat; nam etiam postea id ab aliis sæpe repetitum fuit, e. g. a Benedicto XIV, Const. *Apostolica* 26 Junii 1749 (n. 22). Utrumque tamen dictum est tantum generale, ostenditque damna nimiæ in absolvendo indulgentiæ.

[2] S. Congregatio in hac instructione fere ad verbum doctrinam refert Benedicti XIV, qui in opere *De Synodo Diœc.* (lib. XI, cap. 2, n. 18) hæc habet: « Omnes graviores theologi in eo conveniunt, ut non cuilibet pœnitenti concedenda sit absolutio; sed iis deneganda qui vel pœnitentiam minime profitentur vel fictæ pœnitentiæ indicia præ se ferunt; iis autem *differenda* sit, *quorum pœnitentia incerta et suspecta merito habetur* ».

269. — Speciatim quod attinet ad illos recidivos qui nihil se emendant et semper a confessariis absolvuntur, *funestas hasce consequentias* agnoscunt et deplorant plures sancti doctique viri, qui præsertim in missionibus eas experti sunt.

S. Alphonsus loquens de hisce recidivis, postquam dixerat: « Istis differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis », ita pergit: « Et in hoc puncto lugenda est *animarum ruina;* cujus *causa* sunt tot mali confessarii, indistincte absolvendo tot recidivos qui, cum repererint confessarios qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem peccati et pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem » (*Prax.* n. 71).

S. Leonardus a P. M. graviter quoque dolet animarum ruinam ob incuriam confessariorum qui laxiorem praxim in absolvendis recidivis sequuntur. « Quo modo (confessarii) considerantes tot lapsus et relapsus prudens de ejus dispositione judicium formare possunt? Quo modo efficacem reputabunt voluntatem quæ nullum ad obtinendum finem medium applicat? Profecto tale propositum non est marmori incisum, neque etiam ceræ, sed est aquæ inscriptum. Noverint ergo illi confessarii, hunc unum esse ex maximis erroribus qui nostris temporibus in sacramenti Pœnitentiæ administratione committi solent, et *hac via infinitum Christianorum numerum prolabi in infernum* et mori in peccatis » (*Disc.* n. 12). Ait præterea (n. 13), hos recidivos sæpe ne ferventi quidem exhortatione ad contritionem moveri posse (cfr. infra n. 357), atque idcirco his in casibus absolutionis dilationem unicum esse remedium ut resipiscant. Dein ostendit, quantopere talis dilatio ad breve tempus juvet, ut hi miseri vere conterantur. « Radix mali est, inquit, quod non habeant illam quam oportet peccati cognitionem; nihil autem est quod adeo eos excitet et efficiat ut in se redeant quam ille ictus salutaris, quo sibi per paucos dies absolutionem differri sentiant. Persuasum habeatis, hoc unum esse ex mediis efficacioribus ad reducendum errantem peccatorem in rectam viam. Et quamvis ad breve tempus absolutio differatur, solet tamen habere effectum ferri ignei quod, suo tempore applicatum, mirum in modum excutit ab anima statum illum lethargicum, qui jam in eo erat ut in somnum mortis transiret. Hoc medium facit, ut pœnitens confusus pravum suum statum apprehendat et consideret, eique provideat. Hoc ipsius cor compungit » (n. 14). Tum ad suam missionarii experientiam appellans ait: « Ipsi pœnitentes vobis gratias tribuent, milliesque vobis benedicent. *O Pater mi* — ita sæpe sæpius mihi dictum fuit, — *si ab initio pravæ meæ vitæ in confessarium incidissem charitate plenum, qui mihi per aliquot dies absolutionem distulisset, eaque me charitate tractasset qua tu mecum usus es, non in pessimo illo statu essem in quo nunc sum, neque tot peccata commisissem.* Quibus dictis in lacrymas consolationis prorumpebant... Sedulo igitur caveant illi confessarii qui contrariam praxim sequuntur; timeant et tremant, ne eorum causa infernus animabus repleatur » (n. 16). Cfr. infra n. 297.

270. — Ven. Segneri perbene distinguit inter recidivos materiales et formales, atque hos ultimos, numero plurimos, dicit seipsos sæpe decipere, falso æstimantes bonas esse suas confessiones: « Hujusmodi (recidivorum) genus, pro dolor *numerosissimum*, dico ego versari in statu maxime lugendo; et ratio quæ me movet est ipsa illarum confessionum qualitas, quas *ipsi quidem habent bonas*, sed — ut verum dicam — equidem eas habeo *valde suspectas*... Non redire dicendi sunt hi peccatores post confessionem, quia per hanc justi facti non sunt;

hæc maximi momenti veritas est» (*Crist. istr.* part. 3, rag. 22, n. 2). Et alibi repetit, permultos recidivos in confessione proprio de sua dispositione falli judicio, hancque esse maximam causam eorum damnationis: « *Multissimi* sunt, inquit, qui sibi persuadent se confitendo omni obligationi satisfecisse solo oris testimonio;... interim *non advertunt eorum cor ad Deum conversum non esse... Dæmonium*, ut ait S. Theresia, *nulla alia via tot fidelium animas lucratur quam illis confessionibus non rite factis ;* id est hi animum non attendunt ad id quod in confessione maxime necessarium est, videlicet ad conversionem et firmum emendationis propositum» (ib. rag. 14, n. 4; item n. 8). — Cfr. etiam infra n. 297.

Hisce addere liceat testimonium Reuter, egregii et æqui theologi, qui ita de hisce recidivis scribit: « Languida benignitas et nimis facile consuetudinariis impensa absolutio *causa* est, cur pluribus annis insordescant in consuetudine sive se polluendi, sive blasphemandi, maledicendi, jurandi, exsecrandi etc. *Unum*, inquiunt Patres Concilii Lateranensis, *est quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa scilicet pœnitentia ; idcirco confratres nostros et presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipiant et in infernum pertrahi patiantur.* Hactenus Patres» (*Neo-conf.* n. 179).

271. — Merito igitur ita Cardinalis van Rossum: « Qui peccatis assueti semper eodem modo relabuntur, ii in maximo periculo sunt, ne sacramenta vilipendant, absque requisitis dispositionibus ea recipiant, fructus proinde ex iis percipiant nullos, sed majorem sibi damnationem acquirant» (*De jud. sacr.* n. 72). Et paulo post idem *tristes sequelas* oppositæ sententiæ sic graphice exponit: « Fac accedat recidivus ad confessarium, sectatorem doctrinæ (oppositæ). Confessarius nedum semel, sed septies et septuagies septies eum dispositum judicavit, nam pœnitens semper affirmavit se verum dolorem ac propositum habere; nihilominus emendationi suæ operam nullam dedit, media omnia a confessario indicata neglexit, sine conflictu et resistentia cito semper et facile relapsus est. Numquid tot absolutiones, tot Communiones miseri recidivi roborarunt vires? Nonne potius vehemens adest præsumptio et moralis certitudo falsam fuisse miseri illius pœnitentiam, ipsumque auxilia sacramentalia minime recepisse? Nonne in hujusmodi casibus *ista facilitas hunc unicum effectum habebit : magnam peccandi facilitatem ?* Nonne inde eveniet ut peccatores assuescant sacramenta quoquo modo frequentare, et totam vitam ducere in perpetuo confessionum et relapsuum circulo, sibi persuadentes pœnitentiam christianam sitam esse in hac sacramentorum et relapsuum continuata vicissitudine? Nonne hac ratione peccati horrorem omnem amittent et veræ pœnitentiæ notio apud ipsos prorsus evanescet? Quin etiam ipsa hac morum corruptela (et probe ad hoc advertant confessarii qui nimia facilitate ad tantam benignitatem se abripi patiuntur, speciosa fidei conservandæ ratione) paulatim in fide quoque titubabunt ejusque jacturam facient: præcipue si accedunt, ut nostris lugendis temporibus non raro contingit, fidei pericula: pravi libri, diaria infesta, scholæ impiæ aut sic dictæ neutrales, theatra, consortia hominum incredulorum, massonicorum aut socialistarum. Verissimum enim est cordis corruptionem præcipuam esse causam incredulæ mentis, testante Christo: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem* (*Joan.* 3, 19 seq.) Illud sana ratio dictat et confirmat indubia experientia» (n. 76). — Hæc Eminmi viri verba plane confirmant quæ supra (n. 266) diximus.

272. — Libenter quidem fatemur, etiam nimium rigorem causam esse laxitatis morum et damni animarum, quia pœnitentes in desperationem agit et a sacramentis alienat, ut infra (n. 346) videbimus. Sed nocet quoque, uti ostensum est, quam maxime oppositum extremum nimiæ laxitatis. Id sæpe testatur S. Alphonsus:

« Certum est, inquit, quod in hac materia tam errant, qui æquo sunt faciliores, quam qui æquo rigidiores sunt in absolvendo. Utrumque extremum perniciosum: multi enim confessarii ob nimiam facilitatem absolvendi in causa sunt, ut plures animæ in perditionem abeant; sed alii ob nimiam rigiditatem non minoris sunt detrimenti » (VI, 464). Et in *Praxi :* « Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt causa quod tot animæ perdantur, et negari non potest quod isti in majori sint numero et majus damnum afferant, quia istis in majori numero accedunt peccatores habituati » (n. 77). Hæc S. Doctor de iis certe confessariis dicta vult qui habituatos eodem modo semper relapsos, neque ullum speciale doloris signum præbentes, passim absolvunt. (Cfr. infra n. 480).

273. — Libentissime quoque concedimus, hac nostra ætate multas esse regiones, in quibus ob tabescentem fidem, ne pejus quid contingat, multis recidivis formalibus qui nulla præbent specialia doloris signa, absolutio sub conditione danda sit, uti infra (n. 517) propria thesi stabiliemus. Atvero hanc praxim pro regula statuere, ut contraria doctrina vult, eamque ad totam extendere Ecclesiam et ad illas etiam regiones illosque pœnitentes, in quibus sacramentorum derelictio serio timenda non est, non solum oppositum ducimus institutioni sacramenti Pœnitentiæ et dispositionibus ad id requisitis, sed valde etiam exitiosum existimamus pro morum puritate et animarum salute, imo etiam pro fide catholica, ut scite supra (n. 271) advertit Card. van Rossum. Nam grave imminet periculum, ne etiam hæ regiones paulatim propter illam laxitatem morum, cui indiscreta hæc sacramenti Pœnitentiæ administratio quasi fomentum præbet, in rebus quoque fidei et religionis speculativæ magis magisque indifferentes evadant. (Cfr. infra n. 523-527).

V. — *Ex propositione* 60^ma^ *ab Innocentio XI proscripta.*

274. — Propositio hæc ita sonat: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.*

S. Alphonsus, tum hic (§ 7, pag. 218,) tum alibi passim (*Prax.* n. 71; *Conf. dir.* XV, 13; *Selva.* n. 17), hanc propositionem adducit ad refellendam sententiam thesi nostræ oppositam, quæ scilicet asserit, recidivo in peccandi consuetudinem toties concedi posse absolutionem quoties ad sacramentum accedit, modo more solito

non ficte testetur se dolere et proponere. — Idem de hac propositione censent plures auctores antiquiores et recentiores.

Propositio illa satis distincte et fere ad litteram reperitur apud Stephanum Bauny, ex quo etiam ejus sensus claret. Docet quippe hic auctor, recidivum sæpe admonitum et eodem semper modo relapsum toties quoties absolvi posse, etiamsi nulla appareat emendationis spes: sufficere autem confessario, ut de ejus necessario dolore et proposito constet ex proprio ipsius testimonio. Etenim Bauny, expresse rejiciens doctrinam Azorii, Suarezii aliorumque, ita suam sententiam enuntiat: « Dico 1º: Etsi *pœnitens consuetudinem peccandi habeat,* jurandive aut aliud simile quid admittendi *contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ,* non est tamen ei neganda absolutio, si vere eum admissorum pœnitet, ac emendandi sui propositum habet. Dico 2º: *Nec negandam, nec differendam ei, etsi emendationis* futuræ *spes nulla appareat* » (*De Pœn.* qu. 22). Item: « An adolescenti qui gravia ad confessionem peccata affert, maxime vero pollutiones crebras ac tactus, impertienda sit absolutio *toties quoties ?*... Quid si *sæpe admonitus,* nihilominus non sapit? Quid si de emendanda vita promissa non fecit? Quid si in expurgando animo *tollendaque peccandi consuetudine non laboravit ?* » Respondet autem: « Vera sententia, eaque tenenda habet, ne tunc quidem absolutionem ei negandam esse, *dummodo* dolore necessario instructus ad confessionem vitæ melioris consilium afferat; de quo sacerdoti, quantum fas est humanitus, ex signis aut *ejus ore voceque* constet » (qu. 15).

Eamdem doctrinam protulit Joannes Sanchez, ut jam supra (n. 250) vidimus. Recolendum autem est, utriusque auctoris opera a S. Sede prohibita fuisse.

275. — Jure autem meritoque hæc proscripta propositio contra doctrinam in thesi impugnatam affertur. Enimvero ex hac condemnatione duo patent, videlicet: 1º ut consuetudinarius absolvi possit, requiritur saltem aliqua spes emendationis; 2º ut hic absolvi possit, *per se* non sufficit pœnitentem ore proferre seu testari se vere dolere et proponere. Ergo non sufficit *per se* et *semper* simplex pœnitentis testimonium — quod esset signum ordinarium, — sed sæpe alia quædam requiruntur signa specialia, sive præterita sive præsentia, ex quibus confessarius merito concludere possit, pœnitentem seipsum non decipere, sed vere dolere et firmiter proponere, ac proinde adesse aliquam spem emendationis saltem inchoatæ; quæ est thesis nostra.

Apprime igitur hic notandum est, sensum propositionis esse: dummodo ore proferat, id est asserat et testetur, se *vere* dolere et proponere. Ita enim, ut vidimus, expresse docebant auctores hujus propositionis. Secus etiam propositio sensum non haberet: nemo enim catholicus unquam somniavit, sufficere dolorem modo mere externo vel ore tantum ac ficte prolatum, a. v. dolorem hypocritum et simulatum [1]. Agitur igitur hic de *signis* externis *veri* et interni

[1] Acute ita Berardi: « Quis nisi prorsus mente captus errorem adeo immanem proferre potuisset, quod scilicet absolvere liceat pœnitentem, quamvis ex ejus ipso modo loquendi

doloris, et damnatum fuit, solam oris prolationem seu solum testimonium ipsius pœnitentis (« dummodo ore proferat ») esse *per se* signum sufficiens veri sui doloris et firmi propositi; a. v. declaratum fuit, non semper credendum esse pœnitenti pro se dicenti. Ita etiam Cardenas (*Crisis.* IV, diss. 39, n. 29 sqq.) et Viva (*Trutina.* in h. l. n. 7 et 14) hanc propositionem explicant.

276. — *Dices* forte: Ergo nec prima vice habituato credi posset, eique absolutio conferri.

Resp. Nego consequentiam. Ex damnata propositione sequitur tantum, pœnitenti habituato, suum dolorem testanti, non *per se* et *semper* credi et absolutionem conferri posse. *Prima* autem vice certo adest aliqua spes emendationis, et merito creditur pœnitenti suum dolorem serio testanti. (Cfr. thes. 12ª, n. 230 sq.). Atvèro, si pœnitens iterum atque iterum idem testatur seu « ore profert », et tamen eodem semper modo statim relabitur, sine serio emendationis conatu, tunc profecto ipsius testimonio non amplius prudenter credi potest, et abest spes emendationis, nisi nunc aliud quoddam speciale doloris signum ostendat.

Instabis : Semper adest spes emendationis, etiamsi quis sexcenties ceciderit, quia « præcepta Dei non sunt impossibilia ».

Resp. Præcepta Dei utique possibilia sunt, si homo facit quod potest et petit quod non potest, secundum notum illud S. Augustini, admissum a Tridentino (*sess.* 6, *cap.* 11). Sed hujusmodi recidivus formalis neque facit quod potest, neque Dei auxilium ut se emendet sincere petit.

Opponit Ballerini: « Insipientissime affertur hæc propositio contra sententias, quæ supponunt adesse verum dolorem et firmum propositum » (n. 141).

Resp. Pace egregii viri, non contra has sententias propositio hæc affertur, sed contra sententiam ab ipso propugnatam, quæ dicit, sufficiens *signum* veri doloris et firmi propositi esse *per se* ipsam pœnitentis assertionem (« dummodo ore proferat »); de *signis* enim hujusmodi veri doloris agitur in hac propositione.

277. — Ex hactenus igitur dictis luculenter constat, merito S. Alphonsum aliosque theologos hanc propositionem 60ᵃᵐ ab Innocentio XI proscriptam adduxisse ad refellendam primam illam sententiam, quam thesis nostra impugnat. — Exempli loco citare lubet verba S. Leonardi a P. M. quæ nostrum argumentum resumunt. « Scire vellem, inquit, *cur* S. Sedes *damnaverit hanc pro-*

---

manifeste constet, illum ore dumtaxat et non ex corde dicere se dolere? Adde quod nulla pernicies nullumque scandalum ex tali dicto in praxi obvenisset, quia mente capto hujusmodi nemo profecto attendisset. Illi itaque fuisset necessarium manicomium, non vero decretum Pontificium... Numquid (SS. Pontifex) fuit ita simplex, credulus et imprudens, ut, nullo auctoris examine facto, serio sibi persuadere potuerit, non solum talem errorem fuisse scriptum, sed etiam necessarium esse decretum Urbis et Orbis ad impediendum, ne confessarii tamquam veritatem illum sequerentur? Hanc quidem deceptionem, credulitatem, simplicitatem et imprudentiam tribuunt laxistæ Innocentio XI; sed mihi, ut plane dicam, insanire videntur » (*De Rec.* n. 96).

positionem, quæ non vult, ut unquam differatur absolutio pœnitenti, licet recidivo et consuetudinario, dummodo ore proferat se dolere et proponere. Profecto non aliam ob *rationem* nisi *quia* ad prudentiam spectat confessarii, qua judicis et medici animarum, ut priusquam sententiam pronuntiet, formet judicium prudens et probabile de vera interna pœnitentis dispositione, sine qua non valet absolutio et frustra redditur sacramentum; et *quia ex frequentibus lapsibus et relapsibus* miseri recidivi et consuetudinarii magna nascitur *præsumptio*, ipsum re vera non habere prædictam internam dispositionem, atque in ipso deesse verum illum dolorem et propositum, quæ sunt materia proxima sacramenti. Optimo igitur jure hæc propositio proscripta fuit ut temeraria, erronea et scandalosa » (*Disc.* n. 9) [1].

VI. — *Ex instructione S. Congr. de Propaganda Fide*

(diei 29 aprilis 1784).

278. — Hanc Instructionem attente legere sufficit, ut ad liquidum constet, quantum roboris ex ea nostræ thesi accedat. Attamen quo ejus sensus probandique vis magis pateat, eam paucis commentari e re nostra erit. En textum:

« Confessarius, qui tamquam *judex* pro tribunali sedet et tam-
« quam *medicus* medicinam parare debet ægrotis, ipse *solus* scrutari
« potest, quanta sit criminum atrocitas, quæ ægritudinis perti-
« nacia, *quæ dispositio pœnitentis* [1]). Oportet *propterea* ipsum *di-*
« *ligenter investigare*, num qui ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt,
« eo animi dolore commissa crimina exsecrentur, qui a concilio Tri-
« dentino (*sess.* 14, *cap.* 4 *De Contrit.*) ad sacramenti integritatem
« requiritur; num vitæ novæ inchoationem ac præteritæ odium, *non*
« *voce dumtaxat ac labiis*, sed *intimo cordis affectu* polliceantur [2]);
« num *in testimonium* hujus ac firmæ voluntatis [3]) cessasse jam se
« aliquamdiu a peccatis doceant [4]) *a*); num eas occasiones quæ, vel
« per se vel ex propria malitia aut pravitate ad peccatum inducunt,
« si in eorum potestate fuerit, plane dimiserint *b*); num remedia
« alias ipsis proposita adhibuerint quorum præsidio peccatum in
« necessariis atque involuntariis occasionibus devitent *c*); num con-
« suetudinem peccati abjecerint *d*); num, si alias beneficium abso-
« lutionis obtinuerint, iterum in eadem crimina ex propria malitia
« relapsi, in eodem fuerint cœno volutati *e*); num rerum, famæ

---

[1] Eodem fere modo loquuntur Cardenas, *Crisis. l. c.*, Viva, *Trutina. l. c.*, Salmantic. (infra n. 313), Reiffenstuel (n. 315), Lacroix (n. 317), Roncaglia (ib.), aliique. Cfr. etiam Vind. Alph. ed. 2ª. t. I, p. XLIX-LVI; Berardi, *De Recid.* n. 96; Van Rossum, *De jud. sacr.* n. 60-69.

« atque honoris, in quo proximum læserint, parati ac prompti sint « resarcire damnum aut injuriam, si vires aut occasio suppetant. « Hæc aliaque plura *f*), quæ a laudatis S. Caroli instructionibus petere « missionarii possunt, diligenter ab ipsis expendenda sunt, prius- « quam beneficium absolutionis impendant » (*Collect.* I, n. 569).

COMMENTARIUS: 1) Ad *solum* igitur confessarium, quippe qui « judex » est, non autem ad ipsum pœnitentem, spectat judicium de hujus dispositione. Unde jam consequitur, non semper ac unice attendendum esse ad hujus attestationem: esset enim ordinis judicialis inversio (cfr. infra n. 281). Ad solum etiam confessarium, ut est « medicus», pertinet judicare, utrum necne dilatio absolutionis sit medicina utilis aut necessaria.

2) Quia ergo solus confessarius hac de re judicare debet, « propterea », inquit Instructio, sponte consequitur, ipsum quoque « diligenter investigare oportere », num *re ipsa* adsint ea quæ a Tridentino ad debitam dispositionem requiruntur, num scilicet criminis execratio, vitæ novæ inchoandæ propositum et peccati odium non « voce dumtaxat » proferantur, sed etiam « ex intimo cordis affectu » proficiscantur. Unde minime sufficit simplex interrogatio num pœnitens vere doleat, hujusque responsum affirmativum, etsi sincera fide datum; a. v. non semper sufficit signum ordinarium, nec semper credendum pœnitenti pro se dicenti.

3) Vult igitur Instructio, ut confessarius, *præter pœnitentis attestationem*, « diligenter investiget » et expendat alia specialia indicia et signa « *in testimonium* hujus (intimi cordis affectus) et firmæ voluntatis »; pœnitens quippe non verbis seu « voce dumtaxat », sed alio etiam modo probare seu *testari* debet veram suæ voluntatis mutationem.

4) Hic et in sequentibus Instructio enumerat alia illa signa specialia seu extraordinaria « in testimonium » veræ conversionis. Sunt autem magna ex parte eadem quæ S. Alphonsus infra (VI, 460, cfr. thes. 18) recenset; videlicet:

a) *Aliqua cessatio* a peccando (cfr. S. Alph. *l. c.* 2°).

b) *Occasionis* proximæ *dimissio* (cfr. S. Alph. *l. c.* 3°).

c) *Adhibitio remediorum*, quæ ipsis « alias » jam proposita sunt; agitur enim de pœnitentibus jam admonitis (cfr. S. Alph. *l. c.* 3°).

d) *Abjectio consuetudinis* peccandi, ita ut, licet aliquoties adhuc ex fragilitate ceciderint, tamen non in eumdem plane habitum seu consuetudinem relapsi fuerint (cfr. S. Alph. n. 459, §§ 6 et 7; supra p. 217 sq.).

e) *Consuetudinis imminutio vel interruptio*, ut nimirum recidivus non sit formalis et proprie dictus, seu relapsus in eadem plane crimina, idque « ex propria malitia », quod juxta S. Thomam idem est ac « ex habitu », ut supra (n. 194) vidimus. Ita etiam S. Alphonsus n. 459, § 7 (cfr. supra p. 218).

f) « Plura alia » signa, præcipue præsentia, indicat etiam S. Alphonsus, ut infra (n. 361 sq.) videre est.

279. — Efficacissima est igitur hæc sexta ratio petita ex Instructione S. Congr. de Propaganda Fide ad thesim nostram stabiliendam. Unde jure meritoque concludit Aertnys: « Hæc S. Sedis doctrina omnino confirmat doctrinam S. Alphonsi, probatque multum abesse ut doctrina S. Doctoris sit æquo rigidior. Quorsum deberet confessarius *peculiaria* indicia pœnitentiæ, quæ S. Congregatio recenset, investigare et expendere, si tandem nullum eorum esset necessarium

ad legitimam absolutionem impertiendam, sed sufficerent signa ordinaria, ipsa nempe confessio, ipsa affirmatio doloris et propositi? » (Aertnys-Damen, II, 486). Idem censet Card. van Rossum dicens: « S. Congr. de Prop. Fide *hanc de extraordinariis pœnitentiæ signis doctrinam suam fecit* eique maximum auctoritatis pondus adjecit » (*De jud. sacr.* n. 25).

Conclusio. Post omnes hasce probationes nemo prudens mirabitur, S. Alphonsum primam illam sententiam, quam in thesi nostra confutandam assumpsimus, dixisse simpliciter *falsam* (§ 4, p. 216). Sane, hæc thesis ex variis rationibus theologicis certe vera videtur, sola conducens ad animarum salutem, solaque conformis documentis Apostolicæ Sedis.

Corollarium

De sensu adagii: « Pœnitenti credendum est, sive pro se sive contra se loquenti ».

280. — Ex probatis necessario profluit *altera* theseos pars, quæ ejus est velut corollarium, videlicet: « Proinde adagium: *Pœnitenti credendum est sive pro se sive contra se loquenti* de hujusmodi recidivo intelligi nequit ». (Cfr. supra p. 227).

Huic autem conclusioni vehementer refragantur adversarii, præsertim Faure (Dub. 2, § 1 et 2) et Ballerini (*De Pœn.* n. 172-175, n. 188), qui hoc axioma ut unicum suæ doctrinæ argumentum allegant, ac proinde probare nituntur, illud indistincte intelligendum esse, etiamsi agitur de recidivo formali, qui quoties ad sacramentum accedit toties eodem modo relapsus est. Quapropter de sensu hujus axiomatis magis ex professo agendum nobis est.

281. — Age vero; jam *a priori* seu ex *principiis theologicis* dicendum est, illud adagium indiscriminatim accipi non posse, ubi de dispositione interna, i. e. de vero dolore firmoque proposito cujuslibet pœnitentis judicandum est. Etenim quum ex voluntate Christi, adeoque ex natura hujus sacramenti, confessarius in hoc tribunali sit *judex* et sententiam ferre, idest peccata aut remittere aut retinere, debeat, ad ipsum *solum* quoque spectat inquirere et judicare de rei seu peccatoris dispositione, quippe quæ ad rationem justæ sententiæ pertineat. Qua in re si unice penderet ex testimonio peccatoris, hic actus judicialis illusorius esset. Quod judex in hac judiciali inquisitione circa dispositionem ipsum quoque reum audire debeat, per se patet; sed ipse reus in hac sua causa propria facile sibi fucum facere potest; neque hoc judicium de dispositione ex sola ejus assertione, sed etiam ex aliis factis ac signis, sive præteritis

sive præsentibus, ab ipso pœnitente manifestatis, pendere potest. Ratio igitur distinctionis inter testimonium de facto externo et testimonium de dispositione interna est hæc, quod pœnitens multo facilius semet decipere et hallucinari potest de *interna* animi sui dispositione, eo quod aliquem quidem dolorem aliquodve propositum habeat, sed quæ non illis conditionibus munita sunt quæ jure divino juxta Tridentinum postulantur; de quibus dispositionibus, seu de cujus doloris et propositi sufficientia, *solus* confessarius judicare debet [1]. De facto autem *externo*, utpote sensibus obnoxio, pœnitens haud ita facile fallitur, de eoque, ceterum, ipse solus testis est. (Cfr. infra n. 288 sq.).

Quæ quum ita sint, doctrina illa quæ tenet, confessario semper pœnitentis assertioni circa hujus dispositionem habendam esse fidem, nobis videtur falsa et naturæ sacramenti Pœnitentiæ contraria, tum quia inversionem induceret ordinis judicialis, tum etiam quia sacerdotem, Dei in hoc tribunali ministrum, gravi exponeret periculo ferendi sententiam falsam et absolvendi in terris reum, quem Deus in cœlis non absolvit [2].

Hinc merito docet S. Alphonsus: « Confessarius non est *judex* opinionum quas pœnitens sequi teneatur, sed *tantum dispositionis* sui pœnitentis, ut patet ex Tridentino (*sess.* 14, *cap.* 5)... Qua de re, quoad illas opiniones quæ versantur circa præfatam *dispositionem pœnitentis*... pœnitens debet stare judicio confessarii, et *confessarius tenetur proprium sequi judicium* » (VI, 604).

282. — Nihilo tamen minus merito quidem adagium hoc a plurimis auctoribus tum antiquis tum recentibus adducitur; in tribunali enim Pœnitentiæ ipse pœnitens est reus et testis. Quod vero ad ejus *sensum* spectat, hæc duo statuimus:

1º Ab antiquioribus medii ævi theologis ante omnia hoc adagium intelligitur de *facto externo*, v. g. de confessione apud alium confessarium instituta, de peccato commisso, aut jam confesso etc.; et hoc sensu generatim quidem verissimum est. (Cfr. S. Alph. VI, n. 631).

2º Præsertim inde a sæculo XVI a plurimis etiam intelligitur de *dispositione interna* ipsius pœnitentis; atque hoc quoque sensu valet, ast *cum hac limitatione:* « nisi quid obstet », seu « nisi præsumptio stet in contrarium ». Ita etiam accipitur a S. Alphonso

---

[1] Cfr. *Instructio S. C. de Prop. Fide,* supra n. 278, Comm. *nota* 1 sqq.

[2] Apposite *Vind. Alph.:* « Utrum dolor quem pœnitens sentire testatur, *talis* sit qui jure divino ad remissionem peccatorum et gratiam sacramentalem accipiendam requiratur, non ipsius pœnitentis est judicare, sed confessarii, qui in quovis casu particulari, omnibus momentis et adjunctis perpensis, judicium justum et prudens sibi formare tenetur... Secus pœnitens jam non esset testis, sed judex, et quidem in propria causa; claves ligandi atque solvendi in ejus manus traderentur... Imo non tantum œconomia (hujus sacramenti subverteretur), sed et fundamentum atque actus judicialis, qualis ex definitione Concilii Tridentini absolutio sacramentalis est » (II, p. 343).

(n. 459, § 2; supra p. 173); neque aliter ab auctoribus classicis intellectum fuit.

283. — Hæc ut probemus, primo videndum est, quo sensu *auctores antiqui*, ab adversariis objecti, adagium nostrum acceperint.

Primus qui adducitur est S. Thomas, de quo Ballerini (*De Pœn.* n. 172) ait: « S. Thomas censet nec alio modo resciri dispositionem pœnitentis, nec majorem de ipsa certitudinem adquiri posse, quam ut ipsi pœnitenti credatur. Ita S. Doctor in IV, dist. 17, qu. 3, a. 3, qu. 5, ad 2 ». Ast egregie fallitur doctus auctor. Adeamus hunc locum, qui etiam reperitur in *Summa Theol. Suppl.* qu. 8, a. 5, ad 2.

Quærit in hoc articulo Doctor Angelicus: « Utrum aliquis possit *alteri quam proprio sacerdoti confiteri* ex privilegio vel mandato superioris? » Affirmat id S. Thomas, et ad secundam objectionem, videlicet quod *rector non posset cognoscere subditum, si hic alteri sacerdoti confitetur,* ita respondet: « Rector ecclesiæ debet vultum pecoris sui cognoscere dupliciter. Uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissum, et in hac cognitione non oportet quod credat subdito, sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo per confessionis manifestationem, et quantum ad hanc cognitionem non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat; quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius. Unde *in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se,* non autem in foro exterioris judicii. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit, quod *credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti fuisse confessum* ». Itaque tum ex quæstionis positione, tum ex objectione, tum ex ultima parte responsionis: « *Et ideo* etc. » — quæ verba Ballerini citans hunc textum omisit — luce clarius constat, S. Thomam hic tantum loqui de credendo pœnitenti testanti *factum externum,* nempe se *alteri sacerdoti confessum esse;* de credendo pœnitenti affirmanti suam internam *dispositionem* nihil hic habetur.

Opponit dein idem auctor locum ex *Opusc.* 7 (al. 12), qu. 6. Quærit hic S. Thomas: « An circumstantias peccati, trahentes in alterum genus non notabiliter aggravantes, teneatur homo confiteri *innotescendo personam cum qua peccaverit ?* » Responsum negativum confirmat etiam hac ratione: « In confessione est *credendum peccatori confitenti et pro se et contra se ;* sed *contra alium* nullo modo est ei credendum; alioquin daretur multis occasio fictæ confessionis et fraudulentæ informationis ». Ergo etiam hic tantum agitur de *facto externo accusationis,* idque *contra proximum ;* cui accusationi confessarius credere non tenetur, quia id multis abusibus ansam præbere potest. Nihil igitur hic iterum de pœnitente testante suam internam dispositionem.

Denique in tertio loco objecto ex *Quodl.* 1, a. 12, Doctor Angelicus iterum expresse agit de *solo facto externo* confessionis institutæ apud alterum sacerdotem; quod si testatur pœnitens, credere id tenetur confessarius: « Si autem sit impedimentum quod ad forum pœnitentiæ pertineat, scilicet peccatum, tenetur ei credere, et injuste agit (confessarius), si deneget Eucharistiam ei qui *perhibet se confessum et absolutum* ab eo qui absolvere potuit ».

Loci ergo, a Ballerini post Faure (*l. c.*) adducti, nihil prorsus efficiunt ad probandum suum de S. Thoma assertum. Unde merito Card. van Rossum: « Quis non videt in singulis locis allegatis S. Thomam loqui dumtaxat de fide generatim danda pœnitentibus quantum ad confessionem factorum, nullatenus vero de judicio formando quantum ad dispositionem confitentium? A primo ad alterum concludere nihil aliud est quam violare hanc logicæ regulam: *Latius hos quam præmissæ conclusio non vult* » (*De jud. sacr.* n. 23).

284. — Alii quoque antiqui scholastici, ab adversariis allegati, fere omnes tantum agunt de pœnitente testante *factum externum*, ad internam dispositionem non pertinens.

Sic e. g. S. Antoninus: « Sacerdos parochialis debet credere parochiano suo dicenti sibi, *se alteri fuisse confessum* ut ei det Eucharistiam; quia in foro pœnitentiali creditur unicuique pro se et contra se » (*Summa*, p. 3, tit. 14, cap. 19, § 19). De alio loco huius Sancti vide infra n. 324. — Similiter S. Vincentius Ferrerius (*Serm. in Sabb. post Lætare*) agit dumtaxat de testimonio pœnitentis circa peccatum admissum aut non admissum.

Card. de Turrecremata ait: « Sacerdos parochialis tenetur credere subdito suo dicenti *se esse confessum* ad hoc ut ei det Eucharistiam. Ita conclusio est D. Thomæ ». (In can. *Quem pœnitet.* 88, *De Pœnit.* diss. 1 ad art. 6, n. 29). — Eodem modo loquuntur alii Canonistæ.

Neque aliter Summistæ, e. gr. Fumus Armilla: « Parochiali sacerdos dicenti *se fuisse alteri confessum et absolutum*, quoad forum pœnitentiale tenetur credere, nec potest ei Eucharistiam negare secundum Thomam... Credere etiam tenetur dicenti *se habere licentiam confitendi* et recipiendi Communionem; quia nemo debet censeri immemor propriæ salutis, nisi de opposito constet » (Verbo: *Absolutio*, n. 21). Idem dicit Summa Tabiensis (Verbo: *Absolutio*, n. 45).

285. — Atvero, ut supra (n. 282) diximus, theologi, maxime inde a sæculo XVI [1], adagium hoc *etiam de dispositione* interna seu de vero dolore et proposito explicant; idque jure quidem ac merito, modo *cum debita restrictione* intelligatur.

Cajetanus, carpens usum dandi promiscue absolutionis formam *sub conditione*, etiam pœnitentibus dispositis, sic ait: « Errat sacerdos sic faciens, quia præsumit sub forma dubia tradere, quod Christus mandavit sub forma certa ministrari. De nullo enim magis debet curare absolvens quam de contritione et satisfactione pœnitentis; et tamen Ecclesia absque conditione aliqua credit pœnitenti *dicenti se esse contritum* et habere propositum satisfaciendi, et absolutionis beneficium impertitur *absque conditionali nota* » (*Summula*, v. *Absolutio*, vers. fin.). Optime sane; est hæc regula generalis, quam etiam S. Alphonsus admittit eamque applicat v. g. simplici consuetudinario (VI, 459, § 2, supra p. 173). Ast juxta omnes theologos hæc regula exceptionem et restrictionem ad-

---

[1] Aliquando, ast raro, auctores ex sæculis XIV et XV hoc adagium applicant quoque pœnitenti asserenti suum dolorem; sed intelligendi sunt cum eadem limitatione ac theologi ex sæculo XVI, ut scite advertit Francolini ajens: « Ego solum assero, S. Thomam et reliquos doctores docere, in foro conscientiæ credendum reo pro se et contra se, *nisi tamen sit aliqua præsumptio contra ipsum* » (*Francolinus Vind.* cap. 4, n. 9).

mittit, nempe pro *dubie* dispositis qui, si ob gravem quamdam rationem absolvuntur (cfr. thes. 22[a]), sub conditione sunt absolvendi; tales autem dubie dispositi sunt recidivi formales, qui semper eodem modo relabuntur et contra quos præsumptio stat in contrarium.

286. — Unde posteriores theologi, tam ante quam post S. Alphonsum, licet doceant hoc adagium etiam valere de pœnitente testante suam dispositionem, nihilominus passim disertis verbis ejus usum *restringunt et limitant* ad casus in quibus non habetur gravis suspicio aut præsumptio in contrarium. Aliquot saltem hic audire lubet; plurimos alios videbimus in thesi sequenti.

Reginaldus docet: Confessarius pœnitenti « serio affirmanti (se dolere) credere tenetur, *cum nihil apparet quod obstet* » (*Praxis*, lib. 8, n. 16).

Cardenas, explicans propositionem 60[am] ab Innocentio XI confixam, ait: « Qui propugnabant propositionem damnatam eo præcipue nitebantur fundamento, quod *confessarius tenetur credere pœnitenti asserenti* se habere dolorem de præteritis et propositum non peccandi in futurum, ut satis indicant ea verba postrema propositionis damnatæ: *dummodo ore proferat se dolere ac proponere emendationem* »; pro qua sententia profert Joannem Sanchez. Tum ita prosequitur: « Aliud est quod pœnitenti credendum sit quod dicit de suo proposito, quando nullum indicium nullave conjectura apparet in contrarium, et aliud quod illi credendum sit, quando apparet indicium *de nullitate propositi*. Etenim doctrina theologorum de fide habenda pœnitenti in illis quæ dicit, intelligitur non pro omni circumstantia, scilicet *non pro ea in qua sunt indicia contraria* » (*Crisis*. IV, diss. 39, n. 29 sqq.). — Cardenas pro se verbotenus citat Coninck, Cordubam, Ant. Perez, Suarez, Card. de Lugo, Dicastellum.

Item Viva, alter celeber interpres propositionum damnatarum: « Ad id quod additur de fide habenda pœnitenti qui ore profert se dolere et emendationem proponere, dicendum id esse verum, *quando protestatio non est contraria factis*. Quod si confiteatur quidem dictis se dolere, factis autem neget, eo quod millies in eadem statim peccata relapsus sit, tunc factis ejus potius quam dictis est credendum » (*In prop.* 60, n. 14; item n. 7).

Ven. Segneri ita confessarium alloquitur: « Si quis (recidivus) tibi videtur non efficaciter peccata detestari... tunc tibi nullo modo licitum est eum absolvere, *etiamsi ipsemet se contritum esse asserat ;* quia in hoc tribunali *tu judex es*, adeoque ad te quoque spectat judicare num sit dispositus; neque hac in re te remittere debes verbis rei, cui quidem utpote testi credere debes, *non vero quando fortior facti præsumptio ejus verborum protestationi adversatur* » (*Conf. istr.* cap. 4). — Cfr. etiam supra n. 270.

Andreucci eodem modo hoc axioma S. Thomæ restrictum vult: « In foro confessionis creditur homini pro se et contra se; intelligas: *nisi sit præsumptio in contrarium* » (*Confess. recidivi*, n. 10).

Francolini pluries eamdem limitationem repetit, contrariamque sententiam, ut sibi falso a calumniatore impactam, prorsus rejicit: « Doceo, confessarium habere sufficiens fundamentum judicandi quod pœnitens sit dispositus, dum is, aut exercite ipso modo confitendi, aut signate dicit se habere dolorem et propositum, *nisi sit præsumptio contra ipsum*. Cur deseris — ita calumniatorem suum alloquitur — hæc ultima verba, quibus doctrina illa generalis quam mihi affingis adeo restringitur? Qua fide id facis? Rursus id ipsum repeto his

verbis: *Est credendum pœnitenti, nisi sit præsumptio contra ipsum.* Et addo, hanc præsumptionem adesse, cum pœnitens non adhibuit post confessionem ullum conatum ne relabatur, ac proinde *ei in tali casu non esse credendum,* ut monet Card. de Lugo » (*Francolinus Vindic.* cap. 1, n. 1; ed. 1737, p. 116). — Hæc utique prorsus opposita sunt sententiæ Faure et Ballerini, apprime autem consona doctrinæ S. Alphonsi aliorumque probatorum auctorum.

287. — Ex *recentioribus* autem eos qui sequuntur adduxisse sufficiat.

Berardi objicienti hoc adagium respondet: « Restat ut confessarius credere quidem debeat pœnitenti asserenti se dolere et propositum habere, sed *dummodo,* prudenti circumspectione adhibita, *nullum grave dubium in contrarium adsit,* vel dummodo hoc ipsum dubium, opportunas adhibendo admonitiones, evanuerit. Ita enimvero rem hanc *semper intellexerunt theologi,* inter quos Billuart scripsit: In foro confessionis creditur homini pro se et contra se, si nihil obstet, concedo; *si quid obstet,* nego » (*De Recid.* n. 41).

Lehmkuhl de judicio confessarii circa pœnitentis dispositionem docet: « Hoc judicium imprimis efformatur ex sincera pœnitentis declaratione seu assertione, *nisi aliunde ejus assertio suspecta reddatur* seu grave præjudicium contra ejus dispositionem exsurgat... Quando igitur ex adjunctis tale præjudicium grave seu gravis suspicio contra pœnitentem ejusque dispositionem habetur: ad pœnitentis assertionem pro adminiculis probandæ dispositionis *accedere debent alia quædam argumenta* plus minusve gravia, quæ ad talem suspicionem sive minuendam sive penitus tollendam apta sunt. Quæ a multis vocantur signa doloris *extraordinaria* » (II, n. 548, 549).

Noldin quoque ait: « Si pœnitens sæpius jam admonitus sine ulla emendatione redeat, prudens se ingerit dubium de defectu veræ dispositionis, *etsi se dolere affirmet* » (n. 408).

Génicot item: « Fieri quandoque potest ut... confessarius prudenter jam credere nequeat pœnitenti (recidivo), *quantumcumque is se dolere dicat* » (n. 370).

Denique Card. van Rossum, postquam thesim nostram, adductis multorum antiquorum verbis, firmavit, ita prosequitur: « Ad testimonium theologorum accedunt, ut jam diximus, sana *ratio* et *experientia.* Ambæ docent dari inter christianos fictam seu existimatam pœnitentiam; quæ facile reperitur in eo genere pœnitentium, quos recidivos et occasionarios vocamus. Fidem habendam esse pœnitenti testanti se dolere et emendationem proponere, verum est, *quando protestatio non est contraria factis;* sin autem dictis quidem affirmet se dolere et firme proponere, factis autem negat, eo quod statim in eadem peccata relapsus sit, tunc factis ejus potius quam dictis est credendum. Et *quamvis* ejusmodi recidivus *protestetur se habere dolorem* et firmum propositum emendationis, id autem nullo signo speciali probet, *hallucinatur,* cum experientia præteritorum relapsuum doceat dolorem ac propositum esse umbratile. Hoc porro nostra ætate facilius quam antea contingit, propter grassantem indifferentismum religiosum; quo enim fides et religio est infirmior, eo cum majori animi levitate et temeritate affirmant confitentes et protestantur se ex animo dolere et proponere emendationem; aliquam displicentiam de peccatis et emendationis velleitatem tamquam verum dolorem firmumque propositum confessario exhibent. Quapropter *semper credere pœnitenti affirmanti* suam dispositionem *numquam periculosius quam hodie fuit;* inde confessarii persæpe decipientur,

persæpe indispositos absolvent, atque sic multi homines in peccatis suis absque emendatione obdurescent, ac Deus innumeris peccatis offendetur » (*De jud. sacr.* n. 21). — Hæc optime resumunt quæ hactenus de hoc adagio disputavimus. Plura, si lubet, vide apud eumdem van Rossum (n. 19-24) et apud *Vind. Alph.* (II, p. 342-354).

OBJECTIONIBUS SATISFIT

288. — *Objicitur* 1º textus S. Thomæ ex III, qu. 84, a. 10, ad 4; cui supra (n. 260) jam responsum est.

Obj. 2º. Confessarius nonnisi ex testimonio pœnitentis certus fit de ejus confessionis integritate seu de peccatis commissis. Ergo idem dicendum est de ejus dolore et proposito; ac proinde semper ipsi credendum est. Ita Faure, Ballerini, Pighi [1].

Resp. Nego paritatem. Etenim *peccata commissa* sunt *facta*, pœnitenti generatim optime nota, in quibus ordinarie propria hallucinatio timenda non est; vel saltem hæc, modo bona fides adsit, non ei nocebit, quum materialis integritas non requiratur sed formalis sufficiat. Verus autem dolor et firmum propositum sunt *dispositiones internæ et psychologicæ*, quæ facile propriæ hallucinationi et suggestioni subsunt, et aliis quoque signis sive præteritis sive præsentibus se produnt et probantur. Sunt præterea partes seu conditiones sacramenti *essentiales*, quæ si absunt, etsi bona fide et materialiter dumtaxat, sacramentum invalidum et infructuosum reddunt. De hisce ergo judicare *soli* confessario, tum qua judici tum qua sacramenti ministro, competit, idque ex jure divino. (Cfr. supra n. 281).

289. — *Instant* 1º. In pœnitente de suo vero dolore testanti « fraus non debet ullatenus supponi, ubi fraudis nulla foret ratio, imo fraus in pœnitentis tantummodo perniciem cederet ». Ita Ballerini (n. 172, item n. 188); Faure (*l. c.*).

Resp. Neque fraus seu animus decipiendi confessarium ullatenus a nobis supponitur, sed pœnitens potius bona quadam fide *seipsum decipere* vel seducere dicendus est. Sane, difficile sæpe est, præsertim tali recidivo in habitum, de requisitis ad verum dolorem judicare, et haud raro pro vero dolore levem quamdam aut naturalem displicentiam ac pro firmo proposito quamdam velleitatem accipiet [2]. Præterea hujusmodi pœnitens, in propria causa judicans,

---

[1] Faure dicit: « Non nisi ex testimonio pœnitentis sacerdos certus fit de confessione materialiter integra... Idem ergo dicendum de alia dispositionis parte, quæ in dolore sita est » (*l. c.* dub. 2, § 4). Ballerini eodem modo suam sententiam confirmat: « Nonne uni huic canoni nititur, quod confessarii tuta conscientia absolvant pœnitentes quasi integre confessos? » (n. 188). Et Pighi: « Sicut circa integritatem confessionis, ita circa dispositiones actuales pœnitentis, qualiscumque hic sit, credendum est pœnitenti, tam pro se quam contra se loquenti » (*Comment. de jud. sacram.* n. 44; ed. 2, n. 49).

[2] Merito Lehmkuhl: « Frequentior relapsus diminuit vim probandi, quam alias ipsius pœnitentis assertio habet. Etsi enim non illico inferri possit, pœnitentem velle scientem fallere,

facile ex quodam affectu quasi inexplorato sibi fucum facere sibique blandiri potest; quisque enim judicat prout est affectus. Hinc de hisce dispositionibus internis judicare ad solum confessarium spectat. (Cfr. n. 258, 278, 281) [1].

Instant 2º. Etiam specialia seu extraordinaria illa doloris signa fingi ac simulari a pœnitente possunt. Ita Faure (Dub. 2, § 4), Ballerini (n. 188).

Resp. Absolute id fieri posse, concedo; ast tunc erit fictio ac fraus positiva, a. v. mendacium, quo pœnitens confessarium decipere intendit, sicut quando peccatum grave voluntarie reticet. Hoc autem ordinarie supponi non debet, uti recte dicitur in prima instantia, quia « fraus in pœnitentis tantum perniciem cederet ». Ceterum qui ita sacrilege hæc signa positive fingere vellet, quo absolutionem carperet, multo facilius ipsam suam consuetudinem pravam celaret et in integritate formali deficeret. Excepto igitur hoc casu valde raro fraudis positivæ, communiter hæc signa specialia veram indicant contritionem firmumque propositum, et quasi naturaliter ex corde vere contrito procedunt. Atqui ex communiter contingentibus prudens fit judicium, ut docet S. Thomas (n. 259).

Itaque, tum ratione theologica tum gravissima auctoritate demonstratum manet, adagium hoc: *Pœnitenti credendum est sive pro se sive contra se dicenti* de testimonio circa dispositionem internam intelligendum non esse, si gravis obstat præsumptio contra

---

tamen suspicandum est, *ne ipse fallatur* in æstimanda propria sua voluntate ejusque firmitate non amplius peccandi » (*Neo-Confess.* n. 188, litt. *r*). — Item Berardi: « Quoad majorem partem pœnitentium defectus necessariæ dispositionis non mala, sed *bona fide* accidit. Id autem evenit... sive ex ignorantia circa necessitatem doloris interni, sive ex inadvertentia, sive ex hallucinatione, sumendo quamdam displicentiam et velleitatem pro dolore et proposito vero, sive etiam interdum ex credibilitate quod propositum aliquantulum melius se gerendi sufficiat » (*De Recid.* n. 40). — Item Card. van Rossum (supra n. 287) et S. Thomas a Villanova (infra n. 295).

[1] Plane abs re igitur hic ab aliquo recenti auctore objicitur doctrina communis de interpretandis dubiis in meliorem partem, de qua S. Thomas ait: « Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem interpretando quod dubium est » (II-II, qu 60, a. 4); quasi injuria inferretur pœnitenti, credendo ipsum esse mendacem ac sacrilegum, si confessarius non adhiberet fidem ipsi testanti se habere dolorem et propositum. — Etenim hæc doctrina valet de vita ordinaria, in qua de simplici proximo nobis judicare non competit, non autem de judicio sacramentali, in quo confessarius ut judex judicare debet de dispositione pœnitentis; quod judicium etiam formare debet ex aliis indiciis, utique ab ipso pœnitente manifestatis; a. v. non est hic judicium de aliquo, ut est proximus, sed ut est pœnitens, qui se submittere debet judicio confessarii, ergo de rebus seu de materia sacramentali, qualis est contritio. — Deinde, ut jam dictum est, confessarius judicans ex aliis indiciis pœnitentem non esse satis dispositum, non judicat ipsum velle mentiri et sacrilegium committere, sed ipsummet pœnitentem falli et decipi, testantem se vere dolere et firmiter proponere, quia verba factis, ab ipsomet manifestatis, non respondent. — Denique in judicio de simplici proximo nihil refert, si quis interpretans dubia in meliorem partem « frequentius fallitur », ut ait S. Thomas (ad 1), quia non debet judicium ferre secundum rei veritatem, sed secundum « bonum effectum » (ad 2). Atvero si hæc doctrina etiam judicio sacramentali applicaretur, sequeretur hoc absurdum, confessarium quoque absolvere debere pœnitentem, etiamsi frequentius ejus judicium esset falsum, a. v. etiamsi post examen sibi videatur pœnitens probabilius non esse dispositus.

pœnitentem. Quapropter immerito prorsus a Faure, Ballerini aliisque paucis theologis hoc axioma thesi nostræ oppositum fuit; imo genuina ejus explicatio thesi plane suffragatur.

Sed jam deinceps de argumento auctoritatis prolixius nobis agendum est.

ARTICULUS II.

De absolutione recidivorum juxta antiquorum Theologorum doctrinam.

THESIS 14ª.

Theologi antiqui quasi communiter docent, recidivum formalem, solum signum ordinarium seu proprium sui doloris testimonium præbentem, nequaquam toties quoties absolvi posse. Huic enim, nisi alia quædam specialia doloris signa exhibeat, saltem post aliquas confessiones, utpote non satis disposito, absolutionem differendam esse, non suadent modo, sed etiam præcipiunt.

PRÆNOTANDA

290. — De *sanctorum Patrum* doctrina consulto inquirere non lubet, quia hanc quæstionem in propriis terminis non tractaverunt. Sæpissime quidem loquuntur de vera et falsa pœnitentia, sed potius fideles exhortando quam confessarios docendo. Quando frequenter dicunt, falsam esse pœnitentiam quæ operibus non probetur, haud immerito exinde colligi posse videtur, eos saltem serio dubitasse de vera contritione et pœnitentia illius qui post confessiones suas nullam operam, nullumve studium aut conatum ad se emendandum adhibere solent. Sed tamen perperam ex hoc principio cum rigoristis deduceres, juxta Patres falsam fuisse pœnitentiam, quam non plena sequeretur emendatio, aut dubium de præterita pœnitentia solvi non posse per nova signa specialia quæ præsentem voluntatis mutationem proderent. (Cfr. infra thes. 16ª, n. 343). Humanam enim voluntatem debilem facileque mutabilem esse, Patres probe notum habebant. Unde aliis locis, tum fideles relapsos ad fiduciam capiendam hortabantur, tum Ecclesiæ pastores ad benigne excipiendos peccatores omnes qui fletu aliisve signis veram suam conversionem ostendebant [1].

291. — Neque etiam de sententia *doctorum medii ævi* agere operæ pretium est, quia ipsi quoque de confessariorum agendi ratione cum recidivis formalibus vix tractant, sed fere solum generalia quædam de relapsis statuunt principia dogmatica, ex Patrum doctrina deducta. Monent quidem cum Patribus contra falsam pœnitentiam, sed ex quibus indiciis vera pœnitentia a falsa aut dubia dignoscatur, parum distincte determinant. Neque id determinare tunc adeo opus erat, quia illo

[1] Quædam Patrum testimonia vide apud S. Alphonsum (h. l. § 7 et § 12), Berardi (n. 80).

tempore, sicut etiam posteris medii ævi sæculis, pœnitentiæ et satisfactiones valde graves adhuc imponebantur, quarum acceptio et adimpletio certe solidum et speciale veræ contritionis signum erat.

292. — Specialis itaque erat ratio, cur illi medii ævi theologi parum de absolutione differenda locuti sint. Videlicet illis etiam temporibus, quum fides adhuc vivax et valida erat, generatim pœnitentiæ gravissimæ a confessariis imponi et a pœnitentibus accipi solebant. Harum autem impletio generatim signum erat validissimum, præcedentem eorum conversionem fuisse sinceram, seriumque emendationis studium fuisse adhibitum, eosque proinde, utpote recidivos tantum materiales, absolvi potuisse. Videsis Berardi (*De Recid.* n. 82-89), qui fuse et erudite ostendit, non solum usque ad sæculum XII, sed etiam posteris sæculis, quum antiqui canones pœnitentiales non amplius applicabantur, pœnitentias valde graves (jejunia, peregrinationes, longas orationes, eleemosynas, corporis castigationes etc.) adhuc in usu fuisse, easque efficax remedium fuisse contra relapsum, juxta illud Catechismi Romani: « Procul dubio magnopere a peccato revocant et quasi freno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in posterum pœnitentes efficiunt » (*De Pœn.* n. 66). Fuit idcirco tunc confessariorum praxis, initio confessionis pœnitentes interrogare, num pœnitentias impositas implevissent, uti iterum ex illis theologis constat; unde adhuc in Rituali Romano dicitur: « Mox confessarius inquirat,... an impositam pœnitentiam adimpleverint » (*De Pœn.* n. 12). Hanc igitur pœnitentiam valde gravem si pœnitens adimpleverat, confessarius procul dubio prudenter judicare poterat, ipsum quoque serios se emendandi conatus adhibuisse, ac proinde eum, utpote recidivum tantum materialem, absolvi potuisse; idque eo magis, si etiamnum post relapsum easdem graves pœnitentias accipere volebat [1].

Atvero, quum postea frigescente spiritu fidei paulatim pœnitentiæ multo minores, imo, si comparantur cum antiquis illis operibus satisfactoriis, valde exiguæ imponi solebant, necesse fuit vigilantius attendere et inquirere, num veræ illæ adessent dispositiones quæ ex natura rei ad sacramentum Pœnitentiæ postulantur; atque idcirco meritissimo theologi alia signa specialia, præter pœnitentiæ adimpletionem et ipsius pœnitentis testimonium, exigebant, quibus verus dolor firmumque propositum constaret. (Cfr. *Vind. Alph.* II, p. 303 sq., 369 sq.; Berardi, *l. c.*).

Præterea medio illo ævo, ut historia constat, peccatores admodum raro, ut plurimum semel tantum in anno versus festum Paschatis, ad confessionem accedere solebant, ad quam generatim per totam Quadragesimam rigido jejunio et pœnitentia se præparabant. Ita certe plurimi rite dispositi confitebantur; unde antiquis illis auctoribus non adeo locus erat agendi de absolutionis dilatione. Quum autem post concilium Tridentinum paulatim frequentior sacramentorum usus feliciter multum invaluit, seria illa præparatio facilius desiderabatur, et multi peccatores habituati ex mera quadam consuetudine statis per annum temporibus

---

[1] Quod si quidam antiquiores dicunt, absolvi posse qui graves illas pœnitentias accipere recusarent, passim cum Cajetano hanc allegant rationem: « ne desperatus in infernum se præcipitet, a quo non multum distare videtur qui in hujusmodi pertinacia persistit » (*Summula*, v. *Conf. condit.*). Indicant ergo exceptionem a regula ordinaria. Atqui ob talem rationem, ne scilicet pœnitens in peccatis tabescat et desperabundus pereat, absolutio etiam dubie dispositi concedi potest, ut docet S. Alphonsus infra thesi 22ª. Cfr. Berardi, n. 89.

ad sacramenta accedebant, erantque vere recidivi formales. Quapropter posteri theologi de debita dispositione solliciti, diligentius indagarunt de veris ejus signis ac indiciis, et dilationem absolutionis præscripserunt pro illis recidivis, qui eodem semper modo relabebantur neque ullum speciale dispositionis signum præbebant; hancque dilationem censebant necessarium saepe et efficax remedium contra illorum leviorem parumque consideratam agendi rationem [1].

Denique notandum — id quod ex præcedentibus jam consequens est, — hanc tractationem *de occasionariis et recidivis* medio ævo adhuc nimis vagam, parumque limitibus certisque distinctionibus circumscriptam fuisse; quod quidem confessariis haud paucis ansam præbuit magnæ illi in absolvendo laxitati, quam adeo deplorarunt S. Thomas a Villanova, S. Carolus Borromæus, B. Bellarminus, aliique viri zelo salutis animarum succensi. Unde jure meritoque multi theologi, præcipue post concilium Tridentinum, gravissimam hanc quæstionem seduliore studio tractare cœperunt, necessarias distinctiones introduxerunt et justis limitibus certisque regulis et signis definierunt. Hinc est quod in hac thesi nostram inquisitionem restrinximus fere ad auctores qui inde a sæculo XVI scripserunt. (Vide etiam infra n. 441).

293. — De *sensu* hujus thesis plura præmittere opus non est; agitur enim de *recidivo formali*, qualem sæpe descripsimus, qui nempe jam admonitus sine ulla emendatione, sine ullo fere conatu aut remedio adhibito semper eodem modo in habitum relabitur, neque etiam in præsenti ullum speciale aut extraordinarium doloris signum præbet, sed solum serio testatur, se vere dolere et proponere. (Cfr. thes. 11ª).

Hæc autem thesis — idque apprime fac advertas — nequaquam probare intendit, huic recidivo, antea rite admonito et absoluto, jam prima vice absolutionem differri debere; de hac enim quæstione in sequenti thesi 15ª loquemur. Hic solummodo ex auctoritate antiquorum theologorum ostenditur, talem recidivum *non semper* ac *toties quoties* ad sacramentum accedit suumque dolorem et propositum sincere testatur, absolvi posse. Dirigitur ergo dumtaxat contra *primam* sententiam supra (n. 249) expositam, cui soli etiam S. Alphonsus « sententiam communem » aliorum theologorum opponit (h. l. § 6 et 7).

294. — Huic quoque thesi *adversantur* Faure, sed præsertim Ballerini, quem aliquot recentes secuti sunt. Hic enim auctor ex professo et fuse S. Alphonsum impugnat (*De Pœn.* n. 145-167) et probare nititur, *communem theologorum doctrinam* hanc esse, recidivum formalem, quotiescumque ceciderit, semper dispositum esse

---

[1] Cfr. Francolini, *De Pœn. discipl.* lib. 3, cap. 10, n. 4-6. Hic auctor toto hoc libro fuse et erudite de pœnitentiæ disciplina contra rigoristas scripsit. Ejus autem conclusiones practicæ S. Alphonsi doctrinæ optime concordant; vide supra n. 286 et infra n. 314.

habendum, modo sincere, id est sine fictione et mendacio, asserat se vere dolere et proponere; — huic assertioni confessarium semper credere debere, ac proinde ex officio judicis, ipsi toties quoties absolutionem concedere posse; — neque unquam necessarium esse huic ob defectum sufficientis dispositionis absolutionem differre; hoc tantum aliquando utile esse, ut remedium contra relapsum. Hinc sententiam S. Alphonsi vocat « novam » et « recentem »; qui autem S. Doctorem sequuntur passim vocat « recentiores», eisque « antiquos » theologos opponit. (Vide ejus verba infra n. 322-327, 339, 2°).

Verum enim vero oppido fallitur doctus vir. Nos igitur probatum ibimus, *theologos antiquos quasi communiter contrarium docere.* Minime quidem negamus, eos identidem dicere, esse consilium recidivis aliquando absolutionem differre; sed id et nos dicimus, quippe qui cum communi sententia docemus, confessarium ut medicum recidivis etiam rite dispositis interdum utiliter absolutionem differre posse, ut infra (n. 323, n. 435 sqq.) videbimus. Atvero simul expresse antiqui theologi asserunt, recidivis qui numquam se emendant nec serio se emendare student, absolutionem non semper esse concedendam, sed per se illis aut statim aut post aliquas saltem confessiones differendam esse, — eorum conversionem sæpe non esse veram neque propositum sufficiens, eorumque testimoniis de dolore et proposito nequaquam semper esse fidendum, — postulari saltem in præsenti confessione alia quædam, præter eorum testimonium, specialia doloris signa antequam absolvantur. Verbo, tali recidivo in habitum peccandi, nisi signa peculiaria aut extraordinaria sive præterita sive præsentia præbeat, *utpote non sufficienter disposito*, a confessario, prout *judex* est, absolutionem, saltem post plures confessiones, differri debere, non modo ut utile consilium proponunt, sed ut *necessarium præcipiunt* (cfr. infra n. 320). Hoc jam probatum ibimus.

Probatur Thesis

§ 1. *Theologi qui vitæ sanctitate eminuerunt.*

295. — Probationem exordimur ab illis auctoribus, quorum doctrina a pluribus conciliis Provincialibus confessariis ut norma sequenda commendata est. Horum quippe auctoritas in nostra materia prægravis est, quum non scientia solum theologica, sed etiam vitæ sanctitate et experientia sacri tribunalis eminuerint, atque genuino Christi spiritu, zelo nempe pro gloria Dei et animarum salute, repleti fuerint [1].

[1] Sic e. g. consessus Episcoporum Umbriæ (anno 1849) commendat confessariis « doctrinam uniformem, stabilem, et ab auctoribus scientia et sanctitate præstantibus probatam: ideoque curent omnes sibi comparare et sæpius perlegere illa tria aurea opuscula: alterum sancti

S. Thomas a Villanova († 1555), episcopus Valentinus, de recidivis formalibus hæc docet:

« Videant... qui post confessionem *statim* redeunt ad peccatum suum, quam male securi sunt. Non enim fuit illa vera pœnitentia sed falsa... Nam qui ad mala quæ ploraverat rediit, hic agere pœnitentiam aut nescit aut dissimulat. Non quod ad veram pœnitentiam requiratur quod peccator numquam amplius redeat ad peccatum; sed requiritur propositum verum et firmum non redeundi. Quod utique non est in illis qui *tam leviter, tam facile, tam cito* relabuntur... Et *licet in confessione dicant quod vere proponunt, non credas*, quia *decipiunt seipsos*. Unde de hujusmodi consulo confessoribus, ut mittant eos in domus suas, et cum invenerint correctos et emendatos, tunc absolvant. Melius est enim differre quam decipere eos » (*Serm.* 3 *in Dom.* 3 *Quadrag.*). — Ratio adducta scilicet *falsa* pœnitentia et *defectus veri propositi*, ostendit illud « consulo » generatim ut *præceptum* habendum esse, nisi confessarius post ferventem exhortationem hic et nunc aliud speciale veri doloris signum inveniat.

296. — S. Carolus Borromæus († 1584) — de cujus auctoritate hac in materia vide supra (n. 182 sqq.) — de recidivis in peccata circa officia domestica ait:

« Si pluries admoniti fuerint neque ullatenus emendati, (confessarius) differat illis dare absolutionem, *donec emendationem inchoaverint, veraque* emendationis signa et documenta per aliquod tempus dederint »; idemque principium aliis quoque habituatis applicat (*Avvertimenti*, n. 36). Et brevi post hæc præscribit: « Differenda est etiam absolutio, *donec appareat aliqua emendatio* illis quos, *licet dicant et promittant se peccatum relicturos*, nihilominus illud eos non relicturos esse confessarius probabiliter judicat [1]; quales sunt aliqui homines, imprimis juvenes otiosi, qui majori temporis parte ludis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blasphemiis, sermonibus inhonestis, murmurationibus, odiis, detractionibus vacare solent, et qui ultimis tantum Quadragesimæ diebus ad confessionem accedunt; item illis qui a multis annis in iisdem peccatis perseverarunt et relapsi sunt, neque ullam se emendandi diligentiam adhibuerint » (n. 38). — Docet ergo S. Præsul primo solam assertionem et promissionem illorum qui adeo in peccatis habituati et recidivi sunt non esse sufficiens pœnitentiæ signum, secundo aliquam saltem inchoatam emendationem in illis requiri antequam absolvantur.

Alphonsi de Ligorio: *Istruzione per i Confessori*, alterum Pauli Segneri: *Il Confessore e il Parroco istruito*, tertium beati Leonardi a P. M.: *La Santa Lega dei Confessori* » (*Coll. Lacensis*, VI, 758). — Conventus Epp. Lauretanus (a. 1850) confessariis commendat « in iis versari documentis quæ de recta sacramentali praxi adhibenda S. Carolus Borromæus et nuper S. Alphonsus Ligorius concinnarunt ». (ib. VI, 784, sq.). — Synodus provincialis Neogranatensis dicit, confessarios in sancta regiminis animarum scientia proficere tantummodo posse « probatos moralis theologiæ auctores continuo consulendo et præ manibus habendo Angelici Doctoris doctrinas, S. Alphonsi M. Ligorii opera moralia, monita Sanctissimorum Antistitum Caroli Borromæi, Francisci Salesii et pii viri Ludovici Granatensis » (ib. VI, 512). — Concilium provinciale Venetum (a. 1859) præcipit: « Morum doctrinam et prudentiæ regulas hauriat confessarius ab auctoribus probatis;... monita S. Caroli Borromæi et S. Francisci Salesii, nec non opera B. Leonardi a P. M. et præsertim S. Alphonsi M. de Ligorio diurna nocturnaque manu versare studeat » (ib. VI, 334).

[1] Textus originalis sic habet: « il confessore giudica probabilmente che non lo lascieranno »; quod ex contextu ita explicandum est: confessarius judicat valde probabiliter, eos in eumdem habitum eodem modo sine ulla emendatione relapsuros esse.

Beatus Bellarminus († 1621) dicit, eos qui *statim* post confessionem relabuntur, præbere *signum defectus veri propositi:*

« Quam multi erunt ex iis, qui, non dico post unum mensem, non post unam hebdomadam, sed cras hac hora rursus erunt in pristino suo cœno! Id vero quid significat? Nonne eos ex consuetudine confessos esse, non quod animum haberent et *propositum* vere relinquendi peccata? » (*Dom. IV Adv. conc.* 8; ap. Berardi, n. 91). Quam periculosum reputet eos semper absolvere, testatur hoc celebri suo effato: « Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi » (*l. c.*, cfr. supra n. 268, *nota*).

S. Franciscus Salesius († 1622), insistens S. Caroli vestigiis, in suis « Constitutionibus Synodalibus » hæc præcipit:

« Confessarii differant absolutionem illis quos hac gratia indignos judicabunt, cujusmodi sunt... qui vitiosis habitibus blasphemiæ, luxuriæ etc. eradicandis *omnes nervos non intenderunt*, in confessione *alias moniti* » (*Const. et Instruct. Synod.* tit. 9, cap. 5, n. 3). — Ad hunc locum S. Doctoris remittunt Benedictus XIV (*De Syn.* lib. 11, cap. 2, n. 18) et *Instructio S. C. de Prop. Fide* mensis Aug. 1827 (supra n. 268).

Ven. Ludovicus Granatensis († 1588), vir vitæ sanctitate et doctrina omnibus conspicuus, agens de *falsa* pœnitentia, dicit:

« Talis eorum pœnitentia esse videtur qui, ubi primum scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem *protinus relabuntur*, neque de prava *consuetudine* et licentia jurandi, pejerandi, mentiendi, detrahendi, maledicendi, maleprecandi atque concupiscendi quidquam remittunt neque ullum virtutis ac pietatis officium amplectuntur, sed *iidem omnino permanent* qui antea fuerunt ». (*Conc.* 2 *de Pœnit.*; ap. Andreucci, *Conf. recid.* n. 1). De iisdem ergo recidivis agit ac S. Alphonsus (cfr. thes. 11ª). Jamvero, si in præterita confessione hujusmodi recidivi pœnitentia falsa fuit, idem de præsenti confessione serio præsumendum est, nisi speciale nunc veræ pœnitentiæ signum præbet.

297. — S. Leonardus a P. M. († 1751), ut jam supra (n. 269) vidimus, eodem modo ac S. Alphonsus ex frequenti hujusmodi recidivi relapsu infert, *gravem adesse præsumptionem* defectus veræ dispositionis, hancque rationem esse ait, cur propositio 60ª ab Innocentio XI proscripta sit; unde sequitur, huic per se absolutionem differri *debere.*

Statim post (*Disc.* n. 10) sanctus auctor primo varia enumerat signa *particularia*, ex quibus confessarius prudens judicium de interna hujus recidivi dispositione formare queat; sunt autem similia iis quæ S. Alphonsus recenset (infra thes. 18ª). Dein indicat signa fictæ aut dubiæ dispositionis, quorum hoc ultimum: « Si magna in ipso apparet propensio in peccatum, pravaque inclinatio tam vehemens quæ indicat, ipsum adeo peccato addictum esse ut, *licet ore dicat se dolere, prudenter ei fides haberi nequeat* ». Hujusmodi pœnitentem confessarius conari quidem debet ferventi exhortatione disponere; ast, inquit, « si exinde dubium deponere non valet, absolutionem differre *debet*, usquedum pœnitens *certiora signa* suæ dispositionis præbeat » (*l. c.*, n. 11). Et brevi post (n. 13) addit, in praxi hujusmodi recidivum haud ita facile tali exhortatione ad pœnitentiam disponi. (Vide infra n. 357).

Ven. Paulus Segneri († 1694), theologus æque ac missionarius celeberrimus, eamdem sæpe doctrinam profert. Tractans ex industria

de recidivis, primo graviter queritur, ut jam supra (n. 270) vidimus, de multitudine confessionum invalidarum et sacrilegarum ob defectum propositi. Tum sic prosequitur:

« Considerandum est, inquit, quod, licet reditus ad confessionem cum iisdem peccatis non sit evidens signum propositum non fuisse verum, est tamen *hujus defectus grave indicium*, maxime quoties nulla apparet emendatio, imo neque ullum ad eam adhibetur medium. Hoc quippe signum est voluntatis efficacis: adhibere nempe media apta ad propositum exsequendum. Qui vere vult aliquam rem, statim de eam assequendi modo cogitat... Ast si reditis cum *iisdem semper peccatis*, admissis cum *eadem facilitate*, cum eadem voluptate, cum *eadem indiligentia* in procuranda emendatione: quo modo prudenter credere possum, vos toto corde conversos esse, quemadmodum id exigit Dominus?... Atque ita miseri hi recidivi, qui nullam præ se ferunt emendationem, suas confessiones *valde suspectas* habere debent, adeoque timore et tremore concuti. Ipse quoque confessarius, nisi illos *modo valde extraordinario commotos* viderit, *non ita facile eorum proposito fidem habere debet*, sed hoc probare oportet differendo, si opus est, absolutionem; quod quidem remedium *in multis casibus unicum* esse solet contra hoc malum » (*Penit. istr.* cap. 8).

Alibi, confessarium circa recidivos instruens, post verba supra (n. 286) adducta de non habendo fidem testimonio pœnitentis, quando fortior præsumptio stat contra ipsum, hæc *de signis veri propositi* addit: « At, inquies, hic est cardo difficultatis: quæ sit recta regula quam secure sequi possim ut sciam, quando horum promissis fides præbenda sit, quando vero neganda. Respondeo: si peccator hujusmodi in sui accusatione præbet *signa doloris non ordinarii ;* si confessum venit *non ex usu, sed ut remedium quærat* contra peccata quorum *insolitum remorsum* experitur; si *aliquam emendationem* affert, vel saltem aliquam sollicitudinem *aliquodve studium se emendandi* adhibuit; si *antea non admonitus* de sui mali gravitate, nunc bono animo admonitionem accipit, statuitque uti mediis præscriptis quibus a relapsu præmuniatur: in omnibus hisce casibus ipsi credere oportet, eique ut disposito absolutio dari. Sed si, e contrario, nullam ex hisce dispositionibus tibi affert, sed potius crescentem scelerum cumulum, eorum pondus non sentiens, nihilque cogitans de illo excutiendo aut minuendo: qua prudentia eum contritum judicabis? Quomodo reputabis efficacem illam voluntatem quæ *nullum adhibet medium* ad finem consequendum? Revera tale propositum non est marmori incisum, ne quidem cretæ aut ceræ, sed aquæ inscriptum. At, quid faciendum, si indicia adeo dubia essent, ut nescias quid sit statuendum? In hoc casu ad deliberandum temporis spatium tibi sume. Pœnitenti tuo absolutionem non nega, sed differ. Redeat postea statuto tempore, ut ipse interea *signis aliquanto certioribus* pœnitentiæ se disponat, et ut majus lumen accipere possis, tum a prudentia, attentius ejus statum expendendo, tum ab oratione, ferventius te Domino commendando ». (*Conf. istr.* cap. 4). — Habes hic totam quantam doctrinam S. Alphonsi. Quod autem Segneri « dolorem non ordinarium » postulat, ex contextu rite explicabis per *signa extraordinaria seu certiora* doloris; qualia eadem recenset quæ a sancto nostro Doctore indicantur (infra thesi 18[a]). Sine talibus signis juxta Segneri *ob defectum sufficientis propositi* absolutio differenda est.

Atque hæc quidem hactenus de sanctis illis doctisque viris, a pluribus conciliis Provincialibus una cum S. Alphonso commendatis, quorum doctrina optime cum sancti Doctoris nostri sententia con-

cordat. Docent quippe, graviter *dubitandum esse de proposito* recidivi formalis qui nihil curæ ad se emendandum contulit, ac proinde absolutionem ei differendam esse, nisi hic, ut aliqui addunt, nunc *specialia* seu *extraordinaria* doloris signa ostendat.

§ 2. *Theologi a fine sæculi XVI usque ad Innocentium XI.*

298. — Sed etiam alii theologi qui inde ab exeunte sæc. XVI usque ad Innocentium XI scripserunt, thesim nostram de recidivis confirmant, adeoque primæ quam oppugnamus sententiæ adversantur.

Bartholomæus Medina († 1581) de consuetudinariis recidivis hæc dicit:

« Si qui ad confessionem venit sæpe juraverit ex mala quam habet consuetudine, atque hoc pluries confessus est sed *numquam se emendavit*, non debet absolvi, sed absolutio differri per aliquot dies, quibus invigilet in deponenda penitusque relinquenda hac prava jurandi consuetudine... At si bis peccatum hoc fuerit confessus aut ter, *magnumque dolorem* demonstrat atque paratus est aliquo uti remedio, juxta meam sententiam est absolvendus, cum peccatum istud magis videatur esse in ore quam in corde » (*Inst. conf.* lib. 1, cap. 14, § 5). Magnus ille dolor sane non demonstratur nisi per quædam signa non ordinaria. Hæc de temere jurantibus, de quibus tamen juxta S. Alphonsum (III, 150) mitius quam de aliis consuetudinariis est judicandum. — De blasphemis autem Medina merito paulo severius judicat: « Si quis ex blasphemis istis voluerit confiteri, eique mos fuerit blasphemandi, *neque præteritis confessionibus se emendavit*, non debet eum confessor absolvere, *quamvis se emendaturum dixerit*, sed debet eum sine absolutione relinquere per aliquos dies; sique postmodum fuerit emendatus, absolvat, alioquin minime. Nam qui toties deliquit in aliquo, nec se tot confessionibus emendavit, credendum est quod neque nunc firme se emendare *proposuit ;* at si nunc *primum* deliquit, non est ei absolutio differenda » (*l. c.*, § 2). — Ratio igitur, cur Medina recidivis absolutionem differre præcipiat, non obstantibus eorum promissis, est gravis præsumptio infirmi propositi.

Joannes Corradus († 1606) iisdem fere verbis ac Medina suam profert sententiam (*Responsa.* qu. 15).

Eamdem doctrinam secutus est etiam Ludovicus Lopez († 1595), adductus a S. Alphonso. Docet nimirum post Medinam:

« Si blasphemus assuetus blasphemare venerit ad confessionem, neque per præmissas antea confessiones resipuit, non est absolvendus a confessore, *etiamsi polliceatur emendam.* Relinquendus est ergo per dies aliquot, ut contra se nitatur sibique resistat. Quod si jam emendatus accesserit, absolvatur; alias minime absolvendus. Si autem tunc in illa *prima* confessione primo talem inveniri contigit, dum animus se emendandi ei non desit et dolor adsit de præterito, non est ab absolutione retardandus » (*Instruct. consc.* part. 1, cap. 25, vers. fin. 3°). — Hæc apprime consonant S. Alphonsi doctrinæ. Lopez autem hic non consilium dat, sed præceptum.

299. — Item Emmanuel Rodriguez († 1613), pariter a nostro Doctore citatus:

« Si aliquis est consuetus dicere blasphemias, si veniens ad confessionem dicit, (se) promisisse in confessionibus præteritis emendationem, *idemque promittat in præsenti*, non debet absolvi, sed *debet differri* illi absolutio, ut sic resipiscat et emendetur; quod si fiat, poterit illum absolvere, et non aliter » (*Summa*, part. 1, cap. 34, n. 5). Itaque iteratis promissis standum non est, si quis in eumdem habitum sine ulla emendatione relabitur. — Alibi de temere jurantibus dicit: « Si bis aut ter confessus est peccator hoc peccatum et ostendit ejus *magnum dolorem* et est paratus ad imponendum remedium, debet absolvi » (*l. c.*, cap. 192, n. 13). Ostendere autem « magnum dolorem » est jam signum speciale.

Azor († 1603) de modo tractandi blasphemos docet:

« Respondeo distinguendum esse; nam qui assueti blasphemiis maledicta in Deum vel Sanctos passim conferunt, simpliciter illi quidem non sunt ab absolutione criminis arcendi, sed *ad tempus ab ea suspensi* merito detinendi, ut interim pravam et perversam consuetudinem aliqua ex parte deponant et exuant. Si tamen *signa certa et manifesta* doloris et detestationis suæ illius sacrilegæ impietatis dederint, nec in aliud tempus absolutio commode differri queat, absolvi a peccatis queunt » (part. I, lib. 9, cap. 28, qu. 18). Hæc « signa certa et manifesta » utique quædam specialia sunt: si ordinaria et probabilia tantum dederint, uti est simplex promissio, ad tempus differendi sunt.

Henriquez († 1608) de recidivis hæc præcipit:

Facilius absolvi potest occasionarius lapsus, qui « ob notabilem causam excusatur, ne statim vitet eam occasionem, et simul ostendit *majora quædam signa* pœnitentiæ et propositum emendationis... Sicut et consuetudo, qua sæpius absolutus relabitur in mollitiem, cujus occasio expelli non potest, non *cogit* negare, sed *aliquando differre* absolutionem, ut *firmiori proposito* melius disponatur ad gratiam » (*De Pœn.* lib. 4, cap. 24, n. 4). Ergo Henriquez, comparans consuetudinarium in mollitie cum versanti in occasione quasi necessaria, docet illi aliquando differendam esse absolutionem (nota: « *cogit* aliquando differre »), ut scilicet qui non est satis dispositus melius disponatur. Excipe tamen, si jam nunc illa *majora* signa pœnitentiæ et *firmius* propositum ostendat.

300. — Suarez († 1617) merito hæc docet:

Habens consuetudinem temere jurandi sæpius absolvi potest, si adest « propositum absolutum et de se efficax emendandi consuetudinem;... de quo proposito credendum est pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti *frequentia* et *inconstantia* ejus ». Atvero — idque sedulo fac advertas — ut tale propositum « absolutum et de se efficax » habeatur, expresse supponit Doctor eximius, ut hujusmodi recidivus *moralem diligentiam* ad se emendandum adhibuerit; ait enim: « Et in his non est scrupulose procedendum, sed *facta morali diligentia*, illa cum proposito censeri debet sufficiens. Quia non oportet, ut confessor judicet alium (illum?) non amplius pejeraturum, sed satis est quod judicet illum in præsenti habere tale propositum et *facere quod moraliter potest*, ut efficax sit; nec hujusmodi humanæ infirmitates efficacius curari ab homine possunt » (*De Relig.* t. 2, tr. 5, lib. 3, cap. 8, n. 6). Jamvero adhibere « moralem diligentiam » seu « facere quod moraliter potest » certe est signum *speciale* doloris; qui enim formaliter est recidivus talem diligentiam non præstitit, neque

ullum fere conatum ullumve remedium adhibuit. Itaque, juxta Suarez, *inconstantia* in proposito, seu factum relapsus etiam frequentis, per se non obstat firmitati et efficaciæ propositi; *obstat* vero *indiligentia in adhibendo aliquo studio et remedio emendationis*, hæcque indiligentia facit, ut propositum non sit sufficiens; a. v. recidivus materialis statim absolvi potest, non ita per se formalis; quæ est nostra thesis et sententia S. Alphonsi. Atque hanc doctrinam Suarez applicatam vult omnibus consuetudinariis; nam dicit ibidem initio: « Difficultas generalis est ad alias consuetudines peccandi ».

301. — Alibi (*De Pœn.* disp. 32, sect. 2) Suarez agens, non de recidivis in particulari, sed *de peccatoribus in genere*, quærit: « Quomodo debeat confessor certus fieri de dispositione pœnitentis? » Post quædam respondet: « Observandum, hanc dispositionem pœnitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia præteritorum et proposito in futurum. Et quidem quod ad displicentiam attinet, facile potest sibi satisfacere confessor, quia, si pœnitens in ipso modo confessionis et accusationis suæ præbet signa doloris, vel certe si est homo non valde rudis et apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere; bene tamen semper faciet proponendo et consulendo detestationem peccati; et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare pœnitentem an ex animo detestatur peccatum, cui affirmanti credere tenetur ». Hæc quidem verissime dicta sunt; valent enim de peccatore *ordinario* qui « apparet moratus », imo etiam de consuetudinario, qui non est formaliter recidivus; de quo etiam S. Alphonsus ait: « Ipsa spontanea confessio est signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium » (VI, 459, § 2; supra p. 173); unde pro ipso signum quoddam speciale doloris non requiritur. De *recidivo* autem *formali* ea Suarez intellecta non vult, quia hic non adhibuit « moralem diligentiam » se emendandi, ut supra dixerat; unde præsumptio stat contra ipsum.

Pergit tum Suarez, loquens de peccatore ordinario: « Et hoc idem (scilicet credendum esse pœnitentis affirmationi) dicendum de proposito in futurum, quando ex confessione *non oritur specialis obligatio* restituendi vel relinquendi aliquam occasionem peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de cetero » (*l. c.*). Ad quæ verba sapienter advertit Lehmkuhl: « Hic autem casus restitutionis faciendæ, occasionis relinquendæ pro exemplis afferuntur, ita ut *ad similes quoque causas*, quæ grave dubium de dolore et proposito pœnitentis causent, extendi debeat peculiaris quædam et major inquisitio in pœnitentis dispositionem » (*Theol. Mor.* II, 548). Talis autem est casus recidivi formalis, qui habet *specialem obligationem* adhibendi serium conatum seu « diligentiam moralem » se emendandi; quam diligentiam si neglexerit, ejus assertioni de dolore et proposito nequaquam semper credi potest, sed « accedere debent, ut ait idem Lehmkuhl (*l. c.* 549), *alia* quædam argumenta plus minusve gravia,... quæ a multis vocantur signa doloris *extraordinaria* ».

Deinde eodem loco, magis ex proposito agens de *recidivo* in omittenda aliqua obligatione, v. g. restituendi vel relinquendi occasionem proximam, hæc docet Suarez:

« Aliquando *oportet remittere* pœnitentem et illum non absolvere, donec suam obligationem impleat, *præsertim* quando iterum atque iterum illam confessus est, et *implere promisit neque implevit ;* quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi, et *ejus propositum moraliter non potest judicari efficax ;* quandoquidem convincitur esse in magna mora, et posse et non facere. Quapropter

oportet confessores in hoc esse *cautos et constantes, ne graventur peccatis alienis* » (*l. c.*). Ad quæ verba nota iterum, confessarium, juxta Suarez, tali recidivo non solum posse, sed *debere* differre absolutionem, idque ex officio iudicis seu *ob defectum propositi efficacis*, neque ipsum tunc pœnitenti promittenti et affirmanti credere posse; alias, id est semper ipsi credendo ipsumque absolvendo, gravaretur peccatis ipsius pœnitentis, quorum nimia sua indulgentia concausa esset. Idem iterum valet de recidivo in omittenda obligatione adhibendi diligentiam moralem seu studium se emendandi.

302. — Denique juxta Suarez consuetudo sæpe est quædam occasio proxima, intrinseca scilicet et necessaria, seu morale periculum peccandi. Atqui, ut docent auctores communiter, absolutio aliquando differri debet versanti in occasione necessaria, qui scilicet nihil unquam se corrigit, remedia non adhibet et semper eodem modo relabitur; quia ejus propositum non est firmum et efficax. Ergo idem dicendum est de consuetudinario-recidivo. Atque hæc propria ratio est cur Suarez alibi doceat, confessarium jus habere cognoscendi consuetudinem peccati etiam ex præteritis confessionibus, quia scilicet secus de dispositione sui pœnitentis judicare non posset: « Sæpe consuetudo constituit hominem, secundum præsentem statum, in *quodam morali periculo* vel facilitate peccandi; et necessarium moraliter est, ut confessarius consuetudinem sciat, ut *de dispositione* et obligatione pœnitentis certus reddatur » (*De Pœn.* disp. 22, sect. 4, n. 15) [1].

Ex hisce omnibus, pro merito tam eximii Doctoris fusius disputatis, concludendum est, doctrinam Suarezii thesi nostræ omnino suffragari, et plane adversari iis qui dicunt, semper credendum esse recidivo attestanti suam dispositionem, ac proinde numquam præceptum esse huic ob defectum doloris ac propositi absolutionem differre [2].

303. — Alphonsus Vega (floruit 1598) hæc habet:

« Si ad confessionem venit blasphemiis assuetus, qui in præteritis confessionibus emendationem *promisit* et *in præsenti promittit*, non est absolvendus, si hucusque non se emendavit; sed absolutionem ipsi differant, ut ab hisce peccatis desistat. Si postea se emendavit, ipsum absolvant, et secus minime; quia credendum est, quod homo qui toties idem commisit et in præteritis confessionibus non se emendavit, *in præsenti pariter firmum propositum non habeat.* Si vero *prima vice* confitetur et emendationem promittit, necessarium non est absolutionem ipsi retinere » (*Summ.* cap. 34, cas. 4). — Absolutionem ergo recidivo differre *præcipit* ob defectum debiti propositi.

Sayrus († 1602) idem docet:

« Qui assuetus est blasphemare, nec tamen se emendaverit, non obstante quod in præteritis confessionibus *emendationem promiserit*, non est statim absolvendus, *etiamsi iterum emendationem polliceatur*, sed ad tempus differenda erit absolutio... Ideo autem differenda est absolutio; quia qui antea promisit

---

[1] Hinc est, cur Joannes Sanchez, sustinens sententiam thesi nostræ oppositam, logice pervenerit ad docendum etiam propositionem 58 ab Innocentio XI damnatam: « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem » (*Select.* disp. 9, n. 6-8).

[2] De Suarezii sententia conferri etiam possunt *Vind. Alph.* II, p. 296 sqq. et p. 365 sqq.; Berardi, *De Rec.* n. 94.

emendationem et tamen ab errore non destitit, *credendus est nolle in posterum ab hoc pravo vitio desistere ;* ideoque differenda erit absolutio, quousque se ex parte emendaverit ». Addit tamen: « Qui sæpius assuetus est blasphemare, dummodo certa signa doloris et detestationis hujusmodi impietatis dederit, nec ita commode differri possit absolutio, absolvi tunc potest » (*Clavis.* lib. 6, cap. 13, n. 10). — Ergo juxta Sayrum initio assuetus sæpius blasphemare absolvi potest; sed in recidivo sola promissio emendationis non sufficit, quia credendus est firmum non habere propositum. — De temere jurantibus alibi (*l. c.*, lib. 5, cap. 5, n. 8) merito mitius judicat, quia tantum periculo pejerandi se exponunt.

Thomas Sanchez († 1610) immerito ab adversariis opponitur; ait enim de blasphemo recidivo:

« Quando nil curæ apposuit ad emendam, admonitusque est sæpe in aliis confessionibus, posse adhuc tunc *in rigore* statim absolvi, si *vere* doleat de præteritis, ac in posterum emendam firmiter proponat » (*Decal.* lib. 2, cap. 32, n. 45). Quæ verba, etsi temperant sententiam Medinæ nimis generalem, nihil tamen contra thesim nostram continent, quia de *signis veri* doloris, circa quæ nostra versatur controversia (cfr. n. 248), non agit auctor. Quinimo tum illud « in rigore », tum limitatio opposita: « si vere doleat » satis indicare videntur, juxta hunc theologum ordinariam pœnitentis assertionem non sufficere. Quapropter (*l. c.*) positive approbat doctrinam Azorii, pro tali recidivo signa non solum probabilia, sed *certa et manifesta* postulantis. (Cfr. supra n. 299) [1].

304. — Fornarius († 1612) inter media, quæ confessario adhibenda sunt pro recidivi emendatione, hæc notat:

« Suspendat aliquando absolutionem. Si denique accipit libenter remedia data et ostendit signa contritionis *cum aliqua emendatione*, absolvat et Domino commendet » (*De Instit. Conf.* lib. 1, tr. 2, cap. 14). Deinde varia exponit veræ contritionis signa non ordinaria, similia illis quæ S. Alphonsus recenset. Hanc autem absolutionis suspensionem, non utilem tantum, sed aliquando etiam necessariam ducit, ut ex alio loco claret, ajens: « Similiter cum judicaverit esse suspendendam ad tempus absolutionem, ut fieri *oportet* aliquando *cum recidivis* » (*l. c.* tr. 1, cap. 3, n. 6). — Ergo solam protestationem doloris Fornarius per se sufficientem non habet.

Jacobus de Graffiis († 1620) circa habituatos in blasphemiis, perjuriis et vitiis carnalibus hæc præcipit:

« Confessarius qui hujusmodi perditos homines blasphemare solitos audierit, si nulla de confessionibus elapsis secuta est emendatio, *debet* per aliquos dies differre absolutionem... Et ratio est, quia qui sæpius in hoc erraverunt et in præteritis confessionibus non fuerunt correcti, credi potest quod *nec in futurum jam firmiter proponant* vitam suam corrigere; quod idem faciendum est in perjuriis aliisque vitiis carnalibus » (*Decis. Aureæ*, lib. 2, cap. 20, n. 14). — Rationem igitur adducit defectum firmi propositi.

305. — Reginaldus († 1623) de recidivis in genere dicit, eos quidem sæpius absolvi posse, modo adsit saltem emendationis inchoatio; secus deest sufficiens signum firmi propositi.

« Videtur non absolvendus pœnitens recidivus, *tamquam non dans signum*

---

[1] De Sanchezii sententia vide etiam Berardi n. 93.

sufficiens propositi firmi non peccandi de cetero, si *nulla emendatio neque emendationis inchoatio* præteritis vicibus in eo exstitisse observaretur » (*Praxis.* lib. 2, cap. 8, n. 102). Cui concinit quod alibi, agens « *de signis* contritionis ad obtinendam absolutionem sufficientis » docet: « Sunt quædam effecta propria ipsius contritionis, ut quod pœnitens confiteatur quam bene potest, quodque studeat vitare peccata et occasiones peccatorum;... quibus si, facta confessione, delectetur seque implicet *sicut prius, non ostendit se satis contritum,* et multo minus,.. si *æque ac prius tardum* ad ea quæ Dei sunt et ad salutem suam spectant se inveniat » (*l. c.* cap. 5, n. 57). — Huic ergo recidivo, utpote non satis contrito, absolutio per se differri debet.

Lessius († 1623) quoque serio dubitat de sinceritate propositi eorum qui sæpius absoluti eodem semper modo recidunt. Ait enim:

« Qui ita crebro relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis intervallis factas, non apparet ulla emendatio aut conatus resistendi, *expedit ordinarie* eos remittere sine absolutione, explicato periculo in quo versentur, et *absolutionem ipsis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum propositum,* ut conentur resistere et adhibere remedia quæ præscribuntur. Si non redierint, committat eos Deo, nec se ob id cruciet. Dico: *expedire ordinarie ;* quia absolute non est necessarium, si dicant se *valde* dolere et promittant emendationem » (*Auctuarium.* v. *Confessarius,* cas. 7). Ad quæ verba scite advertit Card. van Rossum: « Quamvis (Lessius) dicat *expedit,* patet tamen ex contextu eum loqui de *obligatione ;* non enim potest confessarius absolvere pœnitentes qui non videntur habere sincerum propositum sese emendandi, neque impertiri absolutionem quæ noxia esset pœnitenti » (*De judicio.* n. 41). Excipit tantum Lessius, si pœnitentes se *valde* dolere ostendunt; quod signum non ordinarium sed *speciale* dispositionis esset.

306. — Laymann († 1635), tractans de homine qui relabi solet, v. g. in fornicationem, pollutionem, blasphemiam, docet quod tali recidivo « affirmanti (se efficax habere propositum) credi *plerumque* debet ».

Quod quo sensu intelligat, ipsemet explicat: « Verumtamen *interdum vehemens est suspicio et justa præsumptio, propositum emendandi simulatum aut non sufficiens esse :* si videlicet pœnitens, post duas aut tres confessiones, eamdem peccati speciem eodem vel majore numero afferat et nullus emendationis conatus antecessisse videatur; hoc casu differenda erit absolutio, nominato aliquo temporis spatio, intra quod pœnitens conatum adhibeat ad criminis emendationem, postea absolutionem accepturus. Id vero limitari debet, nisi pœnitens in præsenti confessione, *specialia, qualia antea numquam, doloris signa* ostendat, quibus præsumptio illa de mala confitentis dispositione merito elidatur » (*De Pœn.* tr. 6, cap. 4, n. 10). Eodem igitur modo Laymann ratiocinatur ac S. Alphonsus (supra n. 258), et plane negat recidivo formali pro se loquenti semper credendum esse; unde huic post aliquas saltem confessiones absolutionem differendam esse præcipit, idque iterum ob præsumptum *defectum propositi ;* nisi, ut recte limitat, pœnitens in præsenti confessione *specialia* doloris signa ostendat. Merito ergo hic auctor a S. Alphonso contra primam sententiam profertur.

Bonacina († 1631) de recidivis in pollutionem hæc habet:

« Colligi potest, non cogi confessarium ad denegandam absolutionem adolescenti qui sæpius in mollitiem incidit ex carnis fragilitate; nam hujusmodi

occasio non censetur voluntaria, cum adolescens non possit illam expellere. Verum tamen est, confessarium debere salutares pœnitentias injungere; præterea *debere aliquando differre absolutionem*, ut pœnitens *cum majore proposito* proponat evitare hujusmodi turpia peccata » (*De Matrim.* qu. 4, punct. 14, n. 14). — Ratio cur id facere *debeat*, est iterum, quia propositum non est satis firmum.

CONINCK († 1633) de recidivis docet:

« Sequitur nos facilius posse absolvere sæpe relabentes in eadem peccata venialia, quam relabentes in eadem mortalia; quia hic *relapsus sæpius est signum defectus necessarii propositi* peccata in posterum vitandi » (*De Pœn.* disp. 2, n. 130).

307. — TANNER († 1632) scribit de recidivis ob negligentiam culpabilem in exsequendis promissis, et ob habitum blasphemandi:

« Quando pœnitens cum proposito restituendi, satisfaciendi vel occasionem proximam vitandi, semel vel iterum absolutus, sed post primam vel secundam monitionem sine ulla justa causa *propositum reipsa exsequi neglexit*, et ideo *more consueto in peccato permansit, ordinarie absolvendus non est*, donec reipsa satisfaciat, restituendo alienum vel removendo proximam peccati occasionem. Ita Antoninus, Cajetanus, Navarrus, Henriquez ex *communi*. Exemplum est in eo qui *assuetus blasphemiis*, nullam curam vel remedium emendationis adhibet » (*De Pœn.* disp. 6, qu. 9, n. 119). — Præcipit ergo, recidivum in habitum blasphemandi, qui nullam curam adhibuit, non secus ac occasionarium, post unam alteramve confessionem ordinarie non amplius absolvendum esse. Per illud « ordinarie » excipitur, si hic et nunc majora vel specialia præbet doloris signa, uti Laymann aliique ajunt.

CASTRO-PALAO († 1633) pariter eamdem regulam sequendam præcipit pro iis qui ob occasionem necessariam ac pro iis qui ex prava consuetudine peccant:

« In casibus, inquit, in quibus pœnitens non tenetur fugere occasionem peccandi, eodem modo debet confessarius cum illo procedere, ac procedit cum habente consuetudinem jurandi falso, vel murmurandi, vel se polluendi ». Regula autem hæc est: « Quando *nulla adest emendatio*, sed forte major in dies peccatorum numerus augetur, *satis certo* potest confessarius inferre, *non habere pœnitentem verum propositum* se emendandi; quia in peccatum grave non ita facile labitur quis, quando illud ex animo exsecratus est, majoreque diligentia se præcavet, quidquid in contrarium sentiat Joannes Sancius » (tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 17). Ergo primam sententiam, scil. Joannis Sanchez, eadem ratione confutat qua S. Alphonsus, id est ex defectu veri propositi.

308. — TRULLENCH († 1644), approbans doctrinam Azorii (supra n. 299), pro assuetis blasphemare, ut absolvi possint, postulat *vehementissimum* dolorem, i. e. signum non ordinarium, sed speciale doloris:

« Quodsi assueti sint blasphemare, differenda est absolutio, si commode fieri possit, donec detur emenda. Si autem differri commode nequeat, pœniteatque eos *vehementissime*, absolvi possunt » (*Decal.* lib. 1, cap. 12, dub. 3, n. 2). Et alibi: « Quare (si) confessarius advertat, pœnitentem alias data opera non satisfecisse suæ obligationi, debet ei denegare, ut in plurimum, absolutionem... quia rationabiliter præsumi potest, pœnitentem suæ obligationi in futurum non esse satisfacturum, vel saltem *propositum illius non esse firmum* et efficax ».

(*Praxis Sacr.* t. III. lib. 4, cap. 11, dub. 3, n. 1). Cum temere jurantibus merito mitius agendum esse vult (*Decal.* lib. 2, cap. 1, dub. 20, n. 10).

Antonius Perez († 1649) quærit:

« An confessarius debeat credere pœnitenti et absolutionem conferre, si dicat se habere attritionem seu contritionem veram? Respondeo debere, *dummodo non sit præsumptio fortior in contrarium:* qualem præsumptionem, meo judicio, faciet frequentia lapsus et falsitatis medii emendationis. Impossibile enim est, moraliter loquendo, hominem sæpe confiteri et semper relabi, quando facilis est emendatio et propositum emendationis est serium. Quare *præsumendum est,* eum qui ita confitetur et sic post frequentem confessionem relabitur, cum possit facile emendare peccatum, *non habere propositum efficax* » (*De Pœn.* tr. 3, disp. 3, cap. 4, n. 64). — Ergo etiamsi recidivus dicit se habere contritionem, tamen frequentia relapsus et neglectus medii emendationis, juxta hunc auctorem, ingerunt fortiorem præsumptionem defectus veri propositi.

309. — Cardinalis De Lugo († 1660) merito quoque a S. Alphonso pro nostra thesi adducitur: identidem enim infirmitatem propositi allegat ut rationem, cur multi recidivi formales non sint satis dispositi. Quæstionem ponit generalem: « An et quomodo neganda sit absolutio *ob defectum propositi?* » (*De Pœn.* Disp. 14, sect. 10). Disputationem hanc sic exorditur:

« Ad complementum hujus disputationis, in qua agimus de necessitate doloris et propositi, pertinet hoc dubium practicum *de absolutione neganda vel differenda ob defectum propositi efficacis;* qui defectus colligitur, vel ex eo quod nolit homo restituere vel facere id ad quod tenetur — in quo casu est clarus defectus propositi; — vel ex eo quod nolit relinquere occasionem proximam peccati — in quo casu major est difficultas; — vel ex eo quod post alias confessiones et repetitum propositum *non emendatur, sed eodem modo relabitur.* Nunc dicamus de occasione proxima; postea de relapsu » (n. 148). — Clare ergo hic dicit Lugo, ob frequentiam relapsus aliquando deficere posse propositum, adeoque absolutionem differri non tantum posse, sed etiam debere.

Tractans deinde de recidivis versantibus in occasione extrinseca necessaria, in qua quis « eodem modo semper relabitur » hæc dicit:

« Aliquando ex illa experientia arguetur, pœnitentem carere nunc vero dolore et proposito requisito; qui enim efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui propositi, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit » (*l. c.*, n. 160). Habes hic principium psychologicum generale, quod proinde merito a S. Alphonso — ut supra (n. 258) vidimus — etiam applicatum est recidivis in simplicem habitum; nam pravus habitus est velut occasio necessaria intrinseca. Imo ipse quoque Lugo hoc principium etiam recidivis in genere applicatum vult, ut ex ejus contextu patet. Nam ibidem statim subjungit: « In peccato mortali, quod cum divina gratia potest non ita difficile vitari, major est *præsumptio de imperfectione propositi* (quam in peccato veniali); quare ex hoc capite posset negari vel differri absolutio, ut paulo inferius (scil. n. 166) dicemus de *reincidente sæpe in eadem peccata mortalia absque ulla emendatione* ». Adjecta ratio ostendit, id juxta Lugonem generatim etiam fieri debere.

310. — Itaque paulo inferius (n. 166) Lugo magis ex professo agit de *defectu propositi ob frequentem relapsum,* atque hæc docet:

« Restat ergo nunc ut dicamus aliquid de ultimo puncto seu ultimo capite cognoscendi *defectum propositi* efficacis, nempe *ex frequenti reincidentia* in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione. In quo puncto doctrina communis et vera est: si sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine præterita, judicet, pœnitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura; atque ita poterit absolvi, licet judicetur relapsurus. — *Secundo* certum est, quando sacerdos, attenta consuetudine præterita et propensione aliisque circumstantiis, judicat, pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, *quantumcumque pœnitens dicat se dolere ;* quia si sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem. — *Tertio* ad judicium ferendum de dispositione præsenti *deservit, si peculiaria signa doloris ostendit ;* item si jam adhibuit curam aliquam ad consuetudinem exstirpandam; si numquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea suscipit, et proponit adhibere ea media. — *Denique* aliquando utile erit differre absolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio et observatio propositi. In hoc conveniunt auctores communiter » (*l. c.*, n. 166).

Ad hunc locum classicum illustris theologi hæc notanda veniunt:

1° Agit hic Lugo *de defectu propositi* efficacis in recidivo. Quæstionem quidem ponit de recidivo « post multas confessiones »; sed supponere videtur quod « numquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem », ut infra sub « tertio » dicit. Ceterum, num recidivo formali jam prima vice redeunti per se absolutio differenda sit, non ad hanc, sed ad sequentem thesim pertinet (cfr. supra n. 293). — *Primo* ergo docet Lugo cum sententia communi, etiam quoad recidivum habituatum sufficere judicium de ejus dispositione præsenti, etiamsi relapsurus prævideatur; unde S. Alphonsus ejus verba (in textu § 7, supra p. 218) laudat. Quæstionem autem capitalem, *quo modo* seu *ex quibus signis* confessarius hoc judicium formare debeat, non hic, sed infra « tertio » tractat.

2° « Secundo » expresse rejicit Lugo fundamentum adversariorum nostræ theseos (vide supra n. 249), videlicet confessarium, in formando suo judicio de alicujus dispositione præsenti, simpliciter credere debere pœnitenti pro se loquenti seu asserenti se dolere. Nam consuetudo, propensio et aliæ relapsus circumstantiæ [1] (v. g. statim, nulla cura adhibita) juxta Lugonem sæpe tales esse possunt, ut confessarius potius contrarium judicium ferre debeat; quo casu « non potest eum absolvere, *quantumcumque pœnitens dicat se dolere* ».

3° Quoniam igitur solum signum *ordinarium*, seu assertio ipsius pœnitentis, per se non sufficit, Lugo « tertio » loco recurrit ad alia « *peculiaria* signa doloris », quibus confessarius ad hoc judicium requisitum perveniat. Unde per illud « deservit » auctor nequaquam significat, confessarium hæc signa peculiaria pro arbitrio suo curare aut negligere posse, sed omnino vult, ut confessarius ad hæc peculiaria signa respiciat, utque ea sibi *deserviant tamquam medium ne-*

---

[1] Per « alias circumstantias » Lugo certe non illas intelligit, quæ oriuntur ex aliis obligationibus implendis, v. g. restitutionis, occasionis vitandæ etc., ut clare patet ex collatione cum n. 148. Hic enim (n. 166) agit de solis *circumstantiis relapsus, qua talis ;* de aliis illis obligationibus jam dixerat a n. 148 usque ad n. 165.

cessarium quo suum formet judicium; a. v. hæc signa peculiaria non solum utilia, sed sæpe etiam necessaria sunt ad veram dispositionem dignoscendam.

4º « Denique » seu quarto, etiamsi recidivus per talia signa peculiaria dispositus creditur, tamen « aliquando utile erit », inquit Lugo, ipsi absolutionem per breve tempus differre, tamquam remedium contra relapsum (« ut appareat correctio »); quinimo confessarius « debet aliquando ut medicus hoc remedium adhibere », ut brevi post (n. 171) dicit idem Lugo. (Cfr. infra thes. 20ª, n. 453).

311. — Alibi Lugo, semper sibi constans, superius principium psychologicum applicat iterum *recidivis in genere*, præsertim raro confitentibus:

« Quæ (infirmitas propositi), ni fallor, est potissima causa, cur qui semel tantum in anno confitentur frequenter cadant in peccata gravia, quia scilicet ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur, habent verum dolorem et propositum firmum, sed *velleitatem et propositum infirmum; si enim tunc firmiter proponerent, non ita facile, nec tam cito* relaberentur » (*De Pœn.* disp. 15 n. 53). — Habes hic eamdem rationem generalem, quam Lugo antea (disp. 14, n. 160; supra p. 266) contra recidivos ob occasionem necessariam adduxerat, et quam hic, et post ipsum S. Alphonsus aliique logice contra omnes recidivos formales proferunt. Tales scilicet relapsus sunt potissimum effectus infirmi propositi; unde præsumptio stat etiam contra præsentem dispositionem, nisi illa per alia signa doloris peculiaria seu extraordinaria elidatur. Adverte autem Lugonem hoc loco non loqui de recidivo, qui jam sæpius pravos suos habitus est confessus.

Atque hæc quidem satis superque de præstantissimo hoc theologo.

312. — Martinez de Prado († 1668) de recidivis in consuetudinem peccandi hæc docet:

« Dato quod raro aliquando possit contingere, quod habens talem consuetudinem efficaciter doleat et firmiter proponat cavere in posterum, *regulariter et ut plurimum* oppositum evenire experimur, quod qui ter admoniti a confessario consuetudinem non interrumpunt, *nec vere pœnitent, nec efficaciter proponunt.* Cum ergo debeamus judicare ex regulariter contingentibus, non solum erit salubre consilium absolutionem differre, ut admittunt Sayrus et Suarez [1], sed etiam *regulariter ad id tenetur*, ut citati auctores nobiscum tenent » (cap. 32, qu. 8, n. 23). — Ratio hujus theologi iterum est, quia regulariter deest firmum propositum. Excipe tamen, nisi nunc peculiaria firmi propositi signa exhibentur.

Tamburini († 1675), auctor haud raro plus æquo benignus, dicit:

« Benignissime loquitur Dicastillus dicens vix huic recidivo, præscindendo ab occasione proxima, debere negari absolutionem, sed certe aliquando potest; nam, ut habet Lugo, *sæpissime ex frequenti lapsu mortali colligi potest, non adesse verum dolorem;* quia moraliter impossibile est, ut qui vere dolet aliquantulum non se abstineat: quare ex hoc capite potest negari vel differri absolutio ». (*De præc. Decal.* tr. 2, cap. 26, n. 13). — Ex adjecta ratione, absentia scil. veri doloris, patet, illud « potest » vim præcepti habere.

---

[1] Duo hi theologi dilationem absolutionis pro sufficienter dispositis aliquando salubre consilium reputant; alibi pro multis recidivis eam per se necessariam ducunt: rationem enim allegant infirmitatem propositi. De Sayro vide supra n. 303, de Suarezio n. 301.

313. — Salmanticenses, tractantes de habente consuetudinem pejerandi et blasphemandi, quæstionem instituunt « de eo qui sæpius admonitus in eodem semper statu permaneret, nihil ex parte sua curæ apponendo, ut ad meliorem frugem redeat ». Respondent autem sic:

« Sententia, quam probabiliorem [1] judicamus, dicit: non solum ex consilio posse confessarium differre absolutionem in casu quæstionis, sed *ad id teneri : nisi* ex circumstantiis occurrentibus, verum esse dolorem et firmum propositum pœnitentis adjudicet, quia scilicet illum videt nimis compunctum et contritum, lacrymis suffusum, et *alia specialia signa doloris* exhibentem; *nec in hoc credendum est ipsi pœnitenti*, quando nec ipse sibimet credere valet, qui toties proposuisse videt, totiesque iterum ad vomitum rediisse: quod signum est manifestum, *absque vero dolore et proposito* accedere... Ratio hujus sententiæ est, quia, esto, aliquando possit contingere, ut habens talem consuetudinem efficaciter doleat et proponat, *regulariter oppositum contingit*, quando qui ter admoniti a confessario consuetudinem non interrumpunt, qui *nec vere pœnitent, nec efficaciter proponunt.* Cum ergo debeamus prudenter judicare ex his quæ regulariter contingunt, non solum erit salubre consilium differre absolutionem, sed *ad id tenebitur* confessarius;... nisi ex denegata absolutione scandalum aliquod sequatur aut aliud extrinsecum inconveniens » (tr. 17, cap. 2, n. 167, 170). — Ex hisce igitur patet, Salmanticenses censere, hujusmodi recidivum non posse semper absolvi, idque propter defectum firmi propositi, etiamsi ipse asserat se dispositum esse. Excipiunt, si alia specialia signa doloris exhibet, vel si scandalum aut aliud extrinsecum inconveniens oritur. Quod ultimum incisum respicit casum, in quo ob gravem rationem etiam *dubie* disposito absolutio sub conditione conferri potest, ut docet S. Alphonsus. (Cfr. thes. 22[a]) [2].

§ 3. *Theologi inde ab Innocentio XI usque ad S. Alphonsum.*

314. — Qui hactenus adducti sunt theologi scripserunt omnes ante proscriptam anno 1679 ab Innocentio XI propositionem 60[m] (cfr. supra n. 274). Posteriores usque ad S. Alphonsum non minore vi refragantur praxi absolvendi semper recidivos formales, qui solum proprium testimonium de dolore et proposito ut signum ordinarium præbent, iisque per se, utpote non satis dispositis, absolutionem differendam esse non solum suadent, sed etiam præcipiunt; nisi — uti plurimi addunt — hi recidivi in præsenti confessione alia quædam clariora et specialia seu extraordinaria suæ dispositionis signa exhibeant. Hanc autem doctrinam ut plurimum confirmant per illam propositionem damnatam.

---

[1] Post damnatam ab Innocentio XI propositionem 60 (supra n. 274) editores Salmanticenses in *Nota* adjunxerunt, hanc sententiam jam non solum « probabiliorem » esse, sed « omnino tenendam », « obtemperando, uti ajunt, Pontificio decreto, quo Supremus Pastor illam probat et contrarias repellit, quod fecit damnando prop. 60 ». Ita in editione tertia et subsequentibus.

[2] De Salmanticensibus prolixe agunt *Vind. Alph.* ed. 2[a], II, p. 306 sqq.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Cardenas († 1684), gravis propositionum damnatarum commentator, ex prop. 60ª probat contra Joan. Sanchez, signum ordinarium seu proprium ipsius pœnitentis testimonium nequaquam semper sufficere ad fidem faciendam de ejus proposito, quum sæpe appareat indicium de nullitate propositi. Ejus verba vide supra n. 286.

Francolini († 1709), quem nemo certe nimiæ severitatis arguet, omnino concordat cum S. Alphonso docens:

« Verum quidem est quod, si qui est relapsus *non adhibuit post ultimam confessionem ullum conatum* ne relaberetur, non est judicandus habuisse in ea ultima confessione et *consequenter non habere nunc verum dolorem et propositum ;* nam, ut inquit Card. de Lugo: *qui efficaciter* etc. (Lugonis verba in n. 160, vide supra p. 266). Is tamen potest nunc dare *specialia signa doloris*, ita ut mereatur ei credi » (*Cleric. Rom.* lib. 1, disp. 5, n. 39). Est igitur gravis præsumptio de defectu propositi, nisi specialia præsto sunt signa. — Eodem modo, plane ut S. Alphonsus, alibi idem Francolini præcipit: « *Prima* vice, ut solet fieri in omnibus hujusmodi casibus, monendus erit pœnitens, ut conetur tollere pravam consuetudinem, e. g. pejerandi aut blasphemandi, ac proinde recurrat ad Deum precibus, removeat occasiones in quibus solet pejerare aut blasphemare, imponat sibi aliquam pœnitentiam si iterum ad peccandum trahatur, faciat actus oppositos prædictis vitiis, aliaque hujusmodi. Si hæc aut aliquid horum faciet, quamvis non statim tollat pravam consuetudinem, utique erit absolvendus. *Si vero nihil horum faciat et nihil conetur, utcumque dicat se facturum,* regulariter non erit statim absolvendus. *Regulariter* inquam; nam si hæc dilatio periculosa sit, aut videatur paritura alios malos effectus et pœnitens det *majora signa* veri propositi, absolvi iterum sine dilatione poterit » (*De Pœn.* lib. 3, cap. 10, n. 7). Cfr. etiam supra n. 286.

315. — Anacletus Reiffenstuel († 1703) recidivum, qui « longo tempore sua peccata continuat, aliquoties quidem se vincendo, denuo iterum relabendo et numerum augendo » primo, per crebras seriasque admonitiones ad meliorem frugem reducendum esse vult. Tum pergit:

« Si vero omnia hujusmodi remedia sint frustra hactenus longo jam tempore adhibita et *nullum appareat verum signum doloris aut propositum emendandæ* vitæ, *eo quod* pœnitens sæpius præscripta remedia negligat aut tepide persolvat, semper cum eodem numero vel etiam majori ad confessionale redeat, ac nullum serium conatum adhibeat quo tentationibus ac occasionibus peccandi resistat, sed fræna suis cupiditatibus relaxat: tali post crebras admonitiones et minas affectuosas adhibitas, tandem ita dictante prudentia *erit absolutio ad tempus deneganda, ne confessarius pœnitentem in suis peccatis videatur fovere.* Quin imo opposita nonnullorum sententia ab Innocentio XI damnata est, dum is sequentem inter alias propositionem, ordine 60, condemnavit: *Pœnitenti* etc. (supra n. 274). Hæc, inquam, propositio, utpote damnata, in posterum cavenda erit; quamvis omnem lapidem prius oporteat movere, quam pœnitenti relapso absolutionem negare, præsertim si hic et nunc *clariora* det signa doloris ac propositi emendationis » (*Th. Mor.* tr. 14, dist. 8, n. 50 et 51). — Itaque Reiffenstuel longo quidem tempore cum tali misero recidivo, aliquoties se vincenti et denuo relabenti, patientiam habere vult, « præsertim

si hic et nunc *clariora* det doloris signa ». Sed tandem ipsi absolutio erit differenda; secus, ait, confessarius ipsum in ejus peccatis fovebit, imo impinget in propositionem damnatam. Rationem talis dilationis absolutionis adducit absentiam signi veri doloris, quæ patet « ex eo quod præscripta remedia negligat et nullum serium conatum adhibeat ».

Viva († 1710), ut supra (n. 286) vidimus, innixus propositione damnata, rejicit principium pœnitenti testanti suum dolorem semper credendum esse. — Alibi de consuetudine jurandi, de qua tamen mitius judicandum est, hæc præcipit.

« Qui nullum adhibet remedium ad consuetudinem evellendam, absolvi quidem poterit prima, secunda, tertia, et ad summum quarta vice, si vere doleat et proponat remedia adhibere; sed *si numquam propositum servet, non est deinde absolvendus* » (*De Præc. Dec.* qu. 7, a. 7, n. 4). De signis specialibus non loquitur.

316. — Sporer († 1714) negat quoque recidivum formalem semper absolvi posse, nisi signa specialia doloris afferat. Docet quidem, pœnitenti affirmanti se habere efficax propositum plerumque credendum esse; sed addit:

« Interdum tamen vehemens est suspicio et justa præsumptio, *propositum* modernum esse simulatum, *inefficax*, *insufficiens*, ut confessarius *prudenter credere non possit:* utpote si pœnitens post duas, tres, quatuor confessiones eamdem peccati speciem et eodem vel etiam majori numero adferat, ut nullus prorsus emendandi vel resistendi conatus adhibitus videatur; et tunc (nisi tamen præsens *specialia qualia antea numquam, doloris signa* in præsenti confessione ostendat, quibus *præsumptio* illa de mala vel insufficienti pœnitentis dispositione merito elidatur) differenda erit absolutio, nominato aliquo temporis spatio, infra quod pœnitens conatum adhibeat ad criminis emendationem, postea rediturus et absolutionem recepturus » (*De Pœn.* n. 331, 332). — Ratio igitur iterum est gravis præsumptio de defectu propositi.

317. — Lacroix († 1746), cujus doctrina hæc est:

« Confessarius *non semper tenetur credere pœnitenti* dicenti se habere dolorem et propositum, quia Innocentius XI damnavit hanc 60 propositionem: *Pœnitenti* etc. Ratio est, quia quando multoties fefellit fidem, nihil emendavit, præscripta emendationis media non adhibuit, *prudenter timetur, ne id fiat ex defectu sinceri doloris aut firmi propositi ;* quia etc... » (*De Pœn.* part. 2, n. 1762). Item: « Confessarius *tenetur* aliquando differre absolutionem, tum nempe quando advertit... pœnitentem non esse satis dispositum, uti... *si prudenter dubitetur de dolore vel proposito,* uti n. 1762 dictum est, nec necessitas exigat nunc absolvi. Unde si consuetudinarius veniat semper cum eisdem peccatis aut si neglexerit omnia media sibi præscripta, neque nunc det *specialia signa* pœnitentiæ vel sperandæ emendationis, *absolvi non potest* » (ib. n. 1765). — Præcipit ergo Lacroix recidivo formali differre absolutionem, nisi nunc affert signa specialia. Quando necessitas dandi absolutionem dubie disposito occurrit, videbimus infra thesi 22ª.

Roncaglia († 1737), de consuetudinariis in genere agens, ait:

« Hos neutiquam licere semper absolvere, *etsi dicant se dolere et proponere* emendationem, constat, quia Innocentius XI sub n. 60 damnavit propositionem: *Pœnitenti* etc. Consuetudinario ergo, *in quo nulla sit emendatio,* debet confessarius denegare absolutionem, primo quatenus *judex* est, quia non potest satis judi-

care de vera pœnitentis dispositione, quoties ob continuam reincidentiam in peccata satis cognoscere facit, vel dat motivum prudens suspicandi *ipsius propositum verum non esse.* Nec refert, pœnitentem dicere se dolere et emendationem proponere; nam hujusmodi *verba sunt contraria factis,* quando nulla adest emendatio: adeoque non tenetur confessarius illi credere» (*De Pœn.* qu. 5, cap. 4, qu. 1). — Vides eamdem semper rationem defectus propositi.

318. — Benedictus XIII († 1730), quum Archiepiscopus Beneventanus esset, in Instructione Pastorali ad confessarios de ratione agendi cum recidivis hoc præscribit:

« Quando tibi se sistit recidivus, si quidem præbet signa veri doloris et firmi propositi, poteris eum absolvere... Tunc vero poteris judicare recidivum dispositum ad absolutionem, si in peccatorum suorum accusatione dat *signa compunctionis non ordinariæ :* si accedit ad confessionem non jam consuetudine, sed notabili conscientiæ remorsu impulsus; si aliqualem emendationem secum affert; si remedia alias præstita adhibuit; si bono animo acceptat cautiones quas ipsi suggeris. *Quodsi hujusmodi signa doloris et propositi ipsi desunt ; non debes ipsum absolvere,* sed absolutionem differre, donec sufficienter tibi de hoc constet» (*Avvertimenti Pastor.* § 8). — Per « signa compunctionis non ordinariæ » intelligenda igitur sunt signa *non ordinaria sed specialia,* qualia exponit etiam S. Alphonsus; quæ si desunt, recidivo utpote non satis disposito absolutionem differre debes.

Mazzotta († 1746) hæc docet:

« Non potest absolvi recidivus, si nulla appareat spes emendationis, etiamsi ore proferat se dolere et proponere emendationem; potest tamen absolvi, si aliqua appareat spes emendationis »; quod probat ex propositione 60 ab Innocentio XI damnata. Tum pergit: « Porro signa talis spei sunt: si a confessione facta *aliquanto rarius, difficilius* aut *tardius* peccavit », aliaque plura specialia, quæ etiam apud S. Alphonsum reperiuntur. Et concludit: « Contra vero, *si nihil horum appareat,* etiamsi ore proferat se dolere et proponere emendationem, *nequit absolvi,* cum in hoc tali nulla appareat spes emendationis » (*De Pœn.* disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3).

Holzmann († 1748) recte docet, prudenter credi posse consuetudinario asserenti se serio dolere et proponere, sed limitans ait:

« *Nisi ejus assertum evertat præsumptio in oppositum ;* qualis præsumptio formanda foret, si pœnitens *ob neglectum mediorum* a confessario præscriptorum identidem rediret cum iisdem gravibus peccatis, numero non imminuto vel etiam aucto. Simili quippe casu *pœnitenti simpliciter asserenti se vere dolere* vereque emendationem proponere, *non est adhibenda fides,* nec impertienda absolutio ». Quod probat tum ex ratione, tum ex propositione 60 ab Innocentio XI proscripta, tum ex communi theologorum doctrina (« aliique passim »). Dein prosequitur: « Quod si tamen ejusmodi pœnitens, non tantum simpliciter asserat se dolere, proponere etc., sed assertum hoc suum insuper confirmet *specialibus signis,* v. g. magnis singultibus, suspiriis, lacrymis, expetitione remediorum contra relapsum etc., fides ei adhibenda erit et impertienda absolutio; quia id genus signa præsumptionem, quæ alioquin contra illiusmodi pœnitentem formanda esset, præveniunt et debellant» (*De Pœn.* n. 589).

319. — Voit (ed. 1750, † 1780) hanc regulam generalem tradit:

« Pœnitenti qui habet consuetudinem peccandi, *nisi specialia det signa doloris,* neganda est absolutio ». Rationem allegat: « Quia confessarius ut *judex,*

ut possit absolvere, debet prudenter judicare, pœnitentem esse sufficienter dispositum habereque propositum efficax non peccandi. Atqui de consuetudinario qui solum ore profert se dolere et proponere, nisi *specialia* signa serii animi det, non potest ita judicare, cum experientia doceat, priora proposita fuisse inania et cum sincero proposito non posse stare tam frequentes relapsus. Ergo » (*De Pœn.* n. 712). — Supponit autem auctor, ipsum jam *prima* vice fuisse absolutum (n. 720, 735). Tum dicit: « Si consuetudinarius det signa *specialia aut extraordinaria* doloris, potest absolvi » (n. 714); enumerat deinde eadem fere signa extraordinaria quæ S. Alphonsus.

Reuter († 1762) quoque plane concordat cum S. Alphonso.

Primo docet, prudens requiri judicium de pœnitentis dispositione; quod ut a confessario formetur, decem recenset indicia *specialia*, quæ fere conveniunt cum signis extraordinariis nostri Doctoris. Deinde has regulas statuit: « Regula *prima :* Absolvi potest consuetudinarius, imo ordinarie etiam debet... qui *prima* vice consuetudinem suam confitetur... Regula *secunda : neganda* consuetudinario absolutio est,... si *media præscripta neglexit*, quæ scivit necessaria non adhibuit ad vincendam consuetudinem, *nec modo signa dat extraordinaria* doloris et propositi, licet dicat se jam esse paratum ad adhibendum media difficiliora. Ratio est, quia *adest justa causa dubitandi de dispositione* et sæpe tales promittunt magna ex timore negandæ absolutionis, sed se et confessarium decipiunt. Unde *saltem ad tempus* neganda absolutio, ut discat melius apprehendere mediorum necessitatem » (*Neo-Confess.* n. 177, 178).

Recapitulatio hujus Thesis

320. — Hæc satis abunde sufficiunt, ut veritas nostræ thesis ad liquidum demonstretur. Alios quidem plures auctores idem asserentes omisimus. Præcipue probabilioristas adducere noluimus; non quod eorum auctoritatem parvi pendamus (cfr. *Proœmium*), sed ne illos adducendo probationem nostram pro aliquibus infirmare videamur. — Quæ autem ex hactenus inde a n. 295 allegatis luculenter constant, ad hæc *summa capita* reduci possunt:

1° Inde a sæculo xvi usque ad S. Alphonsum theologi ingenti numero, iique gravissimi sive vitæ sanctitate sive doctrinæ soliditate, docent eos qui in pravum habitum *formaliter recidivi* sunt, nequaquam semper, seu toties quoties modo ordinario confitentur, absolvi posse, sed disertis verbis, non solum suadent, verum etiam *præcipiunt*, illis, saltem post aliquot confessiones, *per se absolutionem esse differendam.* — Qui contrarium docent oppido pauci sunt, minorisque auctoritatis.

2° Plerique omnes ut rationem necessariæ hujus dilationis adducunt *defectum debitæ dispositionis*, veri scilicet doloris et firmi propositi, vel saltem *gravem præsumptionem* hujus defectus. — Ita expressis verbis S. Thomas a Villanova (supra n. 295), B. Bellarminus (n. 296), Ven. Ludovicus Granat. (n. 296), S. Leonardus a P. M. (n. 297), Ven. Segneri (n. 297), Medina (n. 298), Henriquez

(n. 299), Suarez (n. 301), Vega (n. 303), Sayrus (n. 303), De Graffiis (n. 304), Reginaldus (n. 305), Lessius (n. 305), Laymann (n. 306), Bonacina (n. 306), Coninck (n. 306), Castro-Palao (n. 307), Trullench (n. 308), Perez (n. 308), Lugo (n. 309-311), De Prado (n. 312), Tamburini (n. 312), Salmanticenses (n. 313), Francolini (n. 314), Reiffenstuel (n. 315), Sporer (n. 316), Lacroix (n. 317), Roncaglia (n. 317), Benedictus XIII (n. 318), Holzmann (n. 318), Voit (n. 319), Reuter (n. 319).

3º Item quamplurimi expresse dicunt, absolutionem iis differendam esse, *etiamsi asserunt et testantur se dolere et proponere*, vel promittunt se emendare, a. v. etiamsi signum *ordinarium* afferunt. — Ita iterum S. Thomas a Villan. (supra n. 295), S. Carolus Borr. (n. 296), Ven. Segneri (n. 286, 297), Medina (n. 298), Lopez (n. 298), Rodriguez (n. 299), Suarez (n. 301), Vega (n. 303), Sayrus (n. 303), Lugo (n. 310), Salmant. (n. 313). Cardenas (n. 314, 286), Francolini (n. 314, 286), Viva (n. 315, 286), Lacroix (n. 317), Roncaglia (n. 317), Mazzotta (n. 318), Holzmann (n. 318), Reuter (n. 319).

4º Permulti denique excipiunt illos recidivos qui in confessione alia « specialia », « peculiaria », « extraordinaria », « clariora », « manifesta » vel « vehementia » signa doloris præbent. — De hisce signis extraordinariis expressam faciunt mentionem S. Leonardus a P. M. (supra n. 297), Ven. Segneri (n. 297), Rodriguez (n. 299), Azor (n. 299), Henriquez (n. 299), Sayrus (n. 303), Fornarius (n. 304), Lessius (n. 305), Laymann (n. 306), Trullench (n. 308), Lugo (n. 310), Francolini (n. 314), Reiffenstuel (n. 315), Sporer (n. 316), Lacroix (n. 317), Benedictus XIII (n. 318), Mazzotta (n. 318), Holzmann (n. 318), Voit (n. 319), Reuter (n. 319).

321. — Quæ quum ita sint, jure meritoque S. Alphonsus suam sententiam, quatenus hæc *primæ* illi sententiæ (cfr. n. 254) opponitur, vocavit *communem*. Falsus autem est egregius Ballerini asserens, doctrinam S. Doctoris esse « novam », « recentem » et « contra communem doctorum sententiam ». Ex contrario, sententia Ballerini, quam ipse a Faure mutuatus est, adversatur doctrinæ omnium fere theologorum, imprimis magnorum illorum theologorum e Societate Jesu, quos S. Alphonsus se secutum fuisse merito gloriatur [1].

---

[1] Multorum recentiorum pro nostra thesi afferre testimonia, supervacaneum ducimus, quum ipse Ballerini passim « recentiores » ut suos adversarios impugnet. Plurimos citatos invenies apud *Vind. Alph.* II, p. 397 sqq. — Paucos tantum ex illis qui postea scripserunt allegare lubet.

Quid Lehmkuhl sentiat, vide supra n. 259, *nota* et n. 287.

Berardi post exposita varia systemata ait: « Ego adhæreo doctrinæ moderatæ prout exponitur a S. Ligorio, et quidem libentissime: non solum quia de ejus veritate et majori satisfactione mihi intime persuasum est; sed etiam quia doctrina S. Ligorii, ut toti mundo notum est, habet securitatem insignem et prorsus singularem... Duce itaque tanto Doctore, materiam istam... ego copiose, singillatim et ex professo pertractabo » (*De Recid.* n. 8).

Tanquerey de formaliter recidivis dicit: « Pauci (Faure, Ballerini, Génicot) putant eos

Reliquum est, ut rationes, quibus idem auctor sua asserta probet, ad trutinam revocemus.

Objectionibus satisfit

322. — *Obj.* 1º. Antiqui illi theologi aliam tradunt notionem recidivi ac S. Alphonsus et recentiores. Ergo frustra hi invocant illorum auctoritatem pro sua sententia. Ita sæpius Ballerini: « Cum alia sit notio recidivi penes allegatos recentiores, alia penes scholæ doctores, perperam recentiores illi invocarent nomen et auctoritatem illorum doctorum, licet thesis verbo tenus iisdem verbis apud utrosque concepta videatur » (*Opus. De Pœn.* n. 136; item n. 145, n. 201, 1º).

Resp. Negandum est *antecedens.* S. Alphonsus, et cum ipso recentiores, non minores conditiones requirit ad notionem recidivi presse sumpti seu formalis, quam antiquiores. Vide illas fuse expositas in thesi 11ª (n. 205-208). Quinimo, paucos inter antiquiores reperies, qui eas omnes notas et conditiones ita singulatim exponant et postulent ac Doctor noster; ita ut, si ad sola eorum verba attendas, dixeris fere eos esse S. Alphonso rigidiores. Theoretice differt quidem S. Doctor, et cum ipso plures antiquiores et recentiores, a pluribus aliis antiquis, in quæstione *quoties* talis recidivus absolvi possit; sed hæc quæstio longe alia est ac illa de *notione* recidivi. (Cfr. supra n. 222 et infra thesis 15ª). Quod pauci quidam, v. g. Andreucci (cfr. n. 221 sqq.), parum accurate dicunt, recidivum esse illum qui post *plures* confessiones in eadem peccata recidit, nihil est contra thesim nostram. Nam etiam hi omnes adversantur *primæ* illi sententiæ, cui post Joannem Sanchez et Faure adstipulatur Ballerini; quia nequaquam docent, recidivos *semper* absolvi posse, seu *toties quoties* se dispositos esse asserunt. Unde plane negatur *consequens;* et meritissimo omnium illorum auctoritas contra primam sententiam invocatur.

323. — *Obj.* 2º. Theologi antiqui sæpe dicunt, absolutionem recidivis differre , esse « utile », esse « consilium », quod « interdum » adhiberi « potest », idque ut remedium emendationis. Ergo dilationem non necessariam ducunt, neque eam præcipiunt ob defectum

---

absolvi posse quoties *ordinaria* dispositionis signa afferunt, ac sincere dicunt se esse dispositos ». Ipse autem hoc statuit principium: « Formaliter recidivi regulariter absolvi nequeunt, nisi *specialibus* signis ostendant se esse vere contritos. Ita *communiter* » (n. 635, 636).

Noldin ait: « Si pœnitens sæpius jam admonitus sine ulla emendatione redeat, prudens se ingerit *dubium de defectu veræ dispositionis, etsi se dolere affirmet* » (n. 408).

Ferreres docet: « *Recidivus* rediens cum eodem pravo habitu, *nullo adhibito conatu, nulloque impleto medio* ex iis quæ a confessario præscripta sunt, non potest absolvi, nisi signa *extraordinaria* (i. e. vera) doloris ostendat » (*De Pœn.* n. 741).

Eodem modo loquuntur omnes recentes S. Alphonsi discipuli: Card. van Rossum, Marc, Aertnys, Konings etc.

debitæ dispositionis. Ita sæpe Ballerini « Dilationem absolutionis hi non tamquam necessariam,... sed solum ceu utilem et interdum adhibendam proponunt » (n. 145-159).

Resp. Concedo *antecedens;* nego *consequentiam* et *consequens.* Quod antiqui in multis locis tantum loquuntur de *consilio*, prudenter *interdum* adhibendo, libenter concedimus; neque id quidquam facit contra nostram thesim, quippe quum et nos idem dicamus. — Nam primo multi agunt potius de recidivis in genere, neque ita clare distinguunt inter recidivos formales et materiales, neque plures mentionem faciunt signorum specialium. Iamvero, etiam nos cum S. Alphonso admittimus, recidivos materiales, imo et formales qui in præsenti saltem confessione præbent signa peculiaria, *ratione dispositionis* absolvi posse, et sæpe esse merum *consilium* iis *interdum* absolutionem differre (cfr. thes. 20ª, n. 435 sqq.). — Deinde, libentes etiam concedimus, plures antiquos dicere, recidivos aliquot vicibus absolvi posse, adeoque dilationem tunc esse dumtaxat consilium (cfr. thes. 15ª). — Sed præsens nostra thesis contra Faure et Ballerini hoc tantum probare intendit, antiquos communiter docere, saltem post plures confessiones recidivis formalibus, qui nullum speciale doloris signum ostendunt, absolutionem esse differendam, eosque id non ut merum consilium suadere tantum, sed ut *præceptum* habere, utpote *propter defectum debitæ dispositionis.* Hoc autem ex plurimis locis illorum auctorum, qui adversarium effugerunt aut perperam ab eo intellecti sunt, ita cumulatissime probavimus, ut nullus ambigendi locus superesse videatur. (Cfr. supra n. 320). — Quodsi aliqui antiqui ut rationem dilationis absolutionis hanc allegant: « ut pœnitens attentius vigilet », « ut se emendet » etc., hisce nequaquam indicant sicut adversarius prætendit, eos talem pœnitentem semper dispositum habere, et dilationem esse meram medicinam pro libitu adhibendam. Nam dilatio sæpe erit medicina seu remedium tum ad futuram emendationem, tum etiam ad inducendam debitam dispositionem, incusso videlicet salutari timore: unum alterum minime excludit [1].

---

[1] Ceterum, ipse Ballerini quasi sentire videtur, multos antiquos quos pro se citat, sibi non bene consentire, uti patet ex multis animadversionibus, quas in illorum textus facere cogitur. Sic v. g. de verbis Sporer dicit: « Sunt parum consona methodo ratiocinandi ex certis principiis » (n. 156). — De Anacleto Reiffenstuel: « Quæ utut forte non sibi semper cohærentia » (n. 156). — De Lugone ait: « Qui (auctor) recensendus videtur inter severiores potius quam inter benigniores » (n. 137); « Lugo, utut paulo rigidior » (n. 139); « videri poterit tantisper distare a communi (?) doctrina circa fidem habendam testimonio pœnitentis » (n. 137). — De Trullencho dicit: « hujus doctrinam minus sibi cohærere » (n. 152). — De Laymann advertit, eum « rem deducere ad conjecturas de statu præsenti e præcedentibus faciendas; at fallacissimum esse id genus regulæ facile patebit » (n. 157). — Alia plura omittimus. Atvero, non miraberis has animadversiones, si recordaveris, alia hac in re esse antiquorum principia, alia Ballerinii. Hic enim, post Faure, hoc unicum habet principium: in præsenti confessione semper credendum est pœnitenti pro se loquenti, etiamsi sexcenties cum eodem pravo habitu redierit, neque post præcedentes confessiones quidquam se emendare studuerit, neque in præsenti

324. — Hic est locus speciale instituendi examen de uno theologo ex medio ævo, scilicet de *S. Antonino* († 1459), quem Ballerini aliquoties (n. 173, 191) pro sua thesi adducit ut probet, numquam esse præceptum, sed tantum aliquando consilium recidivo formali, attestanti suum dolorem et propositum, absolutionem differre.

Itaque Sanctus Auctor (*Summ. Theol.* part. 2, tit. 2, cap. 8, § 3) agit de iis qui propter egestatem statim restituere non possunt, et docet: « Est libere in potestate prælati vel discreti confessoris dare et constituere terminum confitenti, sicut viderint necessitatem et contritionem ejus et voluntatem ejus paratam et promptam restituendi; et infra justum terminum talis potest absolvi et communicare ». Ad quæ verba scite advertit Berardi: « Quibus verbis aperte indicavit (S. Antoninus), eum ultra ipsum terminum jam absolvi non posse » (*De Rec.* n. 90). Præterea docet S. Archiepiscopus, eosdem posse sibi retinere necessaria pro sustentatione sui et familiæ, sed tamen debere « parcius vivere et parvas dotes tradere (filiabus) et si non possunt nobili vel mercatori nuptui dare, artifici vel plebejo debent tradere, et alia superflua resecare. Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum est. *Cum efficaciter videntur facere quod possunt* ad restituendum et in aliis bene se habere et cum timore Dei, credo *possunt absolvi* et communicari. Qui autem et de eo quod possunt semper procrastinant et annuatim *reperiuntur promittere confessori restituere et postea non faciunt, non videntur absolvendi*, nisi prius restituant vel disponant efficaciter negotium ut habeat exsecutionem ». — Ex hisce patet, juxta S. Antoninum primo illos qui *non efficaciter* faciunt quod possunt *absolvi non posse;* deinde *promissionem* parcius vivendi *sæpius repetitam* sed non adimpletam *non esse signum sufficiens* firmi propositi; ac proinde tales recidivos, etiamsi bona fide promittant, fidem non mereri, neque absolvendos esse. Quæ doctrina nostram thesim confirmat.

Alibi (*o. c.* part. 3, tit. 14, cap. 19, § 19) S. Antoninus, agens de speciali satisfactione a pœnitente præstanda, hæc docet: « Quod si sacerdos credit vel dubitat quod confitens non aget pœnitentiam vel istud ad quod alias tenetur, ut restituere et hujusmodi, dicit Gulielmus quod non debet propter hoc confessor exigere promissionem vel votum vel juramentum, sed sufficit si dicat se habere propositum faciendi, et sic debet absolvere simpliciter et sine conditione (i. e. non sub conditione: « si exsequeris », uti alii docebant), facta tamen protestatione si suspectus habetur, quod si non faciat illud, evacuabit sibi fructum confessionis ». Docet hic igitur S. Auctor post Gulielmum, confessarium dubitantem de adimpletione necessariæ satisfactionis (non dicit: de firmo proposito), *prima* vice debere absolvere pœnitentem credendo ejus assertioni, addita tamen illa protestatione, si aliqua suspicio de hujus adimpletione remanet. Tum pergit, agens de recidivis ob negligentiam: « Sed quia *multi decipiunt seipsos* in omni confessione promittentes restituere et hujusmodi, et semper differunt: postquam confessor perpendit, tales pluries hoc fecisse, *forte*

---

confessione ullum speciale doloris signum dederit. Antiqui vero, ut vidimus (n. 280 sqq.), illud principium hoc sensu illimitato plane rejiciunt, ajuntque præsumptionem stare contra dispositionem pœnitentis, qui post præcedentes confessiones frequenter nihil studii ad se emendandum adhibuerit, etiamsi ingenue asserat se nunc esse dispositum; ac proinde censent necessariam esse absolutionis dilationem; nisi — ut plurimi excipiunt — hæc præsumptio specialibus seu extraordinariis signis præsentibus elidatur.

esset bona cautela talibus dicere quod prius restituant et postea veniant ad confessionem seu pro absolutione, vel assignare eis aliquod congruum tempus infra quod illud debeant expedire ».

Ex hoc textu Ballerini concludit, juxta S. Antoninum recidivis formalibus absolutionem differre numquam esse præceptum, sed merum consilium. Atvero conclusio hæc præpropera est. Etenim S. Auctor supra de hisce recidivis dixerat: « *non videntur absolvendi* », quia non « efficaciter faciunt quod possunt ». Quapropter dicendum est, S. Auctorem hic non loqui de recidivis formalibus, qui *quasi statim* in habitum peccandi relabi solent et quorum propositum merito graviter suspectum habetur, sed de iis qui confitendo firmiter quidem suo tempore restituere aut satisfacere proponunt et hoc propositum etiam *per aliquod tempus retinent*, sed qui *paulatim* ob rationes plus minusve specie tenus excusantes in hac obligatione adimplenda negligentes fiunt, illamque *seipsos decipientes* diutius differunt et tandem dimittunt. Hi sane cum majore benignitate tractari possunt, quia, *quum non statim post confessionem recidant*, firmum propositum in confessione habuisse merito credi possunt; ac proinde esset tantum « bona cautela » eos differre usquedum restituerint. — Si igitur doctrina S. Antonini in toto suo complexu sumitur, thesi nostræ magis favet quam adversatur. — Ceterum, ut jam diximus, materia nostra magis ex professo a theologis sæculi XVI et deinceps tractari cœpit [1].

325. — *Obj.* 3º. Plures antiqui de absolutionis dilatione tantum loquuntur, quando agunt de *temere jurantibus* aut de *blasphemis*. Pro hisce autem speciales adsunt rationes, quæ non valent pro ceteris consuetudinariis, scilicet scandalum et negligentia voluntaria tollendi hanc pravam consuetudinem. Ita sæpe Ballerini (n. 145, 151, 154).

Resp. 1º Antiquorum longe major pars, uti vidimus, loquitur etiam de *aliis* consuetudinariis vel de consuetudinariis *in genere*.

2º Deinde etiam ex illis qui de solis temere jurantibus aut de blasphemis expresse agunt, pauci admodum et solum quasi per transennam has rationes speciales, de quibus Ballerini, memorant, sed ut potissimam rationem indicant propriam pœnitentis emendationem, et præcipue *defectum sufficientis propositi*, uti ex locis supra citatis claret. Et jure quidem meritoque. Nam solum scandalum haud ita sæpe erit ratio dilationis, « nisi, ut ait Thomas Sanchez, quando ille in blasphemiis ingens præberet scandalum » (*Decal.* lib. 2, cap. 32, n. 45); a. v. nisi agatur de aliquo insigni blasphemo, qui præ aliis publicum daret scandalum quod alio modo reparari nequit. Quod autem spectat ad illam « negligentiam voluntariam tollendi pravam consuetudinem », hæc non est specialis ratio temere jurantibus et blasphemis, sed communis omnibus habituatis: omnis namque prava consuetudo debita diligentia aptisque remediis tolli debet.

---

[1] Cfr. Berardi, *l. c.*, n. 90 et *Vind. Alph.* II, p. 409-411.

3º Quinimo, specialis adest ratio, cur temere jurantibus et blasphemis *facilius* absolutio concedi possit quam aliis consuetudinariis, v. g. in peccatis odii, luxuriæ, injustitiæ; quia generatim minor est in illis affectus ad peccatum vel illa malitia quæ, uti ex S. Thoma vidimus (supra n. 194), propria est pravi habitus ratio. Unde facilior est in recidivis in hæc peccata oris vera cordis contritio. Ita scite S. Alphonsus de blasphemis: « Notandum, inquit, circa malum habitum, quod facilius absolvi possunt recidivi in blasphemiis quam in aliis peccatis odii, furti aut libidinis, quibus habitus fortius inhæret, causa majoris concupiscentiæ sive inclinationis quæ in illis invenitur » (*Prax.* n. 75). Ita quoque Medina de pejerantibus ait: « cum peccatum istud magis videatur esse in ore quam in corde » (*Instr. Conf.* lib. 1, cap. 14, § 5). Benignius quoque quam multi antiqui S. Alphonsus loquitur de pejerantibus. (Cfr. *Th. Mor.* III, 150).

Immerito igitur Ballerini horum theologorum auctoritatem pro nostra thesi attenuare conatus est. Imo contrarium potius ex iis concludendum est: si enim ita loquuntur de temere jurantibus et blasphemis, *a fortiori* id dicent de aliis consuetudinariis.

326. — *Obj.* 4º Multi antiqui dicunt, consuetudinarium et recidivum absolvi posse, *si firmum habet propositum.* Ergo adversantur doctrinæ S. Alphonsi. Ita passim Ballerini. Sic v. g. ad verba Bonacinæ dicentis, habentem consuetudinem jurandi « in rigore et per se loquendo absolvi posse, *si firmum habeat propositum* », Ballerini exclamans adnotat: « Ecce responsio *opposita theoriæ S. Alphonsi* » (n. 149); multosque alios, uti Sanchez, Lugo, Trullench, Sporer etc., simili modo ac Bonacina loquentes, adducit tamquam adversarios S. Alphonsi.

Resp. Egregie fallitur clarissimus opponens. S. Doctor enim id plane concedit; ait v. g. in textu: « Peccator relapsus propter mali habitus vim statim absolvendus est, *si firmam habeat voluntatem* » (§ 12, supra p. 221). Atvero, *cardo quæstionis* est, *quandonam* recidivus tale firmum propositum habeat, seu *ex quibus signis* id confessario constare debeat: utrum ad id semper sufficiat signum ordinarium, testimonium nimirum ipsius pœnitentis, ut Ballerini contendit, an ad id sæpe alia quoque signa non ordinaria sed specialia requirantur, uti vult S. Alphonsus post plurimos antiquos. Unde doctus opponens in tota sua dissertatione non satis intellexisse videtur statum quæstionis (vide supra n. 246-248). — Certe facile est talibus testimoniis, quæ nihil faciunt ad rem, longum contexere auctorum catalogum, omissis aut perperam explicatis aliis eorumdem auctorum testimoniis, quæ ex professo nostram quæstionem tangunt et invicte S. Doctoris thesim probant.

327. — Alibi quoque Ballerini perperam omnino intellexit S. Alphonsum, ipsique adscribit quæ S. Doctor clarissimis verbis respuit. Sic v. g.

post prolixam disputationem dicit: « Concludendum ergo est, doctrinam S. Alphonsi eam non esse quam docuerint auctores ab eo allegati, quia hi longe absunt a recenti principio quod *consuetudo sit signum indispositionis* » (n. 159). — Atvero, S. Doctor æque longe abest ab hoc principio; quinimo illud totidem verbis ut objectionem rigoristarum adducit et refutat, ajens: « Nec valet dicere, quod prava *consuetudo est signum indispositionis ;* nam etc. » (in textu § 2; supra p. 173). Objectionem igitur rigoristarum, a S. Alphonso refutatam, Ballerini — bona utique fide — lectoribus suis proponit ut sententiam S. Doctoris. — Item Ballerini recentioribus, per quos intelligit S. Alphonsum ejusque discipulos, pluries imputat doctrinam quæ « generatim statuit, relapsum esse signum indispositionis » (n. 158). Unde recitans hæc verba Anacleti Reiffenstuel: « Ejusmodi *relapsus non est* generaliter *certum signum falsæ pœnitentiæ*, sed potius fragilitatis humanæ », iterum adnotat: « Quæ plane sunt *opposita iis quæ recens theoria S. Alphonsi tenet* » (n. 155). Sed iterum vehementer fallitur doctus opponens; nam S. Alphonsus idem quod Reiffenstuel totidem fere verbis docet, ajens contra rigoristas: « *Relapsus... non certum exhibet signum indispositionis ;* bene enim contingere potest etc. » (supra p. 219, § 10). Ergo iterum Ballerini imponit S. Doctori doctrinam, quam hic ex professo rejicit et confutat. — Alibi adversarius sententiam S. Alphonsi ita proponit, ac si S. Doctor ex solis signis præcedentibus, et non ex præsentibus, de dispositione pœnitentis judicandum esse doceat: « S. Alphonsus, inquit, signum dispositionis quærit in *præcedentibus* pœnitentis actibus; quando e contrario — velint nolint recentiores doctores —, in judicando de præsenti dispositione, omitti non debeant ea quæ *præsentem* statum aperire possunt » (n. 171). Sed hæc denuo perperam S. Alphonso et recentioribus imputata sunt. Passim namque præcipit S. Doctor, ut non solum ad præterita, sed *etiam ad præsentia* signa attendatur; sic inter signa extraordinaria quæ recenset plura ad solum *præsentem* pœnitentis statum spectant, uti infra videre est in textu n. 460, 1º, 4º, 5º, 6º, 7º, 9º (cfr. thesis 18ª). Quinimo expresse hic in textu docet: « Signa illa (*præsentia*) *directe* indicant dispositionem pœnitentis; experientia vero tantum *indirecte* » (§ 11; supra p. 220). Hæc signa præsentia sufficiunt, etiamsi præterita desint; atque hac in re S. Doctor benignius loquitur quam multi auctores antiqui qui, ut vidimus, simpliciter dicunt, hisce recidivis formalibus absolutionem differendam esse, quin de signis præsentibus specialibus mentionem faciant. Re vera diceres, egregium Ballerini obiter tantum et sine attentione legisse S. Alphonsum, quem tamen magno ardoris æstu per totam dissertationem impugnat [1].

---

[1] Plurima alia similia circa rationem disputandi Ballerini contra S. Alphonsum adducere possemus, sed ea omittimus ne tædio lectorem afficiamus et huic theologo invidiam conflare videamur. Hæc tamen specimina quasi inviti hic proferre voluimus, quia recentes quidam de re morali scriptores in materia adeo gravi nimia fiducia et absque ulteriore investigatione critica huic theologo fidem habuerunt, eumque quasi serviliter exscripserunt. — Id etiam monet Gaudé qui, postquam « animadversiones Ballerinii in ipsum S. Alphonsum haud raro inanes omnino ac fallaces » esse ostenderat, generatim hæc ait: « Cum auctor iste, acris sane ingenii, plus justo proclivis videatur ad aliorum errores carpendos, lectorem de hac insimulandi temeritate commonitum volui, ne facile Ballerinio arguenti fidem præbeat, neve illi affirmanti aut neganti statim credat, sed ut asserta ejus propius ac diligentius inspiciat, priusquam de re ipsa, vera fuerit an falsa, quidquam ipse statuat » (S. Alph. *Th. Mor.*, Tom. I, *Præf.*

Conclusio contra æquo laxiores theologos

328. — Ex iis quæ in duabus hisce postremis thesibus disputavimus ad liquidum constat, firmo talo stare S. Alphonsi sententiam de absolutione recidivorum, quatenus hæc *primæ* sententiæ opponitur, a. v. « falsum esse », ut ait S. Doctor, recidivum proprie dictum in habitum peccandi, qui nullum studium ad se emendandum contulit, neque nunc speciale doloris signum præbet, semper absolvi posse, id est *toties quoties* ad confessionem accedit, cum sola seria attestatione sui doloris et propositi. Hoc invicte probatum est, tum variis rationibus efficacissimis (thesi 13ª), tum auctoritate gravissima (thesi 14ª).

Antequam ad ulteriora progrediamur, cum sancto nostro Doctore, quasi per transennam agemus de recidivis in venialia.

Quæstio Appendix

De recidivis in venialia

(Textum S. Alphonsi vide supra p. 218, § 8)

329. — Joannes Sanchez (al. Sancius), ut laxiorem suam theoriam de semper absolvendis recidivis in peccata mortalia defenderet, recurrit ad facilitatem, qua absolutio concedi solet iis qui eodem semper modo in peccata venialia relabuntur [1]. Argumentum autem nullum est, quia, uti post Lugonem aliosque advertit S. Alphonsus in textu (§ 8), doctrina hactenus exposita *per se* etiam valet circa recidivos formales in habitum peccati venialis. — Quæ hic tradit S. Doctor illustrantur e locis parallelis VI, 432, 4º; VI, 449; *Praxis.*

Edit. p. xxxix). Dolendum hoc nobis videtur de egregio viro, qui ceterum multa optima de theologia morali scripsit.

Tanto majore voluptate hic commendare liceat eximium Lehmkuhl, quem honoris causa nominamus. Hic quippe theologus vere doctissimus certe Ballerinio longe præstat, tum doctrinæ soliditate et ratiocinandi vi, tum judicii æquitate et moderatione, tum gravitate et diligentia in tractandis quæstionibus, tum reverentia erga sanctos et magnos magistros, decessores suos. Unde in hac præsertim de occasionariis et recidivis materia generatim genuinum se ostendit discipulum S. Alphonsi, cujus doctrinam rite interpretatur, cujus auctoritate suas sententias libenter confirmat. Brevi, clarissimum Lehmkuhl merito comparabis illis antiquis Societatis Jesu theologis, quos S. Alphonsus « magistros theologiæ moralis » vocat et quorum auctoritate proprias sententias communire solet (cfr. supra *Proœmium*). Quod quidem S. Doctoris exemplum imitari et nos in hoc opere enixi sumus.

[1] « Si respectu venialium, inquit, reperiri queat verum propositum et dolor absque aliquo profectu, quare respectu mortalium id inveniri non valebit? Dum pœnitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantumcumque nulla notetur emendatio. Hoc adeo verum est; quod ea ratione asserant Suarez, Reginaldus, Graffius et cæteri, negandam iri absolutionem quando nullus apparet profectus, quod præsumatur fictitium propositum pœnitentis. Vellem ab iis audire, quare respectu venialium non adsit hujusmodi præsumptio, etsi nullus appareat profectus et inchoata emendatio; interveniat tamen respectu mortalium? » (*Selecta*, disp. 10, n. 16).

n. 71, 99 et 188. — Ut hæc rite intelligantur, lubet hic exponere totam S. Alphonsi doctrinam circa confessionem peccatorum venialium.

330. — I. Confessio sacramentalis solorum peccatorum venialium sine vero dolore et proposito est in se sacrilegium et peccatum mortale. Ita theologi *communiter*, ut ait S. Alphonsus (VI, 449, dub. 1°). Et in *Praxi* dicit: « Est communis sententia, grave esse peccatum et sacrilegium, absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore et proposito » (n. 71). Neque hac in re a communi sententia recedit Joannes Sanchez supra; dissentiunt tantum — quod miraberis — quidam rigoristæ (ap. S. Alph. VI, 449, 1°). — Ratio asserti est, quia gravis est irreverentia et quasi irrisio, velle recipere aut conferre sacramentum quod certe suo frustratur effectu. « Ratio nimis urget, inquit S. Doctor; nam tota malitia culpæ in hoc casu consistit in injuria quæ irrogatur sacramento, illud suo effectu frustrando. Sive ergo sacramentum frustretur ex materia gravi sive ex levi, nihil refert; quia semper eadem irreverentia sacramento infertur » (*l. c.*). — Lege sis Card. de Lugo, qui id fuse probat et oppositam sententiam dicit « omnino falsam » (Disp. 14. n. 109 sqq.).

II. Facilius adest in confessione sufficiens dolor et propositum de peccatis venialibus quam de peccatis mortalibus. Etenim sufficit dolor et propositum de uno alterove horum venialium, imo etiam de illorum multitudine vel excessu. (Cfr. S. Alph. VI, 449, dub. 2). Ratio est, quia unum peccatum veniale sine altero remitti potest — id quod in peccatis mortalibus fieri nequit —; et qui dolet de multitudine et frequentia venialium necessario etiam dolet de posterioribus culpis, per quas illa multitudo constituitur, et quas imminuere proponit. Neque etiam tam stricte requiritur propositum vitandi occasiones proximas peccati venialis; sunt enim « frequentiores » quam ut omnes collective sumptæ vitari queant, et tantum indirecta sunt peccati causa, a qua vitanda leve incommodum jam excusat. (Cfr. Lugo, *l. c.*, n. 157). Hinc etiam « facilius absolvi possunt qui in eadem recidunt venialia », ut ait S. Doctor in textu (h. l).

III. Attamen, si quis diu eodem semper modo in eumdem habitum peccati venialis deliberate recidit, neque ullum unquam illud vitandi conatum adhibet, merito præsumitur defectus omnis propositi, ac proinde, nisi de aliis vere doleat, confessio in se sacrilega esset. Sane major est quidem nostra debilitas in vitando peccatum leve quam in vitando peccatum grave, ac proinde facilior et frequentior poterit esse in illud relapsus, non obstante proposito efficaci. Sed tamen, si numquam adest aliqua emendatio neque emendationis studium, ad infirmitatem propositi concludendum foret; quia verum propositum aliquando saltem aliquid operatur. Quapropter merito Lugo principium suum psychologicum (cfr. supra n. 309) etiam applicat recidivis in habitum peccati venialis, servata licet

proportione; ait enim: « In ipsis etiam peccatis venialibus solet aliquando argui imperfectus dolor ex uniformi perseverantia in eisdem sine ulla specie emendationis. In iis tamen facilius potest præsumi propositum validum; quia impossibilitas materiæ facere potest, quod non obstante dolore et proposito in eadem sæpius relabamur » (*l. c.*, n. 160). Hinc quoque S. Alphonsus: « Si (pœnitens) de certis venialibus confitetur sed usualibus sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione, et similibus: ut absolutio illi præberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi, quantum potuit, vim intulerit ut passionem superaret; quia tunc judicari poterit, ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter et sine resistentia in hujusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum est tamquam cum recidivo » (*Praxis.* n. 99).

331. — Ex dictis pro praxi hæc sequuntur. — Confessarius sedulam det operam, ut pœnitentes, qui nullam materiam gravem exhibent et semper in eadem peccata venialia recidunt, verum dolorem et propositum habeant. Ipse enim, ut minister sacramenti, stricte curare debet, ne sacramentum invalide conferatur; quinimo hac in re facilius peccare poterit quam pœnitens, qui ob ignorantiam vel inconsiderationem sæpe a peccato formali excusaretur. Hinc S. Alphonsus: « Diligenter satagat confessarius ad non absolvendos indistincte tales pœnitentes. Tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, tamen non poterit a sacrilegio excusari, absolutionem impertiendo eis qui ad absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea curet, si pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat, aut ei insinuare ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero); ut habeat materiam certam, super qua inniti possit absolutio: alioquin etiam huic pœnitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio » (*Praxis.* n. 71). Et alibi: « Non absolvat pœnitentes illos, qui afferunt tantum peccata venialia sed habituata: nisi cognoscat illos vere pœnitere et proponere emendationem saltem de aliquo ex illis, aut si non ponant pro materia aliquod peccatum gravius vitæ anteactæ... Oh quot confessiones invalidæ, quæ in se vera sunt sacrilegia, fiunt in hoc ob confessariorum negligentiam! » (ib. n. 188).

332. — Itaque confessarius talibus pœnitentibus identidem inculcet necessitatem veri doloris et propositi, eosque edoceat, hæc ad valorem sacramenti prorsus requiri, non autem longam enumerationem singulorum venialium aut imperfectionum. Ne tamen nimis hac de re angatur; nam primo sufficit in hoc sacramento certitudo probabilis et late dicta (cfr. thesis 19[a]); et deinde ut plurimum facile erit hujusmodi pœnitentes inducere, ut aliquam materiam certam ex vita anteacta includant, de eaque præcipue dolorem eliciant [1]. — Quæ diximus valent etiam de personis

[1] Disputant auctores recentes, utrum hoc casu sufficiat accusatio omnino generica, v. g. « me accuso de omnibus peccatis vitæ anteactæ », an requiratur nominare aliquod genus

devotis, de fratribus et sororibus religiosis, de clericis etc. qui facile ex consuetudine confitentur, imo etiam de sacerdotibus, qui ad exposita principia theologica non satis attenderent. — Quodsi nihilominus confessarius vere dubius manet, sive de dolore sive de sufficienti materia, poterit aliquando eis concedere absolutionem sub conditione, ut S. Alphonsus advertit circa pueros, « ne careant diu gratia sacramentali, et forte etiam sanctificante, si forte aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam » (*Praxis.* n. 91). Secus solam benedictionem dabit, et pœnitentibus illis nimis tepidis rationem indicabit, ut nimirum efficacius proponere et se emendare studeant. Sin autem timet, ne ita offendantur, poterit eos in bona fide relinquere putantes quod absolutionem acceperint; nam ex una parte jus non habent ad absolutionem, utpote dubie dispositi; ex altera parte non est fictio proprie dicta, et justa adest causa permittendi eorum deceptionem.

Post hanc digressionem de recidivis in venialia, S. Doctor redit ad materiam principalem. Stabilita igitur thesi generali, recidivos formales non semper seu toties quoties absolvi posse, licet se dispositos credant et dicant, venit alia quæstio particularis, *quoties* scilicet hi absolvi possint, antequam speciale quoddam doloris signum exhibeant. Qua de re, ut ait S. Alphonsus (§ 9), dissentiunt auctores. Unde sequitur

ARTICULUS III.

De recidivo formali jam semel rite admonito et absoluto.

(Textum S. Alphonsi vide supra p. 219, § 9).

Thesis 15ª.

I. Haud immerito S. Alphonsus cum multis aliis docet, recidivum formalem, qui jam semel serio admonitus fuit ac absolutus, neque ullum in præsenti confessione speciale dispositionis signum præbet, utpote dubie dispositum, per se statim absolvi non posse. — II. In praxi tamen tale signum speciale a diligenti confessario primis vicibus ut plurimum reperietur.

---

peccatorum, licet sine specie infima et numero, v. g. « me accuso de peccatis vitæ præteritæ contra IV et VI præceptum ». Permulti quidem tenent, talem confessionem omnino genericam sufficere ad sacramenti *valorem*. Nam certe sufficit in casu necessitatis, v. g. moribundi; ergo essentia sacramenti, in quantum ad accusationem, etiam salvatur, si materia non est necessaria sed libera. Præterea eadem ratio quæ probat accusationem cum ultima specie et numero non requiri, etiam valet pro accusatione omnino generali. Hæc igitur sententia nobis satis certa videtur. Sed præterea disputant auctores, num hæc accusatio omnino generica *liceat*. Alii negant, ex praxi Ecclesiæ; alii affirmant, negantes hanc praxim, vel dicentes hanc praxim, etiamsi existeret, non habere vim præcepti. Hæc ultima sententia nobis quidem valde probabilis videtur, ac proinde, quum de sola liceitate agatur, in praxi satis tuta, saltem si difficulter aliqua materia magis determinata ex pœnitente extundi potest. Neque S. Alphonsus contra hanc sententiam jure adduci potest; quia hanc controversiam non tractat, sed obiter tantum dicit, sufficere includere aliquod peccatum gravius contra quoddam præceptum absque numero; quod omnes admittunt. Tutius nihilominus erit aliquod genus peccatorum exprimere.

Explicatur Thesis

333. — *Prima* theseos pars a S. Alphonso docetur tum hic in textu (§ 9), tum alibi. In *Praxi* dicit: « Quidam doctores admittunt, recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem. Sed huic opinioni numquam potui acquiescere; quia habituatus qui post unam confessionem recidit sine emendatione, jam est verus recidivus, et fundatam præbet suspicionem suæ indispositionis » (n. 71).

Altera pars, licet expressis verbis a S. Doctore non tradatur, nihilominus plane est ad ejus mentem. — Constat autem experientia. Apud multos enim recidivos pravus habitus initio non est adeo radicatus, neque eorum affectus adeo depravatus. Hi ergo, si frequentius, puta singulis mensibus, et sponte ad confessionem accedunt, si præterea a diligenti confessario affectu paterno fuerint accepti et ferventi exhortatione ad contritionem excitati, primis præsertim vicibus facile *specialibus* quibusdam verbis, intimo ex animo profectis, novum dolorem firmumque propositum patefacient, etiamsi post ultimam confessionem eodem fere modo ac antea relapsi fuerint. Atque hic forte sensus est quorumdam antiquorum qui tenent, recidivum ter quaterve absolvi posse. Hi casum considerare videntur, prout sæpe *in praxi* occurrit. Sanctus vero Alphonsus aliique rem *theoretice* juxta principia tractant. Itaque alius esset casus, si quis recidivus formalis raro aut mera consuetudine inductus confiteretur, si nullum peculiare dispositionis signum exhiberet et etiam post ferventem confessarii admonitionem nullatenus commotum se ostenderet, sed modo ordinario simpliciter responderet se dolere et proponere. Talem recidivum, semel jam serio admonitum, S. Alphonsus cum aliis censet, generatim statim absolvi non posse, sed per se ei, utpote dubie disposito, per breve tempus absolutionem esse differendam (n. 339, 1°).

Probatur Thesis

I. — *Ratione.*

334. — Quæ supra (n. 258 sqq., 262 sqq.) adductæ sunt rationes ad probandum recidivo formali semper ac toties quoties absolutionem dari non posse, servatis servandis, valent quoque ad ostendendum, ipsum neque post *primam* seriam adhortationem et absolutionem statim absolvendum esse, si « eodem modo reciderit, nullumque ad se emendandum conatum adhibuerit » (h. l., § 9), neque nunc ullum speciale doloris signum præbuerit. Valet hic, inquam, eadem ratio psychologica, quam S. Alphonsus post Lugonem hisce verbis indicat: « Qui enim firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita

facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit » (h. l., § 7). Quæ ratio experientia quotidiana in aliis rebus quas firme proponimus comprobatur, ut supra (n. 258, 261) ostendimus. Ratiocinando igitur ex iis quæ communiter contingunt — uti præcipit prudentia (cfr. n. 259) — dicendum est, habituatum, qui ita recidit, probabiliter saltem ostendere, se in præcedenti confessione non satis firmum habuisse propositum; ac proinde, quia ex præteritis prudens fit conjectura ad præsentia, « eadem suspicio utique occurrit » (§ 9), seu adest « fundata suspicio » vel probabilitas non elisa eum etiam in præsenti confessione non firmius quam antea propositum habere. Est quidem in præsenti confessione tale firmius propositum possibile, imo admittimus illud prima vice etiam plus minusve probabile esse; sed hæc probabilitas in casu non sufficit ad concedendum ipsi statim beneficium absolutionis. Etenim quum huic probabilitati obstet alia gravis probabilitas seu fundata præsumptio ex tali relapsu exorta, confessarius versabitur in dubio stricto et positivo circa ejus dispositionem, ac propterea, ut S. Doctor ait, « fit ut confessarius non possit habere de ejus dispositione moralem certitudinem sufficientem respective ad hoc sacramentum, ut infra explicabitur n. 461 » (h. l.). (Cfr. thesis 19ª). Itaque ratio Lugonis supra pro thesi 13ª adducta, logica consequentia ducit etiam ad admittendam hanc thesim 15ªm. — Atque idem magna ex parte dicendum de pluribus aliis rationibus relatis supra præsertim n. 262-264, 274 sq., 278 sq.

335. — Diximus supra: *servatis servandis* valent eædem rationes ac pro thesi 13ª. Nam si quis post *multas* confessiones diuturno tempore semper eodem quasi modo est relapsus, quin unquam aliquomodo se emendaverit, aut aliquod speciale doloris signum præbuerit, « tunc, ut ait S. Alphonsus, revera *moraliter certum* est confessiones fuisse nullas », ac proinde, esse repetendas (VI, 505) [1]. Post *primam* vero confessionem aderit non quidem illa moralis certitudo, sed tamen grave *dubium positivum;* quod dubium, licet non obliget pœnitentes ad repetendam confessionem præcedentem — nam « in dubio standum est pro valore actus » (*l. c.*) —, tamen obstat quominus in præsenti confessione sacramentum conferri possit.

336. — *Objiciet* forte quis: juxta S. Alphonsum occasionarius, qui recidivus est ob occasionem interruptam, bis terve absolvi potest. (Cfr. thesis 4ª). Ergo idem dicendum esset de recidivo in pravum habitum sine occasione.

Resp. Nego paritatem. Occasionarius ille, quum non supponatur habituatus, peccat *ex passione*, vehementer excitata per præsentiam

---

[1] Alibi S. Doctor sic loquitur: « Si pœnitens *plerumque* statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit, tunc videtur *moraliter certus* doloris ac propositi defectus » (*Hom. Ap.* tr. 16, n. 103 in fine).

objecti. Jamvero, qui ex passione peccat « cito pœnitet », ut ait S. Thomas, neque *permanenti* inclinatione inhæret peccato (cfr. supra n. 197 sqq.). Ergo bene bis terve credi potest pœnitenti testanti suum dolorem et promittenti se occasionem vitaturum. Sed qui relabitur *ex habitu*, voluntatem habet *permanenter* ad peccatum inclinatam; unde ejus voluntas non tam cito nec tam facile immutatur; quod tamen necesse est ad veram conversionem. Itaque nequaquam eodem modo credi potest attestationi pœnitentis qui ex habitu relapsus est, ac illius occasionarii qui ex mera passione recidit. — Secus autem esset, si ille occasionarius esset *simul recidivus in habitum*, v. g. si quis per notabile tempus quavis hebdomade peccatum fornicationis commisisset adeoque hujus vitii habitum contraxisset. Huic profecto, si post primam monitionem eodem modo sine ulla fere resistentia relapsus fuisset, generatim absolutio differenda foret, quia tunc passio in statum permanentem habitus transiit. (Cfr. *Vind. Alph.* II, p. 400).

337. — Post hæc facilis est responsio ad ea quæ interrogando *objicit* Ballerini (n. 169): « Numquid quod quis fuerit admonitus, hoc tribuit impeccabilitatem, ut non possit eodem modo relabi? » *Resp.* Nequaquam illam tribuit, sed agitur hic de vera contritione; ergo nihil ad rem. — « Aut idcirco non poterit nunc esse contritus et dispositus? » *Resp.* Utique *poterit;* sed confessario constare debet, ipsum *re vera* esse contritum: agitur hic de *signis* veræ contritionis; ergo nihil ad rem. — « Quinam novus hic canon est, quod quis censeatur nunc non dolere nec habere propositum, quia prius peccavit multum, nec conatum pro emenda adhibuit? » *Resp.* Est antiquus canon seu regula psychologica, jam a Lugone multisque aliis tradita et quotidiana experientia firmata, juxta quam non quidem certe censetur quis non dolere, sed merito dubitatur de vero ejus dolore firmoque proposito, nisi nunc modo aliquo *speciali* melius quam antea suam dispositionem ostendat. — «Ceterum si alia vice potuit confessarius judicare dispositum, quænam nunc nova ratio adest, cur modo dispositum non possit credere? » *Resp.* Nova illa ratio hæc est, quod hic habituatus nihil eorum fecit quæ post seriam confessarii exhortationem se proposuisse dixerat; quæ ratio efficit, ut saltem prudens adsit dubium de firmitate ejus propositi præteriti, ac idcirco etiam præsentis, si eodem modo ordinario ac antea se proponere dicit, neque ullo modo speciali seu extraordinario suum firmum propositum ostendit. — Hæc omnia logice inter se cohærent et fuse probata sunt.

II. — *Auctoritate.*

338. — Licet « quidam doctores », ut ait S. Alphonsus in *Praxi* (cfr. supra n. 333, et in textu p. 219), theoretice primæ hujus thesis parti refragentur, tamen multos alios adducere fas est, qui eidem haud obscure faveant.

Etenim ex textibus in thesi 14ª allegatis constat, permultos

auctores *indistincte* docere, recidivos qui eodem modo sunt relapsi, non statim esse absolvendos; agunt ergo de omnibus recidivis formalibus, etiam prima vice relapsis; neque ullatenus dicunt, eos pluries absolvi posse, si nullum speciale doloris signum præbent. Ita v. g. S. Thomas a Villanova (supra n. 295), S. Franciscus Sal. (n. 296), Ludovicus Granatensis (ib.), Segneri (n. 297), Reginaldus (n. 305), Francolini (n. 314), Benedictus XIII (n. 318), Mazzotta (ib.), Voit (n. 319), Reuter (ib.).

Alii dicunt quidem, *temere jurantes* ter quaterve absolvi posse; de aliis autem consuetudinariis id minime asserunt. Unde nobis potius suffragantur; nam S. Alphonsus quoque censet, temere jurantes, imo etiam blasphemos, multo facilius absolvi posse (supra n. 325).

Præterea plurimi nullam faciunt mentionem de præmissa *admonitione*, ut ex allegatis videre est. Hi ergo opponi non possunt huic thesi; quia ut absolutio huic recidivo differri debeat, cum S. Alphonso requirimus, ut ante rite fuerit admonitus. Etiam Lugo ponit quidem casum de recidivo « post multas confessiones », sed satis clare ipsum non admonitum supponit, dicens: « si numquam admonitus fuit de mediis adhibendis » (supra n. 310).

Deinde multi dicentes, recidivum pluries absolvi posse, ita ambigue loquuntur, ut non constet, utrum de recidivo proprie dicto agant, i. e. de eo qui relapsus est ex habitu, an de recidivo ex mera passione transeunte. Huic autem, utpote *materialiter* tantum recidivo, pluries absolutionem statim concedi posse, sæpe jam diximus.

Denique plures qui de iterata recidivorum absolutione agunt, non loquuntur de *signis specialibus*, et hunc casum potius considerare videntur, prout in praxi sæpe occurrit. Jamvero *practice* in primis confessionibus pœnitens facilius post debitam confessarii adhortationem signo quodam speciali seu extraordinario veram suam conversionem ostendet; quo casu etiam juxta nos pluries illico absolvi potest.

339. — Ex hactenus probatis hæc colligere possumus:

1º S. Alphonsi sententia de differenda absolutione habituato formaliter recidivo, qui jam *semel* serio admonitus est et absolutus, neque ullum speciale signum dispositionis præbet, si *theoretice* seu secundum principia et rationes intrinsecas perpenditur, certe vera videtur. Est præterea gravi auctoritate firmata. — In *praxi* tamen casus post unam dumtaxat monitionem haud ita sæpe occurret, sive quia nondum satis constabit, pœnitentem ex vero habitu et non ex mera passione peccasse, sive quia forte non omnes conditiones recidivi formalis adsunt, sive quia initio sæpe facili negotio signum quoddam speciale seu extraordinarium a sedulo confessario reperiri aut excitari poterit. Quodsi casus occurrit cum omnibus illis conditionibus a S. Alphonso positis, generatim nobis

S. Doctoris sententia sequenda videtur, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur, neve pœnitens profundius usque peccatis immergatur, sed a culpabili et periculosa sua segnitie jam statim ab initio excutiatur [1]. — Dicitur: *generatim*, ut excludantur casus de quibus in thesi 22ª.

2º Ab historica veritate longe alienum est quod dicit Ballerini, videlicet sententiam thesi Alphonsianæ oppositam « sententiam esse quæ universim veteribus doctoribus communis fuit, nec habebis profecto, quos illi opponas, nisi forte addictos novitatibus sæculi XVII e Belgio oriundis » (n. 168), a. v. Jansenianos et rigoristas. Hæc quidem magna emphasi prolata sunt, et erga S. Alphonsum haud parum reverenter dicta, quasi rigorismi Janseniani labe conspersus fuisset ille quem S. Sedes ipsius Ecclesiæ Doctorem renuntiavit, quemque publice testata est a divina Providentia fuisse vocatum, ut « Jansenianam doctrinam radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret » (*Litt. Apost.* 7 Julii 1871). -— Ast oppido fallitur egregius auctor; quum multi antiqui theologi, ut vidimus, thesi nostræ adhæreant, alii multi ambigue loquantur, aut non agant de illis conditionibus, quas S. Doctor ad notionem veri recidivi formalis postulat. Si qui remanent thesi nostræ expresse adversantes, hi certe communem sententiam minime efficiunt [2].

Scholion

De benigniore præ multis antiquis S. Alphonsi circa recidivos doctrina.

340. — Ex testibus antiquorum theologorum, fuse a nobis pro thesi 14ª allegatis, constat S. Alphonsum nequaquam — uti aliqui recentes censent — antiquis illis auctoribus generatim hac in materia esse severiorem. Quinimo merito dixeris, sanctum nostrum Doctorem iis limitibus thesim suam de recidivis restrinxisse, ut *benignius locutus sit*, quam permulti ex illis etiam theologis probatis, qui labe rigorismi janseniani minime erant aspersi. Etenim:

1º S. Alphonsus agit de solis recidivis in *habitum* peccandi. — Plurimi autem antiqui loquuntur tantum de recidivis *simpliciter*, quales sunt etiam recidivi, qui ex mera passione peccant.

2º S. Alphonsus limitat suam thesim ad solos recidivos *formales*, qui scilicet *eodem modo statim* et *sine ullo fere emendationis*

---

[1] Ita quoque Berardi: « Si vere constat, pœnitentem in primis diebus post confessionem, etsi *unicam*, eadem facilitate sicut antea relapsum fuisse, quin ullo modo tentationibus obstiterit, et ullo modo remedia acceptata applicaverit: utique id sufficit, ut præsumi debeat eum accessisse indispositum ad illam confessionem, et proinde suspicandum sit ne forte etiam ad confessionem præsentem indispositus venerit » (*De Rec.* n. 99).

[2] Cfr. Berardi (*l. c.*, n. 100) et *Vind. Alph.* II, p. 380-403.

studio in eumdem habitum recidunt. — Multi vero antiqui ita loquuntur, ut eorum sententia etiam de recidivis *materialibus* explicari possit; imo pauci sunt, qui ita explicite et singulatim notas et conditiones recidivi formalis declarant ac S. Doctor noster.

3º S. Alphonsus semper expresse vult, ut ille recidivus jam *antea serio admonitus* fuerit. — Multi vero antiqui de præmissa admonitione nihil dicunt.

4º S. Alphonsus cum multis excipit semper eos recidivos formales, qui *hic et nunc signa extraordinaria seu specialia* doloris præbent. — Complures vero ex antiquis horum signorum nullam faciunt mentionem, et generatim dicunt, illis recidivis absolutionem esse differendam.

Postquam triplici thesi sententiam S. Alphonsi probavimus et defendimus contra auctores æquo benigniores, modo eam vindicare oportet contra rigoristas. Hinc

ARTICULUS IV.

De absolutione recidivi qui specialia quædam præbet dispositionis signa.

(Textum S. Alphonsi vide supra p. 217, § 6 et p. 219 sq., § 10-12).

Thesis 16ª.

Recidivus formalis, qui specialia quædam seu extraordinaria suæ dispositionis signa præbet, a confessario, ut judex est, statim absolvi potest.

Explicatur Thesis

341. — Dicitur: 1º *Recidivus*, et intelligitur ille qui in eumdem pravum habitum relapsus est, qualem supra thesi 11ª definivimus. Ergo a fortiori absolvi potest recidivus materialis, qui ex mera passione transeunte, licet sæpius, recidit.

2º *Specialia seu extraordinaria* dispositionis signa sunt omnia illa, sive præterita sive præsentia, quæ internum animi dolorem manifestant, præter simplicem confitendi modum et solitam pœnitentis assertionem de suo dolore, uti diximus supra n. 255. — Quæ in specie sint, videbimus ad thesin 18ªm (n. 361 sqq.).

3º A confessario, *ut judex est.* Quid enim confessarius, ut medicus, facere possit aut debeat, vide infra thesi 20ª.

Thesis hæc passim a S. Alphonso statuitur contra *rigoristas* sæculi XVII et XVIII, quorum doctrinam hic (§ 10, p. 219) « intolerabilem rigorem » vocat; ajunt enim « numquam absolvi posse consuetudinarium », neque a fortiori recidivum in consuetudinem, « nisi per longam experientiam constet de ejus emendatione ».

Probatur Thesis

I. — *Ratione theologica.*

342. — Post ea quæ supra thesi 12ª (n. 230) de absolutione simplicis habituati ostendimus, brevi hujus thesis probationem expedire possumus. — Etenim, quum habitus non sit per se signum indispositionis, unica ratio ob quam recidivus in habitum statim absolvi non posset, esset idem ac antea relapsus. Jamvero neque ille relapsus per se « *certum* exhibet signum indispositionis », ut dicit S. Alphonsus (p. 219, § 10), sed tantum prudentem præbet præsumptionem seu gravem aliquam suspicionem defectus veri doloris ac firmi propositi. Atqui hæc ratio non subsistit in pœnitente qui, præter ordinarium confitendi modum, confessario præbet *alia quædam extraordinaria seu specialia* suæ dispositionis argumenta; tunc enim « tollitur » ac eliditur illa præsumptio seu gravis suspicio ex relapsu orta, ita ut confessarius jam non in vero dubio versetur, sed « prudenter », i. e. certitudine prudentiali seu probabili et opinativa, « judicare possit suum pœnitentem satis esse dispositum ». Hujusmodi autem prudens ac probabilis certitudo sufficit, ut absolutio statim concedatur. (Cfr. thes. 19ª).

Atque hæc etiam ratio psychologica iterum quotidianæ vitæ experientia comprobatur. Sane merito quidem dubitatur de firmo proposito pigri alicujus studiosi qui, jam serio a patre admonitus, nihil omnino facit ad pigritiæ habitum excutiendum, sed statim post eumdem vitæ tenorem continuat (supra n. 261). Atvero si quis studiosus, utut iterum in pigritiam relapsus, tamen specialia quædam firmioris sui propositi indicia præbet, sive quod jam serios quosdam se emendandi conatus adhibuit, sive quod nunc non modo ordinario sed specialibus signis sincerum suum dolorem manifestat, tunc profecto pater iterum prudenter ejus attestationi fidem adhibebit.

343. — Ad magis illustrandam hanc rationem, simulque *refutandas rigoristarum objectiones*, sequentia cum S. Alphonso advertere lubet.

1º Ad rationem veræ pœnitentiæ nequaquam requiritur constans emendatio, neque prævisio nullius relapsus. Nam *concilium Tridentinum*, innixum Sacra Scriptura, ad justificationem ex parte pœnitentis solum postulat veram conversionem, i. e. *actualem* mutationem voluntatis, qua homo hic et nunc peccatum suum ex intimo animo detestetur, ac propterea firmiter proponat illud non amplius committere (cfr. supra n. 229). Licet ergo hæc firma voluntas ordinarie pro effectu habeat, ut pœnitens aliquod saltem serium se emendandi studium adhibeat, nihilo minus, quum mutationi obnoxia sit nostra voluntas, poterit iterum sub influxu habitus aut passionis se avertere ab ultimo fine et convertere ad creaturas, idque non solum una alterave vice, sed etiam habitualiter. Hinc S. Al-

phonsus in textu (§ 10) dicit: « Bene contingere potest quod pœnitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus sit relapsus »; et paulo infra cum Lugone ait: « Dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura: atque ita (pœnitens) poterit absolvi, licet judicetur relapsurus ».

Neque *Sancti Patres* emendationem stabilem requirunt ad veram illam pœnitentiam quæ in sacramento ad justificationem sufficit. Si enim in adhortationibus ad populum dicunt e. g. cum S. Gregorio M.: « Pœnitere est perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare» (*Hom.* 34 *in Evang.*; Migne, 76, 1256) aliave hujusmodi, intelligunt illam perfectam pœnitentiam, quæ ordinarie ad perseverantiam finalem præmiumque æternum secure obtinendum postulatur [1]. Aliis autem locis iidem Patres aperte asserunt, etiam identidem relapsos, modo per pœnitentiam semper resurgant, semper a Dei misericordia peccatorum veniam consequi posse (uti e. g. S. Hieronymus in textu § 12). Ceterum, ut hic notat S. Alphonsus, « tot auctoritates SS. Patrum, quos adducunt adversarii, nihil aliud probant quam magnam illam difficultatem quæ adest in exstirpando pravo habitu » (§ 10). (Cfr. supra n. 290).

Dicendum igitur est, perfectam illam stabilemque emendationem, de qua rigoristæ, nequaquam esse conditionem ad recipiendam absolutionem necessariam, sed potius effectum frequenti sacramentorum usu obtinendum. Unde, juxta Rituale Romanum (*De Pœn.* n. 20), frequens ille usus iis qui facile in peccata recidunt est efficax remedium, quo paulatim a prava consuetudine liberentur. (Ap. S. Alph. infra n. 464, § 10).

344. — 2° Quodsi de *signis* veræ pœnitentiæ sermo est, falsum quoque est, ut S. Doctor advertit (§ 11, p. 220), emendationem certo aliquo tempore probatam, *unicum* esse mutatæ voluntatis signum. Nam

a) Deus per gratiam suam, « quæ tempore non indiget sed in instanti operatur » (§ 11), etiam immediate ante confessionem vel in ipsa confessione peccatorem ad verum actum contritionis excitare potest. Quæ contritio si per *præsentia* signa patefit, confessarius, ut prudenter judicet, jam non signis præteritis seu aliqua vitæ emendatione indiget, sed sufficit ut hæc signa præsentia sint quædam *peculiaria magisque manifesta*, quibus præsumptio illa orta ex neglectu omnis emendationis elidatur.

b) Immo, ut sapienter iterum S. Alphonsus (§ 11), signa præterita seu emendatio experientia probata per se *indirecte* tantum præsentem dispositionem probant, quatenus nimirum ex bona dispositione præterita regulariter conjectura præsumere licet bonam dispositionem præsentem; signa autem præsentia, in casu specialia et extraordinaria, *directe* ad præsentem confessionem referuntur. Hinc « aliquando » et « non raro » evenire potest, ut quis ex motivo mere naturali se a peccando abstineat, adeoque dispositus non sit, v. g. si quis aliquo tempore ante confessionem non peccet aut occasionem fugiat ob solum timorem naturalem non recipiendæ absolutionis (*l. c.*).

---

[1] Cfr. Lacroix, *De Pœn.* part. 2, n. 1752. — Aliam explicationem a S. Thoma datam vide supra n. 260.

345. — 3º Ex hisce merito concludit S. Doctor (§ 12) ad absolutionem prudenter concedendam sufficere « *vera* signa doloris et propositi », sive hæc præterita sint, ut aliqua emendatio, sive præsentia. Pro simplici habituato sufficiunt signa ordinaria (cfr. thes. 12ª); pro recidivis autem in eumdem habitum, ut hæc signa vera sint, i. e. ut vere et jure ex iis ad dispositionem internam concludere liceat, postulantur quædam *clariora, peculiaria* seu *extraordinaria*. Hæc enim sola in hujusmodi recidivo ut « *vera* doloris signa » habenda esse, S. Doctor in prima parte textus (§ 7) jam probaverat; idque hic (§ 10) iterum dixerat; hæc sola in proxime sequentibus (VI, 461) late exponit. Quæ signa vera seu specialia si adsunt, confessarius, ut judex est, toties quoties etiam recidivum absolvere poterit; ac propterea « quasi temerarium esset dicere, omnem recidivum esse indispositum » (§ 12), nisi prius se emendaverit. Sufficit quippe « firma voluntas » abstinendi se a peccatis et adhibendi media, manifestata per illa vera seu extraordinaria signa, sive præterita sive præsentia.

Varias alias *objectiones rigoristarum* vide supra n. 228, 229, 233 et infra n. 434.

II. — *Ex funestis consequentiis sententiæ rigoristarum.*

346. — Quam « intolerabilis rigor » sit, recidivis passim absolutionem differre, donec per longam experientiam de eorum emendatione constet, luculenter etiam patet ex hujus praxeos sequelis. Quum enim ingens sit peccatorum recidivorum numerus, praxis illa frequentissima in Ecclesia foret. Quodsi fieret, permulti miseri peccatores, licet hic et nunc per signa specialia se satis dispositos esse ostenderent, difficultate obtinendæ absolutionis absterrerentur a sacramento Pœnitentiæ, quo quidem maxime indigent, et ita paulatim ab Ecclesia et a fide alienarentur; idque præsertim hac nostra ætate in qua fides multis in locis jam adeo languida est. Neque etiam generatim hac imprudenti ac importuna dilatione emendarentur, sed potius animum desponderent, et desperabundi vitiis pravisque consuetudinibus laxas habenas præberent [1].

Has nefastas rigorismi sui temporis sequelas infra testatus est S. Alphonsus, tristi experientia edoctus: « Quot miseros, inquit, ipse cognovi, qui ob denegatam absolutionem se dejecerunt in desperationem et per plures annos a sacramentis aversi aberrarunt! » (n. 464, § 11; item *Praxi*. n. 77). Hunc igitur errorem qui, a Jansenistis maxime inductus, per sesqui fere sæculum adeo tristes inter fideles produxerat effectus, sanctus Doctor magno semper ardore impugnavit; immo verissime cum SS. Pontifice Pio IX dicitur, ipsum a divina Providentia missum fuisse, ut « scriptis doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret » (*Litt. Apost.* 7 Julii 1871).

---

[1] Plures antiqui rigoristæ eo devenerant, ut promiscue et passim, non solum recidivis et habituatis, sed quibuslibet peccati mortalis reis absolutionem distulerint, sub prætextu salutarem eis peccati horrorem incutiendi. Hos graviter improbavit S. Congr. de Prop. Fide in instructione 3 Oct. 1736 (cfr. infra n. 433).

III. — *Ex communi theologorum sententia.*

347. — Ex hac enim constat, stabilem illam emendationem in recidivis ad dignam sacramenti Pœnitentiæ receptionem nequaquam requiri, sufficere autem veram illam dispositionem actualem, quæ se prodit per signa quædam specialia seu extraordinaria, sive *præterita*, v. g. inchoatam emendationem, serium quemdam conatum post ultimam confessionem adhibitum, sive *præsentia*, uti essent dolor in hac confessione magis expresse manifestatus, verba cordialia etc., quæ signa in thesi 18ª (n. 361 sq.) post S. Alphonsum magis explicabimus.

Ad *præterita* illa specialia signa quod attinet, hæc sufficere communiter fere censent theologi, quorum multos adduximus in thesi nostra 14ª. Idem testantur Andreucci et Berardi, quorum uterque longum theologorum catalogum contexunt. Prior dicit: « Si recidivus fuerit alterius generis et conatum aliquem adhibuerit ad emendationem, si peccatorum numerum imminuerit: tunc rationale adesse fundamentum putant *communiter* theologi de eo quod ille sit hic et nunc dispositus et capax absolutionis » (*Conf. recid.* n. 5). Et Berardi idem probat « ex *communissima*, inquit, sententia theologorum; exceptis enim quibusdam rigoristis, omnes docent, posse absolvi, tamquam satis certe dispositos, habituatos et recidivos, qui post confessiones aliquam emendationem aut aliquod emendationis studium præ se ferre solent » (*De Recid.* n. 56).

Præsentia autem signa specialia, clariora, peculiaria vel extraordinaria sufficere ad judicandum de vera recidivi dispositione, permulti etiam testantur theologi uti in thesi 14ª jam vidimus (cfr. n. 320, 4º).

Hinc jure meritoque S. Doctor infra (VI, 460, § 11) post citatos etiam multos theologos concludit: « Hæc autem signa dispositionis recidivorum auctores præfati non casu tradiderunt, sed experientia docti. Unde puto, nequaquam errare eum qui se dirigit cum sententiis communiter receptis ab hujusmodi doctoribus non humilis notæ... Non debet credi, hos tam graves doctores a Deo lumine suo fuisse destitutos in re quæ directionem respicit conscientiarum ».

Circa *refutationem rigorismi* vide etiam supra n. 231 sqq. et infra n. 431 sqq.

348. — Exposita jam et undique probata S. Alphonsi doctrina de recidivorum absolutione contra auctores tum justo molliores tum æquo rigidiores, antequam ulterius progrediamur, unum adhuc magni momenti advertere oportet ut confessarius recte hanc doctrinam applicet, videlicet circa obligationem disponendi peccatores. Qua de re nunc agendum est.

ARTICULUS V.

De confessarii obligatione disponendi pro viribus pœnitentem non satis contritum.

THESIS 17ª.

I. Confessarius, antequam peccatorem recidivum non satis dispositum remittat, per se sub gravi tenetur serium adhibere conatum, ut ferventi exhortatione ipsum disponat. Quod si facit, (II.) persæpe quidem, (III.) sed non semper eveniet ut pœnitens speciale quoddam veri doloris signum ostendat, adeoque ut vere dispositus statim absolvi possit.

EXPLICATUR THESIS

349. — *Prima* pars a S. Alphonso aliisque ex professo sustinetur (cfr. infra n. 353 sq.), et a nullo theologo alicujus notæ negatur; quinimo generatim auctores, imprimis inde a S. Alphonso, illam obligationem clare innuunt, etsi multi, utrum gravis ea sit an levis, expresse non dicunt. Statuitur igitur potius contra ignavos illos et desides confessarios, quibus verus animarum zelus deest, qui nempe pœnitentes peccatis onustos et recidivos sine ulla quasi admonitione et adhortatione brevissime expedire solent, absolutionem aut dando aut denegando, interim multum haud raro tempus terentes in audiendis devotarum confessionibus. Unde qui ita hac in re peccant sunt aut practice rigoristæ, qui vix audito aliquem esse recidivum in mortalia illico ipsum dimittunt ut prius se emendet, aut practice laxistæ, qui talem recidivum formalem nihil hortantur, sed tantum interrogant num vere doleat et proponat, et accepta responsione affirmativa statim absolutionem impertiunt.

Altera pars est contra rigoristas qui, ut thesi 16ª vidimus, semper temporis experimentum ad dispositionem recidivorum postulant, adeoque negant eam præsenti exhortatione induci posse.

Tertia pars est contra paucos theologos æquo remissiores qui optimo quidem jure graviter huic exhortationi insistunt, sed in oppositum extremum incidentes huic velut infallibilem tribuunt efficaciam, ac propterea omnibus recidivis ita ferventer excitatis, quoties se sincere dolere asserunt, toties absolutionem eis dari posse volunt. Ita præcipue Faure [1] et Ballerini [2]; adducitur etiam Philippus Salvatori, de quo tamen vide infra n. 358.

---

[1] Faure ait: « Quotiescumque post fervidam quamvis brevem exhortationem a confessario auditam pœnitens interrogatus respondet se ex corde et sincere dolere, toties poterit absolvi » (Dub. 2, § 3). Cfr. supra n. 251.

[2] Ballerini tenet, post ferventem adhortationem « fieri non posse, quin signum aliquod

Licet in thesi tantum sermo sit de peccatore recidivo, ejus tamen probatio universalis est et valet pro omni peccatore, etiam non consuetudinario aut recidivo, qui non satis dispositus ad confessionem accederet.

De modo faciendi adhortationem vide infra n. 379 sqq.

PROBATUR PRIMA PARS

I. — *Ratione.*

350. — Certum est et in confesso apud omnes, permultos pœnitentes, imprimis recidivos, ad sacramentum Pœnitentiæ accedere aut imparatos aut saltem dubie dispositos (cfr. supra n. 265). Hi ut plurimum in gravi versantur periculo spirituali, sive ob ignorantiam, sive ob levitatem, sive ob affectum ad peccatum, et nisi a sedulo confessario adjuventur, vix pervenient ad verum illum dolorem firmumque propositum, quæ juxta Tridentinum jure divino requiruntur. Hinc miseri illi, sibi relicti, diu, per multos forte annos, in infelici hoc statu permanent et veluti cæci in barathrum æternæ perditionis ruunt. Si ergo unquam urget præceptum correptionis fraternæ erga proximum, tunc sane præcipue occasione confessionis, quando peccatores generatim melius dispositi sunt ad accipiendam cum fructu admonitionem et adhortationem ab eo, qui in actu confessionis non solum est eorum frater, sed etiam *pater spiritualis.*

Deinde confessarius, ut *medicus*, in se onus suscepit curandi hos infirmos spirituales et, incepta semel confessione, hi jus habent ut rite curentur. Ad illam autem curam certe etiam pertinet illos mortaliter ægrotos disponere, ut in hoc sacramento sanitatem recuperent. Quam curam si confessarius sine justa causa dimitteret, profecto in tanto officio gravis negligentiæ reus esset. — Quodsi confessarius est parochus, etiam ex titulo justitiæ obligatur pœnitentes nondum dispositos, in quantum potest, efficaci hortatione ad pœnitentiam adducere. Ut pastor enim oves sibi concreditas ex officio justitiæ conducere debet ad salutis æternæ pascua, ac proinde adhortari et monere, non publicos dumtaxat peccatores, sed etiam privatos, quando opportuna præsto est occasio; hæc autem generatim adest, quando confessum veniunt. — Quodsi confessarius eos non satis dispositos statim sine ulla fere exhortatione absolveret, etiam contra *judicis* officium committeret.

351. — Præterea — ut jam ex dictis elucet — praxis illa negligendi omnem fere exhortationem aut admonitionem animabus,

---

sufficiens animi sui pœnitens exhibeat; proindeque affirmanti, se sincere agere atque ea quæ confessarius exigat præstare se velle, posse confessarium tuta conscientia absolutionem impertiri » (n. 187).

præsertim recidivis proprie dictis, *valde damnosa* esset. Si enim absolutio eis statim denegatur aut differtur, facile in desperationem aut in indifferentiam religiosam incident. Si eis semper illico conceditur, probabiliter sacramentum invalide suscipient, pravis habitibus magis magisque irretientur, falsaque tranquillitate in peccatis et in sacramentorum abusu per annos forte dormient, connivente quasi confessario taciturno; unde hinc quoque magna animarum ruina. Confessarius igitur, ut *minister* hujus sacramenti, hæc damna quoad potest avertere debet, ac propterea curare, ex una quidem parte ut fideles fructum seu gratiam ex sacramento percipiant, ex altera autem parte ut illud periculo nullitatis non exponatur, neque in majorem animarum ruinam cedat. Utrumque autem procurare tantum potest disponendo fideles ad dignam susceptionem per ferventem et gravem exhortationem.

Ceterum, si confessarius, incœpta semel confessione, tenetur per interrogationes moderatas supplere iis quæ ex defectu pœnitentis desunt *integritati* confessionis, ut communiter docent theologi [1]: a fortiori obligatur, quantum moraliter potest, providere ut pœnitens, postquam semel officium audiendi ejus confessionem susceperit, dispositiones *essentiales* ad valorem sacramenti habeat.

Multiplici ergo ratione peccant negligentes illi ac desides confessarii, qui tales pœnitentes nequaquam vel dubie tantum dispositos sine ulla exhortatione, aut differre solent quo se ipsos præparent — ut mos est rigoristarum —, aut semper statim absolvunt, modo se contritos esse asserant — ut praxis est laxistarum.

II. — *Auctoritate.*

352. — Rituale Romanum hæc præcipit: « Audita confessione... (confessarius) opportunas correptiones et monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et *ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere* conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam adducet » (*De Pœnit.* n. 18). Hoc præceptum sane tum præsertim urget, quum de vero dolore serio dubitatur.

Benedictus XIV in const. *Apostolica* 26 Junii 1749 confessarios monet:

« Eos potissimum, qui aut raro aut non sine multis criminibus ad Pœnitentiæ sacramentum solent accedere, *hortari non desinant;* vitam quam sub peccati jugo duxere miserrimam, illis aperiant; criminum tur-

---

[1] Cfr. S. Alph. VI, 629. — Suarez e. g. hæc habet: « Certum est, si confessor judicat, pœnitentem non satis explicuisse conscientiam suam, aliquaque peccata relinquere ob negligentiam vel minus perfectam examinationem, teneri ad interrogandum priusquam absolvat. Ita docent *communiter* doctores » (Disp. 32, sect. 3, *secundo*).

pitudinem explicent, ut nimirum ex corde doleant ac se in posterum a peccatis recessuros serio proponant. Ratum quippe est, solida ac gravia confessariorum hortamenta in Pœnitentiæ foro prolata longe efficaciora esse sacris oratorum concionibus, ut pœnitentis animum a vitiis avocent... Nec confessarii reponant id fieri non posse, si frequentior pœnitentium numerus suadeat brevitatem; jam enim difficultatem dissolvit aurea illa *Sancti Francisci Xaverii* sententia apud Tursellinium in ejus *Vita* (lib. 6, cap. 17) hisce verbis concepta: Confitentibus porro non festinatam, sed diligentem navandam curam censebat, monens ut *præoptarent confessiones paucas rite factas audire quam multas temere properatas* » (n. 22).

Imprimis Leo XII in const. *Charitate Christi*, 25 Decembris 1825, carpit illos confessarios rigidos « qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant quibus maxime curandis ab Eo sunt constituti qui ait: *Non est opus valentibus medicus sed male habentibus* ».

Tum SS. Pontifex prosequitur: « Sistunt se quidem *multi* sacramenti Pœnitentiæ ministris *prorsus imparati*, sed *persæpe* tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos, viscera indutus misericordiæ Jesu Christi, qui non venit vocare justos sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si præstare prætermittat, profecto *non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam cæteri ad confitendum accedere.* Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, qui .....*omni in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis*, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, *exhausta caritatis industria*, sensu tamen doloris ac pœnitentiæ... carere prudenter judicentur ». — Vult ergo SS. Pontifex, ut confessarius hujusmodi imparatos, quales certe multi sunt recidivi, magna caritate et patientia, *omnique industria ad detestationem peccatorum excitet ;* secus veri medici animarum partes non explet, seque ipsum imparatum et ineptum ad confessarii officium obeundum ostendit.

353. — Ex *theologis* adducere sufficiat *sanctum Doctorem nostrum* qui, citans alios quoque auctores, graviter hanc obligationem inculcat:

« Nescio, inquit, quomodo a culpa excusari possunt desides illi confessarii qui, statim ac noverint pœnitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim quod confessarius *tenetur ex rigorosa obligatione caritatis* eum disponere quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curæ esse debet quod alii pœnitentes expectent. Nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui pœnitentis: pro quo tantum illo tunc, non vero pro aliis rationem est Deo redditurus » (VI, 608). Et in *Praxi*, præcipue contra laxiores confessarios, advertit: « Confessario laborandum est ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi.

Quocirca monitos esse volo confessarios, perpaucos [1] esse illos pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogant: *Eja, postulasne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris). *An te pœnitet ex corde omnium peccatorum ?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum confessariorum institutum; hi enim inprimis elaborant, ut pœnitentes — sermo est de iis qui lethalibus tenentur — verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant » (n. 10).

354. — Dictum est in thesi, hanc obligationem esse *per se gravem.* Ita S. Alphonsus supra cum aliis [2]. — Post S. Doctorem *gravi* huic obligationi præcipue institit Philippus Salvatori [3].

Re sane vera; agitur enim *de re gravi*, scilicet de judicio sacramentali deque liberanda a statu peccati mortalis anima, cujus curam confessarius, tamquam pater et medicus, hic et nunc in se suscepit. Licet ergo primario ad pœnitentem spectet providere ut rite dispositus accedat, tamen secundario, nimirum propter hujus defectum et imperfectionem, etiam confessarius ratione officii sui, quantum moraliter potest, id curare debet. — Præterea gravia illa verba supra (n. 352) ex Rituali Rom., ex Benedicto XIV et præcipue ex Leone XII adducta, *gravem* quoque obligationem indicant.

Dico: *quantum moraliter potest ;* diligentia enim ordinaria, qualem quis in gravi negotio adhibere solet, sufficit. Extraordinaria et summa, qualem sancti subinde adhibuerunt, v. g. exhortando per plures horas, generatim sub peccato imponi nequit; secus enim tum officium confessarii nimis grave nimisque scrupulis obnoxium esset, tum ipsum sacramentum fidelibus communiter nimis odiosum redderetur. Ceterum, id pendet ex variis adjunctis prudenter æstimandis. Certe brevior, modo vere sufficiens sit, potest esse exhortatio, si multi expectant pœnitentes, v. g. tempore Paschali, et timendum est ne non confessi abeant; item tempore missionis, si pœnitens conciones frequentavit iisque jam commotus fuit. Aliquando etiam, si ipse pœnitens libenter annuit et certe rediturus creditur, ob magnum populi concursum exhortatio una cum absolutione differri potest. Quodsi, raro quodam casu, jam in antecessum certus esset confessarius, se nihil prorsus profuturum, v. g. quia antea repetitis vicibus nihil profecit, eam ita omittere posset, ut tamen peccatorem non dure a se repellat, sed redeunti pœnitenti adhuc spem misericordiæ relinquat.

---

[1] Textus Italicus, qui est primigenius, habet *paucos.*

[2] Adducit S. Doctor Sporer (cap. 6, n. 798) et Laymann (lib. 5, tr. 6, cap. 13, n. 10). Lacroix hæc habet: « Notant Laymann, Castropalaus, Stoz, si pœnitens bona fide accesserit et edixerit peccata, confessarius autem advertat esse indispositum, *teneri quantum potest disponere,* quia causa judicii sacramentalis cœpta est; ergo si, quando commode potest, non perficiatur, infertur grave onus pœnitenti et non levis injuria sacramento » (n. 1766).

[3] Salvatori hæc dicit: *Fatica a cui è strettamente obbligato il confessore, e se non l'usa, pecca mortalemente e dovrà render conto a Dio di quell'anima perduta* (*Istruz. prat.* part. 2, § 1). *Latine:* « Est opera ad quam stricte obligatur confessarius; quam si non adhibet, *mortaliter* peccat, et Deo rationem reddere debebit perditionis illius animæ ». — Faure quoque et Ballerini merito hanc obligationem urgent et, uti videtur, eam gravem habent.

PROBATUR ALTERA ET TERTIA PARS

355. — Quod *persæpe* talis fervida et opportuna adhortatio ad pœnitentiam suum sortitur effectum, exploratum habemus per gravissimum testimonium Leonis XII supra (n. 352) relatum. — Constat etiam *experientia* et testimonio confessariorum, qui sedula diligentia et paterna charitate hos miseros peccatores disponere nituntur. Sæpenumero enim experiuntur, præcipue si consuetudo nondum adeo inveterata est, neque profunda cordis adhæsio ad peccatum, ut quis sine debita dispositione ad confessionem accedat, et post gravia boni confessarii verba animo commoveatur et veri doloris sensa speciali quodam modo exprimat. Qua in re quo quis confessarius magis ardet charitate erga Deum et proximum, magisque est homo orationi deditus, eo frequentius peccatores, per gratiam excitati, ejus exhortationi obsecundabunt. Hinc tot mirabiles conversiones, opera sanctorum confessariorum et missionariorum factæ.

356. — Attamen *nequaquam semper* per hujusmodi exhortationem sufficienter ad sacramentum disponuntur; quod quidem multipliciter *probatur.*

1º Et sane; multi, imprimis recidivi in habitum odii, injustitiæ, amoris libidinosi, onanismi in matrimonio, magnopere peccato adhærent. Hi autem, ut S. Thomas docet, peccant non ex infirmitate aut mera passione, sed ex malitia et habituali affectu; eorum ratio, utpote assidue inclinata in malum finem, perperam de fine judicat (supra n. 199 sq.). Hinc difficulter per talem exhortationem subito mentem et cor mutant. « Ille qui peccat ex malitia, inquit Angelicus, dicitur esse impœnitibilis, non quod nullo modo possit pœnitere, sed quia *non de facili pœnitere potest.* Non enim perfecte pœnitet *per solam rationis exhortationem,* quia exhortatio procedit ex aliquo principio, scilicet fine, circa quod malus est corruptus. Potest tamen induci ad hoc quod pœniteat *paulatim* in contrarium assuescendo » (*De Verit.* qu. 24, a. 11, ad 4). Quia tamen « remanet aliquis motus, licet debilis, per quem potest aliqualiter gratiæ cooperari » (*l. c.* ad 6), sperari quidem potest, hos bonos motus debiles sæpe fortiores et ferventiores reddi per exhortationem sacerdotis in ipso actu confessionis, ita ut vere eos pœniteat; ast quominus id semper aut fere semper fiat, obstat *ratio* a S. Thoma adducta.

2º *Experientia* quoque docet, plures ex hisce recidivis formalibus adeo peccato addictos esse, ut etiam post ferventissimam confessarii adhortationem nullatenus commoti appareant, neque ullum speciale veri doloris indicium præbeant, sed æque ac antea frigidi maneant. Confessum veniunt plerumque ex quadam consuetudine certis diebus festis; peccata simpliciter enarrant; ad verba confes-

sarii sæpe non serio attendunt aut verum eorum sensum non percipiunt — nam « animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei » (I Cor. 2, 14) —; aliquanto diutius in confessionali manere eos aut tædet aut pudet propter adstantes; ad confessarii interrogationem, num vere doleant et proponant, serium quidem et non fictum responsum dant affirmativum; de cetero, ob animi levitatem, ob ignorantiam vel ob affectum, totum hoc sacramenti negotium fere ut cæremoniam mere externam tractare videntur, et, modo absolutionem carpant, seipsos quasi decipiunt et contentos satisque tranquillos se ostendunt. (Cfr. supra n. 264).

3º Hinc etiam *Leo XII* in jam citata constitutione (supra n. 352) aperte indicat, exhortationem, vel optimo zelo omnique charitatis industria factam, nequaquam semper debitam adducere dispositionem. Agens enim de peccatoribus generatim, ait tantum « persæpe » id accidere; et supponit pœnitentes adhuc « imparatos » manere posse, etiamsi « *omnis* in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis *exhausta charitatis industria* » fuerit; id quod specialiter sæpe cum recidivis formalibus contingit.

357. — Addere hic lubet hujus rei testem locupletissimum, *S. Leonardum a P. M.* qui, tractans de recidivis, hæc objicienti sibi respondet: « At, dicet aliquis, nonne pœnitens *fervida exhortatione* ad contritionem excitari posset? Hoc sane optandum foret: sed *in praxi id haud ita facile contingit:* hujus enim generis peccatores, ad oculos usque immunditiarum cœno immersi, omnibus terroribus integræ missionis vix compunguntur, minime vero paucis verbis cursim prolatis. Ast intelligo, riteque intelligo quid hæc sibi velint. Ideo hæc opponuntur, quia libet expedire et consolari omnes; et, quin accurate indagetur utrum dispositus sit pœnitens necne, ipsum absolvere intenditur. Atvero nonne hac ratione impudenter oppugnantur decisiones Ecclesiæ, quæ hunc scandalosum agendi modum prohibet? Et non sinitis ut ego plangam, tot animarum adeo universam ruinam videns? Deus immortalis! Omni æstu invehitur et omni mordaciore critica scribitur contra paucos illos qui absolutionem differunt et monitis S. Sedis obediunt. Et nemo erit qui aggerem objiciat contra eluvionem tam effrenatæ licentiæ; nemo qui se opponat multitudini negligentium confessariorum, qui aliud non curant quam levare manus et verba absolutionis proferre; nemo qui eos verbis aut scriptis illuminare tentet! » (*Disc.* n. 13).

Hæc hactenus sanctus ille missionarius, experientia edoctus. In quæ verba duo fac advertas. *Primo*, ne quidem viri adeo sancti adeoque eloquentis adhortatio semper optatum obtinuit successum. *Secundo* S. Auctor hic velut rationem psychologicam indicat, cur multi confessarii talem exhortationem semper efficacem esse vellent. Videlicet, cuique confessario naturaliter multo gratius est post quædam ferventia verba exhortativa pœnitenti satisfacere ipsique absolutionem concedere, quam eam ad breve tempus differre, præcipue ubi ratio respectus humani accedit. Nam si confessarius post hujusmodi exhortationem pœnitentem adhuc dubie dispositum censet, debet eum iterum disponere ut dilationem

æquo animo suscipiat (cfr. infra n. 383 sq.). Hoc autem opus generatim satis tædiosum est, verumque animarum zelum postulat. Est tamen haud raro necessarium; quia secus sequitur, sicut S. Leonardus quasi lacrimabundus dicit, « ruina tot animarum ».

358. — Quæ quum ita sint, oppido falluntur pauci illi theologi, qui hujusmodi ad pœnitentiam exhortationi certam et infallibilem quamdam tribuunt efficaciam, ac propterea docent, post illam factam recidivis formalibus, ordinaria tantum signa præbentibus suumque dolorem testantibus, absolutionem toties quoties concedi posse.

Inter hos etiam citatur *Philippus Salvatori*, qui pius auctor, quo tempore rigidior praxis adhuc nimis vigebat, optime quidem inculcavit gravem obligationem disponendi peccatores non satis paratos. Ast, ipsemet supponit, talem exhortationem, si opus sit, *per plures horas protrahendam* esse [1]; imo testatur, eam ne tunc quidem semper effectum sortiri [2]. Advertendum tamen est, *primo* confessarium generatim ad tale onus non teneri, quod pœnitentibus communiter confessionem certe nimis odiosam redderet; *secundo* id ut plurimum impossibile esse, quum hi peccatores ordinarie diebus tantum festis solemnioribus ad confessionem accedunt, quando concursus pœnitentium impedit quominus tantum tempus unius adhortationi impendatur (cfr. supra n. 354); *tertio* peccatorem, qui pro suæ animæ salute exhortationem adeo prolixam subire vellet, jam ipso facto signum extraordinarium dispositionis ostendere, adeoque statim absolvi posse. Ex hisce patet, Salvatori inter adversarios tertiæ partis nostræ theseos simpliciter recenseri non posse [3].

---

[1] En ejus verba: *Impiegate in eseguir quanto si prescrive una, o due, o anche tre ore di seguito, se bisogna ; e se non basta, un'altra o due altre ore il giorno immediato o anche il terzo* (*Istruz. prat.* part. 2, § 2). *Latine :* « In hoc negotio præscripto insume unam, duas vel etiam tres horas continuas, si opus est; quod si non sufficiat, unam vel duas alias horas die sequenti vel etiam tertio ». — *Col lavoro seguito di due o tre ore, ma fatto con zelo e buono spirito, si può di ordinario compir l'opera* (*l. c.*, § 6). *Latine :* « Adhibendo operam continuam per duas aut tres horas, eamque factam cum zelo et bono spiritu, ordinarie opus perfici potest ».

[2] *L'ho differita anch'io qualche volta* (*l'assoluzione*)..., *quando, non ostante i miei sforzi mi è parso che il penitente non fosse ancora bastantemente penetrato e risoluto* (*l. c.* § 1). *Latine :* « Equidem quoque aliquoties distuli absolutionem..., quando, non obstantibus meis conatibus, pœnitens mihi visus est nondum satis penetratus et resolutus ».

[3] Utramque partem, alteram et tertiam, optime quoque probatam vide apud Berardi (*De Recid.* n. 103-109). — De Philippo Salvatori cfr. etiam *Vind. Alph.* II, p. 340 sqq.

CAPUT IV.

De variis specialibus seu extraordinariis doloris signis.

Textus S. Alphonsi
(VI, 460)

« Sed rogabis: *Quænam sint hæc signa extraordinaria doloris,* « cum quibus recidivus statim possit absolvi?

« Plura hujusmodi signa traduntur ab auctoribus supra allatis, « locis citatis, quæ sunt videlicet: »

§ 1. — « 1° *Major dolor, patefactus per lacrymas, suspiria aut* « *cordialia verba* [a]). Ita Lugo, Laymann, Milante, Holzmann, Croix, « Tamburinius, Lohner, Renzi et Salmant. [1]. — Dicit autem Ge- « nettus [b]), non esse sæpe credendum lacrymis peccatorum; nam sæpe « lacrymæ proveniunt ab humano affectu. Vice *non sæpe* melius « hic auctor dixisset *non semper;* nam revera (ut bene ait Pater Mi- « lante) hujusmodi lacrymæ, præsertim in mulieribus et rudibus, « non semper sunt signa veræ pœnitentiæ: quandoque enim pro- « veniunt ex aliqua passione quam pœnitentes exponunt; vel ex « motivo negatæ absolutionis, vel damni passi aut imminentis. — « Ceterum, lacrymæ pœnitentium ut plurimum oriuntur ex com- « punctione cordis, maxime si effundantur post auditam concionem, « vel monitionem confessarii præbentis aliquod compunctionis mo- « tivum. Hinc S. Leo [2] sic docuit: *In dispensandis... Dei donis non* « *debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque*

Lugo, disp. 14, n. 116. - *Laym.*, lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10. - *Milante*, exercit. 35, in prop. 60, ad IV, v. *Dico quod tunc.* - *Holzm.*, de Pœnit., n. 589. - *Croix*, lib. 6, part. 2, n. 1733 et 1821. - *Tambur.*, Method. Confess., lib. 3, cap. 3, n. 6 et 11. - *Lohner*, Instruct. de Confessionib. excipiend., part. 1, cap. 3, oblig. 9, qu. 3. - *Renzi*, de Sacr. Pœnit., cap. 2, sect. 1, qu. 16, v. f. — [1] Tr. 6, cap. 5, n. 65. - *Milante*, exercit. 35, in prop. 60 Innoc. XI, *v. Dico quod tunc.* — [2] Epist. 108 ad Theodor., cap. 4; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 54, col. 1013.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Non omnes auctores omnia hæc signa habent; sed alii unum, alii vero alia. Quin etiam Lugo, Tamburinius et Renzi, etsi aliqua specialia doloris signa, vel majorem dolorem requirant, nullum tamen ex signis hic allatis assignant.

[b]) Genettus, *de Pœnit., cap.* 5, *qu.* 21: « Non... sunt certa illius [contritionis] indicia...; nam sæpe proveniunt ab humano prorsus affectu, vel ex imaginatione objecto aliquo insolito commota ».

« *negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspi-*
« *ratione conceptam.* Nota: *cum credamus;* quapropter ordinarie
« (nisi aliunde percipiatur oppositum) credendus est pœnitens ex
« inspiratione Dei lacrymas effundere. Hic etiam facit illud quod
« attulimus D. Joan. Chrysostomi (mox supra), ubi dixit compunctio-
« nem signum esse veri doloris ».

§ 2. — « 2° *Minor numerus peccatorum;* ut dicunt Busenbaum,
« Wigandt, Laymann, Sporer, Anacletus, Pater Segneri, Lohner,
« Gobat, Mazzotta, Tamburinius et Renzi. — Hoc tamen intelli-
« gendum cum pœnitens fuerit in eisdem occasionibus et tentatio-
« nibus peccandi; aut si ille post ultimam confessionem diu se con-
« tinuerit (v. gr. per viginti vel triginta dies), cum antea assuetus
« fuerit prolabi pluries in hebdomada; vel si relapsus fuerit post
« magnum conflictum: ut recte ajunt Croix [c]) et Anacletus [c]) ».

§ 3. — « 3° *Studium adhibitum ad emendationem.* Lugo, Laymann,
« Sporer, Salmant., Mazzotta. — Aut si pœnitens adhibuerit *je-*
« *junia, eleemosynas, orationes et Missas,* ut bonam faceret confes-
« sionem et ad absolutionem se disponeret. — *Fuga spontanea occa-*
« *sionum.* Croix et Mazzotta. — *Impletio mediorum* præscriptorum
« a confessario. Wigandt, Busenbaum et Mazzotta ».

§ 4. — « 4° Si pœnitens *quærat media ad se emendandum.* Lay-
« mann [d]), Lugo [d]) , Salmant. [d]), Mazzotta, Wigandt, Holzmann,
« Milante, etc. — Aut *si promittat remedia adhibere,* vel antea præ-
« stita melius exsequi. Lugo, Segneri, Croix et Mazzotta [e]); maxime

Busenb., cap. 1, dub. 2, n. 9. - *Wig.*, tr. 13, exam. 5, num. 98, v. *Nota tamen* 2. - *Laym.*, lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10, 1. - *Spor.*, part. 3, cap. 2, n. 331. - *Anacl.*, tr. 14, dist. 8, n. 49. - *Segneri*, II Confess. istruito, cap. 4, § *Fuori di simili*, num. 5. - *Lohner*, loc. cit. - *Gobat*, tr. 7, num. 524. - *Mazzot.*, tract. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3. - *Tambur.*, Method. confess., lib. 3, cap. 3, n. 11. - *Renzi*, de Sacram. Pœn., cap. 2, sect. 1, qu. 16. - *Lugo*, disp. 14, n. 166. - *Laym.*, lib. 5, tr. 6, cap. 4, num. 10, 11. - *Spor.*, part. 3, cap. 2, n. 331. - *Salmant.*, tr. 6, cap. 5, n. 65. - *Mazzot.*, loc. cit., § 3. - *Croix*, lib. 6, part. 2, n. 1821. - *Mazzot.*, loc. cit. - *Wigandt*, tr. 13, exam. 5, n. 98, v. *Nota tamen* 2. - *Busenb.*, cap. 1, dub. 2, n. 9. - *Mazzot.*, tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3. - *Mazzot.*, loc. cit. - *Wigandt*, tr. 13, exam. 5, n. 98, v. *Nota tamen*... 3. - *Holzm.*, de Pœnit., n. 589. - *Milante*, exercit. 35, in propos. 60, ad IV, v. *Dico quod*, v. f. - *Lugo*, disp. 14, num. 166. - *Segneri*, Confess. istruito, cap. 4, § *Fuori di simili*, n. 5. - *Croix*, lib. 6, part. 2, num. 1821.

---

[c]) Croix, *lib.* 6, *part.* 2, *n.* 1733, ait signum esse contritionis, si pœnitens dicat « se diu proposuisse confiteri, et post magnam luctam tandem resolvisse ». — Anacletus, *tract.* 14, *dist.* 8, *n.* 49 *et* 51, hæc non habet.

[d]) Signum istud non reperitur apud Laymann, Lugo et Salmant.

[e]) Mazzotta, *loc. cit.*, signum hoc assignat: « Si petat efficaciora remedia, desideret aut alacriter acceptet magnam pœnitentiam ».

« si numquam (ait Lugo) admonitus fuit de mediis adhibendis. Sed « hujusmodi promissionibus puto non omnino fidendum: cum pœ- « nitentes facile promittant, ad absolutionem obtinendam, omnia « exsequi quæ confessarius imponit, sed non raro postea negligunt ».

§ 5. — « 5° *Spontanea confessio*, ut dicunt Laymann, Pater « Segneri, Tamburinius et Mazzotta. Dummodo pœnitens non con- « fiteatur ex obligatione præcepti paschalis, vel impulsus a paren- « tibus, pædagogo aut domino, nec propter quemdam usum confi- « tendi in aliquibus festis, nempe Nativitatis Domini, Assumptionis « Mariæ, etc.; sed accedat omnino sponte et vere a lumine divino « inspiratus, ad solum finem adipiscendi Dei gratiam. — Præcise « hæc spontanea confessio signum esset dispositionis, si pœnitens, « ut accederet ad sacramentum, notabilem conatum adhibuit, sci- « licet longum iter est aggressus, abstinuit a lucro illius diei, ma- « gnum conflictum internum sive externum superavit, et similia ».

§ 6. — « 6° Si accedit *ductus ab aliquo extraordinario motivo*, « nempe concionis auditæ, mortis alicujus amici; vel ex timore ter- « ræmotus, alluvionis, pestis, etc. Pater Milante et Croix ».

§ 7. — « 7° Si pœnitens confiteatur *peccata prius culpabiliter « omissa*. — Croix ».

§ 8. — « 8° Si pœnitens, priusquam accedat, *restituerit ablatum* « vel *reparaverit famam* proximi læsam. — Milante ».

§ 9. — « 9° Addo cum Milante *f*), si post peccata, pœnitens, ad « monitionem confessarii significet adeptum fuisse novam cogni- « tionem suæ iniquitatis vel periculi suæ damnationis ».

§ 10. — « Addit Croix [1] esse etiam signa extraordinaria, si pœni- « tens dicat se pœnituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, « si magnam pœnitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex « seipso malle mori quam relabi. — Hæc signa dico saltem deser- « vire posse ad alia signa dispositionis adjuvanda ».

Lugo, loc. cit. - *Laym.*, ib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 10, v. f. - *Segneri*, loc. cit. - *Tambur.*, Method. Confess., lib. 3, cap. 3, num. 11. - *Mazzot.*, loc. cit. - *Milante*, loc. cit. - *Croix*, lib. 6, part. 2, num. 1733, i. - *Croix*, loc. cit., num. 1733, 2. - *Milante*, exercit. 35, in propos. 60, ad IV, v. *Dico quod*. — [1] Loc. cit., n. 1733.

f) Milante, *loc. cit.*, « Qui audita missione seu concione, inquit, illustrati errorem cognoscunt, et crimina in quibus aliquando insorduerunt abominantur, parati cum novitate vitæ, quam suscipere promittunt, etiam acceptare pœnitentias et medicinas salutares ». Præterea inferius addit signa de quibus antea locutus est, ex variis causis procedere posse, « vel ex novo lumine in concione ad cor habita, vel in exhortatione pii directoris ».

§ 11. — « Hæc autem signa dispositionis recidivorum auctores « præfati non casu tradiderunt, sed experientia docti. Unde puto « nequaquam errare eum qui se dirigit cum sententiis communiter « receptis ab huiusmodi doctoribus non humilis notæ. — Dicere « autem quod ipsi scripserunt ea passione affecti, ut suæ ipsorum « doctrinæ cum plausu exciperentur, vel propter aliquid hujusmodi, « non videtur carere aliqua labe temeritatis. Quod si hoc non est « censendum, non debet credi hos tam graves doctores a Deo lu- « mine suo fuisse destitutos in re quæ directionem respicit conscien- « tiarum totius populi christiani; tanto magis quod circa tales sen- « tentias nulla Ecclesiæ proscriptio intercessit. — Nec officit quod « plures opiniones quæ circumferuntur non sunt ab Ecclesia damnatæ, « et tamen ab aliis communius ut laxæ reputantur. Nam Ecclesia non « omnes opiniones quæ casus particulares respiciunt damnat, quamvis « non approbet; sed sententias quæ universalitatem conscientiarum « spectant Ecclesia nec approbat nec tacet, ut dixit S. Augustinus [1]: « *Ecclesia Dei... multa tolerat, et tamen quæ sunt contra fidem vel « bonam vitam non approbat nec tacet* ».

[1] Lib. 2, seu epist. 55, ad inquisit. Januarii, cap. 19, n. 35; ap. Migne, Patrol. lat., tom. 33, col. 221 et seq.

Postquam in præcedentibus thesibus fuse stabilivimus, in recidivo formali, præter ejus confessionem solitamque pœnitentiæ attestationem, alia quædam peculiaria requiri signa, ut confessarius de vera ejus conversione prudens judicium ferre possit, in præsenti capite hæc signa juxta S. Doctorem recensebimus paucisque explicabimus, quo constet, qualia esse debeant, ut vera sint mutatæ voluntatis indicia. Sit igitur sequens thesis.

Thesis 18ª.

Genuina interpretatio signorum extraordinariorum, quæ a S. Alphonso aliisque antiquis recensentur, probat, systema hoc valde psychologicum esse atque aptissimum, ut prudenter judicet confessarius de sincera voluntatis mutatione seu conversione recidivi.

Declaratio et probatio Thesis

359. — Quid sit signum « ordinarium » dispositionis, supra (n. 255) jam vidimus: est enim ipsa confessio et simplex ac sincerum ipsius pœnitentis testimonium de suo dolore et proposito.

Exposuimus quoque quid nomine signi « extraordinarii » veniat: hoc nimirum non esse confundendum cum *dolore* extraordinario, neque etiam cum signo quod *raro* tantum occurrat (n. 256).

Ex antiquioribus theologis qui de recidivorum absolutione agunt, permulti, uti thesibus 14ª, 16ª vidimus, de his specialibus signis dispositionis loquuntur (cfr. n. 320, 4º), initio paucis quidem verbis et potius generatim, deinde progressu temporis magis explicite et singulatim. Diversis autem vocibus hæc signa indicant, uti ibidem (n. 256) etiam diximus. Sanctus Alphonsus vero ea ex variis theologis collegit, eaque accuravit justisque limitibus circumscripsit juxta eorum valorem psychologicum, prout diuturna sacri tribunalis experientia edoctus fuerat [1]. Videbat enim S. Doctor, non sine magno animi sui mœrore, multorum confessariorum negligentiam, qui indiscriminatim per annos absolvebant recidivos in pravum habitum sine debitis dispositionibus. Persuasum habebat, hanc praxim plurimum officere saluti animarum, quæ ita cœno peccatorum magis magisque immergebantur. « Utinam, inquit, confessarii recidivos absolverent *tum solum, cum signa extraordinaria afferunt!* Id quod lugendum est quod major, ne dicam maxima confessariorum pars, universaliter recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione et sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem; et hinc vere procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot animarum universalis pernicies » (*Praxis.* n. 77). — Huic ergo malo ut obviam veniret, specialibus illis veri doloris signis valde institit, magnaque diligentia ea explanavit.

360. — Ne quis igitur miretur, S. Doctorem aliosque adeo minutatim versari in exponendis hisce dispositionis indiciis. Etenim præcipuum confessarii, qui et judicis et medici partes agit, negotium consistit in exquirenda ac procuranda vera dispositione: ab hac namque sacramenti valor et fructus pendet. Jamvero prudens *judex*, antequam sententiam ferat, omnia minutatim indagat, in dubio singula particularia indicia pro utraque parte sedulo investigat ac velut in statera ponderat, ne præpropere aliquem aut absolvat aut condemnet. Quidni ergo confessarius idem faceret, ubi non de negotio aliquo terreno, sed de offensa divinæ Majestatis deque æterna animæ salute agitur? Item *medicus*, ut diagnosim instituat circa morbi naturam, considerate procedit: diligenter et accurate singula indicia externa et interna explorat et investigat, ne in suo judicio erret; secus boni et integri medici nomen non meretur. Eccur confessarius non idem faceret, quando de cura immortalis animæ agitur?

Neque dixeris: « non opus est regulis; hæc omnia docet experientia ». Utique, experientia videlicet præcipue doctorum et san-

[1] Imprimis etiam S. Leonardus a P. M. hæc signa particulatim exponit (*Disc.* n. 10, 11), et licet a S. Doctore nostro non citetur, ad rem tamen quod attinet, duo sancti viri optime inter se conveniunt. S. Leonardus quoque hæc signa desumpsit ex Segneri aliisque theologis.

ctorum confessariorum, qui quæ ipsimet diuturna praxi edocti erant in certas regulas statuerunt, quibus aliorum confessariorum prudentia et agendi ratio informaretur (cfr. supra p. 306, § 11). Ita quoque tum jurisprudentia tum medica diagnosis experientia nititur; et tamen utraque multas tradit regulas, a doctis decessoribus acceptas, quas nemo prudens judex aut medicus negliget, quas juniores imprimis sedulo addiscent.

Quæ hic enumerantur signa commode in duplicem classem dividuntur: alia enim respiciunt *præteritum*, ut aliqua emendatio vel emendationis studium (§ 2, 3, 8); alia ad *præsentem* recidivi statum referuntur: sunt nimirum quædam speciales doloris manifestationes in ipsa confessione vel immediate ante illam exhibitæ (§ 1, 4, etc.).

Hisce præmissis ad singula signa pauca quædam adnotare juvabit.

361. — 1° *Major dolor, patefactus per lacrymas, suspiria aut cordialia verba* (§ 1, supra p. 303). Intelligitur major doloris manifestatio per lacrymas etc.; nam, quemadmodum supra (n. 246) diximus, ut recidivus a confessario, prout judex est, absolvatur, idem verus dolor requiritur et sufficit qui pro ceteris peccatoribus.

Lacrymæ apud omnes gentes pro sincero doloris signo habentur: sunt enim effectus spontanei doloris interni in corporis sensus redundantis. Modo ergo constet, pœnitentem has lacrymas fundere ex motivo vere supernaturali, uti fere fit « post auditam concionem vel monitionem confessarii præbentis aliquod compunctionis motivum », de hujus signi veritate ambigendum non est. « Quandoque » tamen, præcipue apud illos qui nervis laborant aut ad flendum valde proclives sunt, v. g. neurastenicos, bibulos aliosve, hæ lacrymæ ex passione, ex damno passo vel imminenti, ex timore negandæ absolutionis, aliove motivo mere naturali proveniunt. Hinc S. Doctor addit: « Nisi aliunde percipiatur oppositum », v. g. si quis, etsi lacrymaretur, tamen occasionem proximam voluntariam relinquere vel offensam condonare non vellet, aut diu semper statim sine ullo fere emendationis studio relaberetur. (Cfr. Berardi. *De Recid.* n. 28 sq.).

Verba cordialia seu, ut alibi S. Doctor ait: « verba ex corde procedentia, quæ, ut addit, aliquando certiora signa quam lacrymæ esse possunt » (*Prax.* n. 74). Re vera, sæpe ex ipso vocis tono, ex modo exprimendi, ex formulis adhibitis ceterisque adjunctis constabit, contritionem et propositum ex intima animi persuasione procedere, de eorumque veritate prudenter dubitari non posse. — Sedulo tamen, ut scite etiam advertit Berardi (n. 37), distinguenda sunt verba *seria* et verba *cordialia*. Prima enim nequaquam per se speciale signum constituunt; nam, licet quis serio, i. e. non ficte aut mendaciter, se dolere et proponere dicat, tamen facile seipsum fallere potest et simplicem quamdam displicentiam et velleitatem pro

vera detestatione et firmo proposito habere, prout passim testantur theologi (cfr. 289). Verba autem cordialia generatim adeo naturaliter et sponte dolorem internum produnt, ut vix fallacia esse possint. Hinc merito a S. Alphonso ipsis lacrymis præferuntur. (Cfr. infra n. 367, 9º).

Hic tamen fac advertas, attendendum esse ad singulorum hominum, imo aliquando etiam ad locorum et populorum indolem. Alii enim sunt verbosiores et ardentiores in significandis animi sensibus, ast non idcirco propter eorum levitatem majorem fidem merentur; alii contra breviores quidem sunt et frigidiores, sed non facile quidquam asserunt nisi post seriam rei considerationem firmamque proposita exsequendi voluntatem. Generatim homines maturioris ætatis graviores sunt juvenibus; viri per se magis ratione ducuntur et firmiores sunt in propositis quam feminæ; populi septentrionales sæpe parcioribus utuntur verbis quam meridionales, sed haud raro serius rem gerendam proponunt et exsequuntur [1]. Multi quoque, imprimis simplices, quadam confusione in confessione occupantur vel timore reverentiali erga sacerdotem detinentur, ne quæ intime sentiunt congruis verbis pandant. Hæc omnia experientia et usus sedulum confessarium edocebunt.

362. — 2º *Minor numerus peccatorum* (§ 2). Hoc signum veræ dispositionis passim ab antiquis theologis indicatur. Juxta S. Alphonsum in triplici casu occurrere potest: 1º Si « pœnitens fuerit in iisdem occasionibus et tentationibus peccandi », tunc sufficit quælibet vera seu notatu digna peccatorum imminutio (cfr. supra n. 218, 4º). 2º *Absolute*, i. e. etiam si quis iisdem tentationibus et occasionibus non fuerit expositus, puta propter morbum, iter etc., semper sufficit continentia a peccando per tempus diuturnum, v. g. per 20 vel 30 dies, si antea pluries in hebdomade in peccatum pollutionis, blasphemiæ, odii etc. prolabi consueverat; talis enim continentia a peccato signum est, pravum habitum ex parte jam cessasse, quum non amplius frequenter quis labatur. 3º Imo, etiamsi idem fuerit peccatorum numerus iisdemque in adjunctis, sufficit tamen ut « relapsus fuerit post magnum conflictum » (cfr. num. seq. 363).

Ex his patet, S. Doctorem per « minorem numerum peccatorum » nequaquam solummodo intelligere — ut perperam aliqui recentes opinati sunt — abstinentiam a peccato per viginti vel triginta dies. Id a-

---

[1] Ait Berardi (n. 42), in Germania ordinarie homines majori cum consideratione et gravitate negotia tractare, ac proinde ibidem « forsan » simplici pœnitentis assertioni credi posse. Prudenter autem auctor per illud « forsan » temperavit nimis generale dictum. Ubique enim gentium sunt homines leves in asserendo, seipsos quasi decipientes, præsertim ubi mens passione aut pravo habitu obcæcata est. Illud tamen ex psychologia populorum satis constat, homines in partibus septentrionalibus alicuius nationis generatim indole graviores et seriores esse quam in ejus partibus meridionalibus; quod quidem observare licet non solum apud Germanos, sed etiam apud Italos, Gallos, Hispanos, Lusitanos, Anglos aliosque. Imo in eadem provincia haud raro incolæ unius civitatis præ alia moribus differunt. Quare in universum illud solum statui potest, confessario, ut prudenti judici, etiam indolis naturæque cujusvis populi et loci rationem esse habendam, quo ad rectum de dispositione sui pœnitentis judicium perveniat. Nam, ut repetam, ubique et apud omnes populos sunt permulti leves in asserendo.

lioquin jam satis abunde constat ex ejus definitione recidivi (cfr. n. 217 sq.); qui enim antea pluries in hebdomade peccavit, nunc autem per unam alteramve hebdomadem iisdem in tentationibus se continuit, profecto non « eodem aut fere eodem modo » est relapsus, ac proinde non est recidivus sensu stricto et formali.

Merito autem hujusmodi peccatorum imminutio ab auctoribus communiter contra quosdam rigoristas grave reputatur indicium sinceræ dispositionis. Probat enim directe præcedentis confessionis propositum firmum et efficax fuisse; exinde autem solida præsumptione idem circa præsentem confessionem concludere fas est. Sufficit ergo per se quædam vera et notatu digna emendatio, etiamsi magna non sit, a. v. emendatio inchoata, quæ nimirum effectus sit mutatæ voluntatis ; nam perfecta emendatio ac exstirpatio pravi habitus sæpenumero non statim, sed paulatim dumtaxat per frequentem imprimis sacramentorum usum obtineri solet.

Notandum tamen est, certius esse signum, si minor hic peccatorum numerus seu vera aliqua emendatio contigerit immediate post ultimam confessionem, quam proxime ante confessionem præsentem; nam in postremo hoc casu quandoque haud levis adest suspicio, pœnitentem a peccando se abstinuisse ex motivo mere naturali, eo quod timeat ne aliter a confessario corripiatur aut absolutio ei differatur. Ad hunc casum respiciens S. Alphonsus in *Praxi* addit: « aut etiam si *antequam* ad confessionem accederet, *diu* se abstinuerit a culpis mortalibus » (n. 74, 2º) [1].

363. — 3º *Studium adhibitum ad emendationem* (§ 3). In *Praxi* S. Doctor de hoc signo ita: « Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset, si pœnitens diligenter occasionem vitaverit, media præscripta a confessario exsecutioni mandaverit; aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas etc. ad vitium exstirpandum » (n. 74, 3º). Hoc signum præcipue, una cum præcedenti, sæpe indicatur ab antiquis theologis. Et jure quidem meritoque. Si quis enim habituatus post ultimam confessionem serium studium, veramque diligentiam adhibuerit ad resistendum tentationi, ostendit sane se de peccatis vere pœnituisse firmiterque ea vitare proposuisse, ac propterea ex præsumptione judicare fas est, eum etiam in hac confessione in eadem bona dispositione versari. Erit igitur non stricto et formali sensu recidivus. (Cfr. supra n. 218, 5º).

---

[1] Hinc recte Lehmkuhl: « Cavere debet confessarius a quodam errore et deceptione. Sunt enim consuetudinarii, qui certis intervallis conscientiam deponere volunt atque hac ipsa intentione per octo vel quindecim dies ante statutum diem confessionis a peccatis studeant abstinere, quo possint signum bonæ voluntatis afferre; paucis autem diebus vel una alterave hebdomada a confessione elapsis semper eodem modo ad pristina peccata redeunt. Periculum est, ne hoc agendi modo et pœnitens ipse se decipiat et fallat confessarium; nam constans ejusmodi agendi modus longe abest a seria emendationis voluntate. Quapropter qui ita agere deprehenditur, omnino exstimulandus est, et nisi nunc meliora dispositionis signa ostendat, differendus » (*Neo-Conf.* n. 188, *k*).

Requiritur tamen, ut illud studium sit *serium*, ut illa cura et diligentia sit *vere notabilis*, ita ut ostendat adfuisse non solum quamdam velleitatem, sed firmam voluntatem relinquendi peccatum, v. g. si quis primis saltem tentationibus notabiliter restiterit, si remedia præscripta, puta orationem, primis saltem diebus serio adhibere conatus sit. Non ergo sufficit quicumque levis conatus, qui vix percipitur et in moralibus pro nihilo reputatur; sed tamen neque requiritur studium *valde magnum*, et multo minus, ut rigoristæ volunt, studium *diuturnum*. Satis est, ut ait S. Alphonsus, « aliqua resistentia » (VI, 505), scilicet *seria* et *notatu digna* [1], vel simpliciter « magna resistentia », ut alibi (*Praxis*. n. 74, 2º; *Selva*. n. 18) dicit, quæ vere indicat mutatam et conversam fuisse recidivi voluntatem. (Vide Berardi, n. 55 et n. 98).

Signum hoc sæpe melius adhuc probat voluntatis mutationem quam præcedens, scil. aliqua imminutio lapsuum; quia hæc, ut diximus, ex aliis etiam rationibus, v. g. ex mutatis circumstantiis, oriri potest. Imo aliquando frequentior lapsus stare potest cum majore resistendi studio, statim post ultimam confessionem adhibito; quando nempe tentationes fuerunt solito multo vehementiores et frequentiores. Unde confessarius, ut æquum judicium ferat, præcipue interroget pœnitentem, num post ultimam confessionem media præscripta adhibuerit, puta orationem in tentationibus, fugam occasionis, actum doloris statim post lapsum etc. Quod si repererit, sedulum quemdam conatum a pœnitente fuisse adhibitum, prudenter concludet ipsum etiam nunc satis dispositum esse, etsi forsan ob speciales circumstantias sæpius quam antea relapsus fuerit.

364. — 4º *Si pœnitens quærat media ad se emendandum, aut si promittat remedia adhibere* (§ 4). Ad *alterum* quod spectat, merito S. Doctor solis hisce promissis non valde fidit; quia experientia docet, multos recidivos, seipsos quasi fallentes, leves esse in promittendo, segnes in exsequendo. Nulla autem cura in exsequendis promissis ostendit, hæc parum firma fuisse. Item in *Praxi* (n. 74, 4º). Dubium ergo erit signum. — Excipe tamen, si constat illam promissionem nunc vere ex animo se emendandi procedere (« verba cordialia »), vel, ut ait Lugo, « si (pœnitens) numquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam consuetudinem, nunc autem admonitus libenter ea suscipit et proponit adhibere ea media » (Disp. 14, n. 166).

365. — 5º *Spontanea confessio* (§ 5). Hæc rite intelligenda sunt Non enim inter recentes desunt qui censeant, omnem confessionem esse spontaneam, nisi quis moraliter coactus a parente, hero vel magistro ad sacramenta accedat. Talem autem spontaneam confes-

---

[1] S. Doctor in editione Italica *Praxis Conf.* dicit: « Si, antequam caderet, aliquam *notabilem* resistentiam adhibuerit » (Cfr. ed. Gaudé, tom. IV, p. 539).

sionem sufficiens dispositionis signum esse volunt, quia pœnitens non vult non dispositus accedere et sacrilegium committere. — Sed hæc ratio non valet; quia, ut sæpe jam diximus (cfr. n. 288 sq.), ipse pœnitens facile falli potest circa suas dispositiones, de quibus solus confessarius est judex. Hujusmodi igitur spontanea seu non coacta confessio est tantum signum ordinarium (cfr. n. 459, § 2, supra p. 173). Quare merito S. Alphonsus hic per spontaneam confessionem quæ signum sit extraordinarium dispositionis, illam intelligit, quæ non fit « propter quemdam usum confitendi in aliquibus festis » vel quolibet mense, sed qua pœnitens « accedit *omnino sponte et vere a lumine divino inspiratus, ad solum finem adipiscendi Dei gratiam* ». Eodem fere modo in *Praxi* (n. 74, 5º). Re sane vera, si quis ita speciali modo Dei gratia movetur, eique obsecundat, de ejus vero dolore ac mutata voluntate prudenter ambigere non licet.

Atvero sæpe evenit, præcipue in regionibus fidei et in locis ubi viget sacramentorum praxis, ut pœnitentes statis temporibus confiteantur ex laudabili aliqua consuetudine, quia etiam alii hoc faciunt et ipsimet hoc semper fecerunt, vel quia id decet, quia parochus adeo commendat usum sacramentorum, quia secus minus bene ab aliis notarentur etc.; igitur ex quodam motivo valde ordinario et non satis supernaturali, imo subinde ex quodam respectu humano quasi inconscio. Quo sane casu talis confessio per se nequaquam firmam voluntatem non amplius peccandi ostenderet, neque præsumptionem contra dispositionem recidivi formalis elideret.

Hoc iterum præclare confirmatur a S. Leonardo a P. M. qui hoc speciale signum ita describit: « Si quis internam sentit inspirationem ad quærendum bonum confessarium et sponte ad ejus pedes accedit, non jam quia est tempus Paschale, vel ejus pater aut mater aut magister aliusve hoc ipsi imponunt, neque etiam quia consuetudinem habet confitendi vigiliis festorum B. M. V. vel quavis septimana; sed *dumtaxat quia se motum sentit vivo desiderio mutandi vitam seque Deo reconciliandi* » (*Disc.* n. 10, VI). — Haud raro tamen fit, ut confessarius indagans motivum confessionis comperiat, aliquem confitentem tempore consueto vel etiam ab aliis excitatum, simul speciali Dei gratia inductum fuisse, ita ut consuetudo vel parentis exhortatio sit potius occasio confitendi vel causa externa, inspiratio vero Dei causa interna movens ad bonam confessionem peragendam.

Ceterum hoc signum spontaneæ confessionis hac nostra ætate certe multo magis notandum est quam tempore S. Leonardi et S. Alphonsi, maxime in illis regionibus et locis, ubi ob languescentem fidem non habetur sacramentorum frequentia. Ibidem enim confessio, præcipue virorum et juvenum, facilius erit signum extraordinarium, quia respectus humanus haud raro speciali modo est superandus; ac proinde occurrit tunc quod subjicit S. Doctor in textu: « Præcise, si pœnitens *notabilem conatum* adhibuit, *magnum conflictum* internum vel externum superavit ». Unde confessarius at-

tendat ad peculiaria adjuncta locorum et personarum, et pro singulis casibus decernat [1].

366. — 6º *Si accedit ductus ab aliquo extraordinario motivo* (§ 6). Præter casus a Sancto Doctore hoc loco (p. 305) adductos, hoc signum præsertim etiam invenitur *tempore missionis et exercitiorum spiritualium*, quando gratia Dei abundantior et efficacior esse solet et homines magis præparati ad eam accipiendam. Veritates enim æternæ peccatori salutarem illum incutiunt timorem qui est, « initium sapientiæ »; unde illud: « Memorare novissima tua et in æternum non peccabis » (*Eccli.* 7, 40). Accedit sæpe contritio perfecta ex consideratione Dei misericordiæ et benignitatis orta, vel ex meditatione amoris a Filio Dei in passione sua et in Eucharistiæ sacramento exhibiti. Tota illa series prædicationum et instructionum, frequentes preces publice fusæ, omnisque ille apparatus cæremoniarum, movente Dei gratia, adeo efficacia sunt, ut psychologice vix fieri possit, quin peccator, etsi pravis habitibus maxime irretitus, sincero animi dolore compungatur firmiterque proponat mutare vitam. Quare ut regula generalis accipi potest, eos qui illo tempore conciones satis bene frequentarunt esse dispositos, etiamsi forte in primis adhuc diebus ex fragilitate vel vi pravi habitus, v. g. in peccatum pollutionis, blasphemiæ etc. lapsi sint. Secus tamen esset, si concionibus fere non interfuerint et etiam, missione perdurante, parum vel nihil se emendaverint.

---

[1] Præclare de hoc signo agit Berardi (*De Rec.* n. 40 et n. 53). — Contra, minus considerate de eodem hæc scripsit Frassinetti: *Ora generalissimamente si trova in tutti, recidivi e non recidivi, il quinto segno, cioè la confessione spontanea,* i. e. « Hodie maxime generaliter in omnibus peccatoribus, recidivis et non recidivis, invenitur quintum signum, scil. confessio spontanea (*De Pœnit.* n. 468). Hæc certe nimis generaliter dicta sunt. Plurimæ enim sunt ubique terrarum regiones ubi, imprimis ruri et in parvis oppidis, neglectus præcepti Paschalis, imo rarus sacramentorum usus, velut nota infamiæ habetur. Ex altera etiam parte in majoribus civitatibus ob ecclesiarum copiam et faciliorem confitendi occasionem ratio respectus humani vincendi sæpe minus adest quam in minoribus. Præterea ubique fere, præcipue etiam in magnis civitatibus, exstant associationes et confraternitates pro utroque sexu, quarum membra velut ex instituto vel consuetudine frequentius sacramenta suscipere solent. Plurimæ quoque sunt ubique locorum familiæ christianæ, in quibus usus et traditio fert sæpe, v. g. singulis mensibus vel etiam sæpius, ad sacramenta accedere, præsertim quidem apud sexum femineum, sed etiam apud viros et juvenes. Innumera etiam exstant in mundo collegia catholica, seminaria aliive convictus pro utroque sexu, in quibus frequens viget sacramentorum usus et velut dedecus habetur raro ea suscipere. Ex quibus omnibus patet, non solum priscis, sed nostris quoque temporibus infinito quasi numero dari casus, in quibus confessio non eo sensu spontanea dici debeat, ut sit signum speciale contritionis. Quod hodie in multis locis, præcipue multi viri et juvenes ad confessionem accedentes respectum humanum superare debent, verum quidem est; pro his igitur spontanea confessio signum erit extraordinarium. Sed exinde concludere, id ubique et pro omnibus pœnitentibus (« generalissimamente in tutti ») contingere, nefas plane est et contra rei veritatem. Qua de re oppido quoque falluntur haud pauci confessarii qui, quum fere solum in magnis aliquibus civitatibus confessiones audierint, in quibus ob plurimorum languidam fidem cum hisce benignior sæpe praxis quasi per accidens juxta thesim nostram 22am sequenda sit, hanc eamdem praxim promiscue ad omnes mundi partes, ad omnia loca, ad omnes pœnitentes extendendam esse erronee judicant. Error videtur esse potius facti, ex ignorantia aliorum locorum seu ex defectu experientiæ ortus, quam error juris. Nihilominus, hic error, si generalis esset confessariorum praxeos regula, animarum saluti valde exitiosus esset. Cfr. infra n. 525; item Berardi (*l. c.*).

Etiam S. Leonardus a P. M., magnus ille versus medium sæculum XVIII in Italia missionarius, speciale hoc dispositionis signum recenset: « Si quis, inquit, tempore missionis vel exercitiorum confitetur propter auditam aliquam concionem aut meditationem, quæ ejus cor compunxit et divinæ justitiæ minis attrivit, atque tunc vitam vere mutare proponit. Aliter tamen judicandum foret, si adversus omnes prædicationes et meditationes nullum tamen dedisset compunctionis signum, et multo magis si etiam in illis sanctis diebus peccare continuasset, neque ulla in re se emendasset » (*Disc.* n. 10, III). Vide etiam Berardi (*De Rec.* n. 74 et 142).

Attamen si pœnitens tunc gravem aliquam et difficilem obligationem implere debet, puta abrumpere occasionem « in esse », facere restitutionem, denuntiationem, reconciliationem, reparare scandalum publicum, confessarius generatim hac bona dispositione utatur, ut pœnitens eam prius adimpleat, et dein ante finem missionis pro accipienda absolutione redeat. Secus enim timendum est ne, præterita hac dispositione extraordinaria, etiam gravis illa obligatio transmittatur.

Alia quoque motiva extraordinaria confessionis, ut timor terræmotus, pestis, belli etc., ut plurimum quidem sunt specialia mutatæ voluntatis signa, maxime in illis qui adhuc firmiter credunt Deique justitiam timent. Atvero de iis qui debiles ac titubantes sunt in fide et in hisce circumstantiis eodem fere modo peccare pergunt, imo ex iis quandoque ansam sumunt blasphemandi Deum — quales multos hac nostra ætate esse, tristis ultimi belli experientia demonstravit —, de illis, inquam, si ad confessionem forte accedunt, merito dubitari potest, utrum vero dolore compuncti sint, an timore mere servili adducti. Unde hosce confessarius diligentius instruere et ferventius exhortari debet; quodsi etiam dein nullum aliud peculiare doloris signum præbent, sit autem prudens timor ne dimissi magis etiam a fide alienentur, sub conditione tantum absolvendi sunt, modo saltem dubie dispositi sint. (Cfr. thes. 22ª).

367. — 7º et 8º. *Confessionem peccatorum sacrilege omissorum* et *restitutionem ante confessionem factam* (§ 7 et 8), peculiaria esse sinceri doloris firmique propositi indicia, per se patet; quare qui hæc præbent regulariter statim absolvi possunt.

9º *Nova cognitio propriæ iniquitatis vel periculi damnationis* (§ 9), exprimitur per « verba cordialia » (vide supra n. 361), qualia sæpe audiet confessarius post paternam et fervidam monitionem. « Tales expressiones essent, inquit Berardi, si (pœnitens) diceret v. g.: Nunc cognosco magnum malum quod commisi... Pater, da mihi magnam pœnitentiam... Verba quæ tu mihi dixisti ab aliis numquam audivi... Alii confessarii gravitatem peccati mei numquam mihi sic ostenderunt... Hac vice, pater, valde sum contritus etc. » (*De Rec.* n. 109).

Eodem modo ac hic (§ 9) S. Alphonsus loquitur in *Praxi :* « Si propter monitionem confessarii *ostendit* apprehendisse *novam cognitionem et horrorem* sui peccati, periculique suæ damnationis » (n. 74, 9°). Quæ verba ne perperam explicentur, advertit ad ea Card. van Rossum: « Ex hisce patet, S. Doctorem non intendere per hoc signum speculativam aliquam cognitionem malitiæ sui peccati, per confessarii monitionem acquisitam, eamque affirmatam simplici quodam modo, ad interrogationem fortasse confessarii, cui sane negative responderi vix unquam potest; sed eum loqui de nova iniquitatis suæ cognitione *practica*, secum ducente *novum horrorem sive detestationem* peccati, eamque confessario *significatam, ostensam, monstratam* » (*De jud. sacram.* n. 53).

368. — Quæ signa S. Doctor post hæc (§ 10) ex La Croix adducit sæpe redibunt ad « verba cordialia », et tunc vera eis fides haberi potest; secus, inquit S. Auctor, « nescio an sola satis esse possunt » (*Prax.* 74); erunt tamen adjumenta aliorum signorum ac velut adminicula probationis. Ita *per se* non sufficeret, « si pœnitens dicat se pœnituisse statim post peccatum ». Nam multi habituati, præsertim in peccato pollutionis, vitio valde inhærent, tentationibus obviis facile cedunt, imo eas variis mediis ultro quærunt et provocant. Sedata autem semel concupiscentia, eos statim quidem velut sponte et naturaliter pœnitet huic vitio adeo turpi consentiisse. Ast paucos post dies, ubi primum se occasio aut sollicitatio obtulerit, eumdem processum incipiunt, scilicet cogitationis, tentationis provocatæ, satisfactionis deliberate quæsitæ, passionis sedatæ, denique pœnitentiæ de turpi consuetudine; atque ita per annos in peccati habitu marcescunt. Idem sæpe etiam videre est in bibulis, fornicariis aliisque. Hujusmodi autem pœnitentia sæpe mere naturalis est, sine firmo proposito. Unde confessarius alia quærat specialia doloris indicia, quæ ostendant talem pœnitentiam esse vere supernaturalem.

369. — Hæc sunt *extraordinaria* seu *peculiaria* dispositionis signa, quæ alibi etiam passim S. Alphonsus recenset. (Cfr. *Prax.* n. 74; *Conf. dir.* XV, 14; *Selva.* n. 18; *Avvertimenti ai conf. nov.* n. VII). Non negat quidem alia signa specialia dari posse; atvero hæc, si quæ sunt, recensitis similia reperiuntur vel ad ea facile reduci possunt. Neque etiam a S. Leonardo a P. M., a Segneri aliisque theologis antiquis aut recentibus alia specifice diversa adducuntur.

Illud solum notandum superest, non quodlibet horum signorum semper et in omni casu satis certum præbere veræ dispositionis argumentum. Occurrunt namque subinde peccatores pravis consuetudinibus adeo irretiti adeoque indifferentes, ut jure dubitari possit, num aliquod singulare signum reapse conversionem seu voluntatis mutationem sufficienter manifestet, utrum v. g. abstinentia a peccando per aliquod tempus, aliquis conatus post ultimam confessionem adhibitus, fuerit effectus veræ contritionis et firmi propositi, an ex aliis adjunctis et causis natu-

ralibus contigerit. Hinc S. Alphonsus supra (n. 459, § 11; p. 220) dixit: « Non raro evenire potest quod aliquis etiam a longo tempore se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, ut ait D. Gregorius, et nihilominus non sit rite dispositus ». Quare generatim dicendum est: quo graviora stant argumenta contra recidivi dispositionem, eo plura ac graviora requiruntur indicia specialia, quibus simplex ejus assertio seu testimonium roboretur. Applicatio hujus regulæ in singulis casibus spectat ad confessarii prudentiam. Ita scite Lehmkuhl: « Momentum eo majus et gravius inquirendum est, quo graviores sunt circumstantiæ quæ nudum pœnitentis de se testimonium reddunt suspectum. Quæ et quanta signa exigi debeant ad testimonii vim augendam, absolute dici nequit, sed in singulis casibus prudenti confessarii æstimationi id relinquitur » (*Neo-Conf.* n. 188, *r*).

370. — Tandem S. Alphonsus (§ 11; p. 306) suam de signis extraordinariis doctrinam generali *auctoritatis* principio confirmet. Licet hæc directe dicantur contra rigoristas asserentes, hujusmodi signa non sufficere, sed opus esse diuturnam emendationis experientiam, valent tamen pariter contra illos justo benigniores auctores qui docent, nulla specialia signa neque præterita neque præsentia ad absolvendum recidivum requiri, sed ordinarium hujus de dolore testimonium ad id semper sufficere. Quæ sententia quum, ut ostendimus, ab antiquis theologis quasi communiter rejiciatur, eadem hic obtinet S. Doctoris ratio: « Non debet credi hos tam graves doctores a Deo lumine suo fuisse destitutos in re quæ directionem respicit conscientiarum totius populi christiani ». Quæ ratio certe peculiari modo valet pro ipso sancto Alphonso qui auctoritate Doctoris Ecclesiæ fulget, quum hac in re « Doctores ipsius Ecclesiæ » generatim magis etiam quam alii theologi qui, ut ait Benedictus XIV, doctores tantum sunt « in Ecclesia », a divino lumine illustrentur. (Vide supra in *Proœmio*) [1].

371. — Atque ita quidem dilucidata et probata manet thesis 18ª supra statuta. Quare merito cum *Vind. Alph.* concludere licet: « Ex hac expositione simul patet, S. Alphonsum in admittendis signis extraordinariis non rigidiorem sed potius mitissimum se exhibere, quippe quod hæc signa amplissimæ latitudinis sint. Vix enim, saltem secundum communiter et regulariter contingentia, cogitari potest, ut recidivus, vero dolore et sufficienti proposito non carens,

---

[1] Hinc merito Card. van Rossum post citata illa S. Alphonsi verba (ex § 11) ita pergit: « Quodsi hæc vera sunt de laudatis theologis, multo sane veriora de ipso S. Doctore. Temerarium proinde foret dicere, eum ita scripsisse ut cum plausu doctrina sua exciperetur; nec credi debet ipsum, Doctorem Ecclesiæ divina Providentia excitatum ad viam tutam mediam sternendam animarum moderatoribus, ut Pius IX solemniter testatur, a Deo lumine suo fuisse destitutum in re, quæ præ omnibus directionem respicit conscientiarum totius populi christiani » (*De jud. sacram.* n. 54).

horum signorum unum alterumve non exhibeat »; sive antequam ad confessionem accesserit, sive in ipsa præsenti confessione (II. p. 281, *nota;* et p. 337).

Objectionibus respondetur

Objectionibus, quæ a quibusdam recentibus contra theoriam signorum extraordinariorum moventur, juxta ea quæ antea dicta sunt facile respondetur.

1º Ajunt enim quidam, opus non esse hisce signis, quia sufficiunt quæcumque *vera signa* dispositionis. — Sed hoc ultimum nemo infitiatur; ipsemet S. Alphonsus, ut vidimus, id concedit. Atvero quæstio est, *quænam sint hæc vera signa* in peccatore habituato qui eodem semper modo relabitur: utrum nempe seria attestatio de suo dolore et proposito jam sit per se verum hujusmodi dispositionis signum, an alia præterea quædam requirantur indicia quæ probent eum se non seducere. (Cfr. n. 247 sq.).

2º Neque cum quibusdam recentibus dicatur, doctrinam S. Alphonsi de signis extraordinariis *practice vix aut ne vix quidem differre* ab illorum sententia qui ordinaria tantum signa postulant. — Nam, ut apposite respondet Card. van Rossum, « si res ita sese haberet, S. Alphonsus oleum et operam potius perdidisset congerendo sic dicta signa extraordinaria; imo non solum in vanum laborasset, sed insuper confessarios in re usus quotidiani non parum vexavisset. Incassum pariter laborassent ac pœnitentiæ ministros frustra exagitassent gravissimi quique theologi, iique in tribunali Pœnitentiæ versatissimi, qui signa extraordinaria docuerunt; quales sunt e. gr. Card. de Lugo, Laymann, Segneri, Croix, Reuter, Mazzotta, Salmanticenses, Lohner, Sporer, Anacletus, Holzmann, Wigandt, Tamburinus, Milante, etc. Non ita esse ipse S. Alphonsus testatur » (*De jud. sacram.* n. 54). Sane, ex genuina illorum signorum interpretatione, quam in hac thesi juxta ipsum S. Doctorem dedimus — et qualem etiam dederunt idem Card. van Rossum (*l. c.*, n. 51-54), Berardi (passim) aliique —, luculenter patet, duas illas sententias practice multum inter se differre.

3º Dixit etiam unus alterve, sufficere sequi *antiquos* illos qui *ante sæculum XVI* confessiones audierunt; hi autem non loquuntur de variis illis peccatorum speciebus, de habituatis et recidivis, sed simpliciter de rite dispositis. — Sed, ut in thesi 10ª vidimus, jam S. Thomas sæpe et fuse loquitur de habituatis, eorumque conversionem difficiliorem esse dicit; quod certe præcipue valet de habituatis recidivis (cfr. n. 203, 3º; 204). Plures autem rationes indicavimus (n. 291, 292), ob quas antiquis temporibus auctores non ita expresse, ac theologi inde a sæculo XVI, de variis peccatorum speciebus locuti sint; re autem vera certe ad eas attenderunt, quia secus prudens judicium

de eorum dispositione haberi nequit. Doctrina et praxis sacramenti confessionis paulatim a theologis doctis et sanctis, præsertim post concilium Tridentinum, sub ductu Spiritus Sancti multum explicata et evoluta est; quam evolutionem negligere, certe theoretice rectum non esset et practice haud parum in damnum animarum cederet.

Immerito igitur et imprudenter aliqui recentes nimis negligunt et parvi pendunt hanc de signis specialibus doctrinam, quam tanti fecerunt sancti et docti theologi et confessarii in formando suo judicio de vera peccatoris recidivi dispositione, deque ejus seria et integra voluntatis mutatione (cfr. n. 359 sq.).

Appendix

Methodus practica tractandi pœnitentem, imprimis recidivum et occasionarium.

Explicatis signis peculiaribus dispositionis, jam opportunus est locus paulo fusius exponendi, quo modo practice confessarius peccatorem, præcipue recidivum et occasionarium, excipere et tractare debeat, ut hic valide et fructuose sacramentum Pœnitentiæ recipiat. Quam ob rem agemus: 1º de modo inquirendi statum pœnitentis; 2º de modo ipsum disponendi; 3º de modo differendi absolutionem, si id opus fuerit.

I. — *De modo inquirendi statum pœnitentis.*

372. — Ante omnia animadvertendum est, confessario gravem incumbere *obligationem inquirendi* circa statum pœnitentis, num sit consuetudinarius, aut recidivus, aut occasionarius.

Joannes Sanchez ex suo principio, recidivo nempe in pravam consuetudinem asserenti suum dolorem semper credendum esse et absolutionem impertiendam, deducebat, confessarium non habere jus interrogandi de consuetudine peccandi in præteritis confessionibus: cum pœnitens obligari nequeat ad bis confitendum eadem peccata; hinc pœnitens interrogatus a confessario, utens æquivocatione, consuetudinem negare poterat. (*Selecta.* IX, n. 6-8). Hanc sententiam fortiter impugnavit Card. de Lugo (Disp. 14, n. 172 sqq.), utpote « contra omnes theologos, contra praxim Ecclesiæ et contra finem hujus sacramenti »; « quia, inquit, confessarius, cum sit judex et medicus, habet jus ad interroganda illa quorum notitia necessaria est ad utilem correctionem vel pœnitentiam imponendam »; idcirco eum « oportet cognoscere statum pœnitentis in ordine ad consuetudinem præteritam, ut sciat quænam medicina sit illi hic et nunc applicanda, et an indigeat dilatione absolutionis, ut hoc tandem modo curetur ». Aliquibus annis post Innocentius XI illam Sancii doctrinam

damnavit in hac propositione 58ª: « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem ».

373. — Re sane vera; hæc inquisitio circa *consuetudinem* et *occasionem* peccatorum magis etiam necessaria est quam examen circa integritatem materialem confessionis; agitur namque haud raro de valore, semper de majore fructu sacramenti ad relapsum præcavendum. Etenim ut confessarius, tamquam judex, de pœnitentis dispositione decernere possit, scire debet, num si pravo habitu irretitus sit, contra eum remedia necessaria aliquatenus adhibuerit aut in posterum adhibere velit; item num, cum in aliqua occasione proxima versetur, eam physice aut saltem moraliter vitare velit; etiam num proposito præterito semper infidelis fuerit. Ut medicus, confessarius tenetur apta contra relapsum remedia præscribere; quod quidem facere nequit, nisi animi morbum, ejusque causam et originem, id est consuetudinem et occasionem, rite perspecta habeat.

374. — Hanc rationem adductam videmus in IV Concilio Lateranensi: « Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, *diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati*, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum » (cap. 12; Denz.-Bannwart, n. 437). Huc etiam spectant gravia illa verba Benedicti XIV in Constitutione *Apostolica* (26 Junii 1749): « Primo loco monemus ut meminerint (confessarii), suscepti muneris partes non implere, imo vero *gravioris criminis reos* esse eos omnes qui, cum in sacro Pœnitentiæ tribunali resident, nulla tacti sollicitudine pœnitentes audiunt, non monent, *non interrogant*, sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt. Id sane a solertis medici, qui oleum et vinum infundit, moribus nimis alienum est. Etenim medicum agit quisquis Pœnitentiæ sacramentum ministrat; hinc debet, nedum *criminum circumstantias*, sed etiam illius qui in crimina lapsus est *indolem ac ingenium* sedulo inspicere, ut illi præsto sit opportunis remediis, ex quibus animæ salutem consequatur » (n. 19) [1].

Merito igitur S. Alphonsus seriam hanc obligationem confessariis inculcat: « Confessario, inquit, ut sui pœnitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo et causa omnium spiritualium ejus morborum..., interrogando de peccati *consuetudine*, de *occasionibus*, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu. Sic enim (confessarii) melius poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolu-

---

[1] Jam in Capitularibus Caroli Magni, a diacono Benedicto collectis, legimus: « *Quærendum* est sacerdoti, cum accipit alicujus fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea *iteratum* aut *frequenter actum* sit; si sponte, si coacte, si per ebrietatem aut per quodlibet ingenium factum sit. Et cum invenerit, unde *radix* illius peccati processit, tunc congruam adhibeat *medicinam* » (ap. Migne, t. 97, c. 845, n. 379). Neque aliter Theodulphus, Episcopus Aurelianensis († 821): « Quando quis ad confessionem venit, *diligenter debet inquiri, quo modo* aut *qua occasione* peccatum perpetraverit quod peregisse se confitetur, et juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari » (ib. t. 105, c. 201).

tionem disponere et remedia salutaria adjungere » (*Prax.* n. 6). Et iterum: « Quando quis confitetur aliquod grave peccatum et præsertim si pluries illud commiserit, non sufficit exquirere tantum speciem et numerum, sed interroget, utrum antea in illud cadere consueverit, et insuper cum quanam persona peccaverit et quo loco; ut intelligat utrum sit *habitudo* aut *occasio* quæ sit auferenda. In hoc plures errant confessarii; et *inde tot tantarumque animarum ruina procedit.* Omittendo enim confessarius hujusmodi interrogationes, nequit dignoscere, utrum pœnitens sit *recidivus*, et consequenter nequit illi tradere media opportuna ad evellendum habitum et occasionem » (ib. n. 180).

375. — Itaque circa *modum interrogandi* hæc animadvertere velit sedulus confessarius. Ut cognoscat, num quis sit vero sensu *recidivus in consuetudinem*, indaget primo, quoties in idem peccatum relapsus sit et a quo tempore, forte a multis mensibus vel etiam annis. Tum interroget, num jam in præcedentibus confessionibus serio monitus fuerit; item num et quæ remedia confessarius ei assignaverit, et quo modo iis ab ultima confessione usus fuerit, num e. gr. oraverit in tentationibus, statim post lapsum actum contritionis elicuerit, occasionem vitaverit. Inquirat etiam, num toties quoties antea in idem peccatum reciderit; utrum statim vel paucis diebus post ultimam confessionem, an post unam alteramve hebdomadam; utrum sine ulla fere pugna et prima jam oblata occasione, an post serium adhibitum conatum ad resistendum; item quando ultimo lapsus fuerit. Hæc de signis *præteritis*. — Si ipsum hactenus recidivum formalem fuisse compererit, inspiciat specialia *præsentis* dispositionis signa, v. g. verba cordialia, motivum confessionis, aliaque supra exposita (n. 361-368).

376. — Cum de *occasionariis* agitur, confessarius serio exquirere debet naturam occasionis variaque ejus adjuncta, fere juxta notum illum versum: « quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando ». Videlicet inquirat, quod fuerit *objectum* sollicitans (persona, liber contra fidem aut mores, ephemeris, locus, statua aut imago obscœna, pecunia, etc.); — quæ fuerint *personæ* (domestici, sodales aut amici, sponsus aut sponsa, superior aut inferior, ejusdem an alterius sexus, eadem semper an diversæ etc.); — quis *locus* (domus propria an aliena, schola, caupona, officina, theatrum, cinematographum, choreæ, locus publicus an solitarius etc.); — quo *tempore* (diurno an nocturno, die festo an feriali, occasione fori, visitationis etc.). Hæc omnia scire sæpe opus est, ut constet utrum occasio sit proxima an remota, continua an interrupta, necessaria an libera; item ut sciatur, quid monendum sit, quid vitari debeat, quid permitti aut tolerari possit, quæ etiam media sint præscribenda. — Si occasionarius est etiam *recidivus*, eodem modo interrogetur ac num. præcedenti diximus.

377. — Neque existimet quis, talem sedulam inquisitionem nimium tempus postulare. Valet hic proverbium: exercitatio parit artem; confessarius, usu et praxi edoctus, statim videt quid et quomodo interrogandum sit, et brevi rem perficiet. Ceterum nemo prudens medicus in diagnosi alicujus morbi nimis festinanter procedet, actus studio tractandi magnum infirmorum numerum. Seria illa interrogatione et inquisitione ipsius etiam pœnitentis fiduciam sibi conciliabit, qui ipsemet quasi persentit, hanc methodum rectam esse ut e peccatis exsurgat, adeoque libentius, ut experientia constat, ad eumdem redibit confessarium; quod quidem pro cura recidivi admodum utile est. Nimiam tamen hac in re prolixitatem, non secus ac in diagnosi corporali, vitandam esse, per se patet; valet hic: « Medium tenuere beati ».

II. — *De modo disponendi pœnitentem.*

378. — Postquam confessarius ita statum sui pœnitentis probe noverit, maxima illi cura sit oportet circa ejus dispositionem: ab hac quippe ipse valor sacramenti pendet.

Itaque si ex præcedenti inquisitione confessarius compererit, pœnitentem jam esse sufficienter dispositum, per se quidem non obligatur eum ulterius disponere. Attamen diligens confessarius, tum ut pater, tum ut medicus, non omittet brevem et nervosam addere exhortationem, quo ipsum efficacibus quibusdam motivis magis etiam ad contritionem et firmum propositum excitet, ipsique iterum remedia contra relapsum adhibenda inculcet, imprimis orationem, frequentem sacramentorum usum, fugam occasionis. Imo brevis monitio ad actum contritionis eliciendum necessaria foret, si prudens superesset dubium, num pœnitens præsenti confessioni actum explicitum doloris præmiserit; uti sæpe dubium est quoad rudes in materia religionis, aliosque qui ex mera consuetudine confessum eunt. — Quodsi contra pœnitens dubie dispositus aut etiam indispositus ad confessionem accedit, atque præsertim si est recidivus formalis in pravum habitum aut in occasionem, tunc regulariter gravis incumbit confessario obligatio per ferventem adhortationem ipsum disponendi, quemadmodum supra (n. 350 sqq.) satis superque ostensum est.

379. — Circa *modum disponendi* hæc animadvertenda sunt. — Prima lex esto, ut confessarius charitatem vere paternam pœnitenti exhibeat, ita ut hic persuasum habeat et quasi sentiat, confessarium unice moveri desiderio ejus salutis æternæ: hæc est velut tessera et secretum optimi cujusque confessarii, quo millenas animas disponet et cum Deo conciliabit. Qua de re vide supra (n. 352)

verba Leonis XII. Absit ergo ab illo omne zelum amarum, quivis motus iræ aut impatientiæ, quo facile os et cor miseri peccatoris occluderet et causa esset sacrilegæ confessionis. Contra magna mansuetudine et suavitate utatur, qua pœnitentis fiduciam sibi conciliet suaque exhortationis verba quasi sponte ejus animo insinuentur. Notum est illud S. Francisci Salesii, plures capi muscas paucis guttulis mellis quam integro dolio aceti. Id tamen non impedit, quominus pœnitentes, ubi opus est, serio moneat, quin etiam aliquando reprehendat et corripiat, præcipue rudiores et animo duriores qui verbis suavioribus parum moverentur sed salutari terrore concutiendi sunt; item eos qui scandalum præbent aliosque corrumpunt, ut ita eorum corda emolliat. Neque imitetur sacerdotem Heli, qui ad impios filios suos hæc lenia tantum dixit verba: *Nolite facere res hujusmodi* (I *Reg.* II, 23, 24). Caveat tamen, ne verbis duris eos exasperet et a confessione absterreat; imo erga eos qui infirmi sunt in fide et facile sacramenta relinquerent — quales hodie multi sunt — admodum raro hoc increpandi medio utatur. Semper autem in fine correptionis animum addat, ita ut, quemadmodum S. Alphonsus ait, « pœnitens intelligat, hoc quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore et commiseratione erga suam animam procedere » (*Prax.* n. 5). Generatim igitur paterno et suavi modo efficacia mutandæ vitæ motiva cum vero zelo et fervore ipsi proponat, ut ejus cor commoveat et ad sinceram contritionem firmumque propositum disponat.

380. — De hisce *motivis* egregie disserit Ven. Segneri (*Conf. istr.* cap. 8), cujus doctrinam ita ad compendium redegit Aertnys (*Theol. Past.* n. 67):

« Motiva ista revocari possunt ad Deum et ad peccatorem. Ad *Deum* pertinet *a*) injuria, qua peccator afficit Deum suum, dum in contemptu tantæ Majestatis præferre voluit voluptates suas; — *b*) injuria, quam infert Christi Redemptioni: perpetrando enim id quod causam dedit Christi passioni, nempe peccatum, peccator quodammodo tentavit renovare ejus vulnera, iterare opprobria, ac rursus crucifigere Filium Dei, ut ait Apostolus (*ad Hebr.* 6, 7); — *c*) ingratitudo quam ostendit erga Deum, Eum offendendo post tot ac tanta beneficia, tam naturæ quam gratiæ, communia et particularia, occulta et manifesta, ab Ipso tunc quoque recepta, cum Eum actu offendebat, quasi non omni momento in potestate esset illius Domini tam indigne habiti eum subito præcipitare ad inferos. — Ad *peccatorem* spectat *a*) jactura gratiæ divinæ, cujus vel unus gradus universa naturæ bona superat; — *b*) jactura paradisi, quam commutavit cum detestabili et momentanea voluptate; — *c*) jactura pacis cordis: conscientia enim peccatorem jugiter redarguit, nec sinit interna pace frui; — *d*) brevitas vitæ et mortis incertitudo, quæ subito ac improviso illum potest abripere; — *e*) miseranda servitus, qua efficitur mancipium diaboli, tyranni et impostoris, qui quantum nunc allexit ad peccatum, tantum postea inferet cruciatuum; — *f*) horror judicii Dei ac tormentorum in inferno æternitas, cui post tot milliones

annorum quot sunt in littore maris arenæ, quot in aëre atomi, necdum vel momentum detractum erit. — Præter hæc, pœnitentis animo imprimenda est hæc veritas quod quanto plus augetur peccatorum numerus, tanto magis crescat difficultas consequendæ salutis. Etenim mali habitus semper plus vigoris acquirunt, magis obscurant mentem et frangunt animum, semperque indigniorem reddunt auxiliis divinæ gratiæ; diabolo crescunt audacia viresque ad oppugnandum, peccatori autem magis magisque deficiunt ad resistendum. Quomodo ergo æternam evadet damnationem? In fine vitæ aut non suppetet tempus ad confitendum, aut, cum habuerit, non succedet vera pœnitentia ». — « Huc adde, ut alibi (n. 50) idem Aertnys, damnis spiritualibus nonnumquam adjungi posse damna naturalia, puta jacturam bonorum, famæ, sanitatis »; quæ rationes ut pœnæ temporales a Deo pro peccatis inflictæ a confessario proponi debent, et sæpe, imprimis pollutionarios, fornicarios, onanistas, blasphemos et bibulos, movere poterunt [1].

381. — Quædam hac de re adnotare juverit.

1º Non omnia hæc motiva simul explicanda sunt, sed quædam tantum, eaque præcipua quæ cujusque pœnitentis capacitati et conditioni magis conveniunt: alii namque timore, alii amore aut grati animi sensu plus moventur; aliter rudes et plebeji hortandi sunt quam docti et conspicui conditione; aliter pueri et juvenes quam adulti et senes; aliter feminæ quam mares. Ut plurimum conducet incipere per quædam motiva timoris et concludere per charitatis motiva.

2º Motiva illa proponat non quasi formulam recitans, sed cum zelo et animo fervido, ita ut pœnitens vere sentiat, confessarium ipsum de maxima peccati malitia et infortunio plene persuasum esse: qui enim ipse commotus non est, quomodo alios commovere poterit? Quapropter oportet, ut confessarius sit vere « homo Dei » (II *Tim.* 3, 17), qui ipsemet quotidiana meditatione hisce veritatibus velut imbutus sit, et unice quærat Dei, cujus minister est, promovere gloriam ejusque offensam pro viribus exstirpare, quique omni conatu nitatur animas, Divini Redemptoris Sanguine redemptas, ab æterno barathro eripere.

3º Generatim exhortatio fiat in fine confessionis, ut advertit Rituale Romanum (*De Pœn.* n. 18), etiam post inquisitionem circa naturam consuetudinis et occasionis, ne secus pœnitens interim cogitet de iis quæ adhuc accusanda essent. Ut ejus attentionem acuat, juverit aliquoties exhortationem interrumpere per quasdam interrogationes, v. g. num hæc probe intelligat, firmiter credat, num unquam bene de iis cogitaverit, num hæc jam antea ipsi dicta fuerint, etc.?

4º Exhortatio certe non nimis longa esse debet, ita ut tædium afferat, sed neque etiam ita brevis, ut vix spatium seriæ cogitationis

---

[1] Præter Segneri, præclara quoque de modo peccatores exhortandi et disponendi habet Reuter, *Neo-Confessarius*, n. 10-13.

detur. Necessarium ergo tempus eidem impendatur, etiamsi alii pœnitentes expectare debeant. Monent id auctores gravissimi. Ita Benedictus XIV in celebri sua constitutione *Apostolica* 26 junii 1749, cujus verba vide supra (n. 352). — Etiam S. Alphonsus: « Nec sua referre debet, inquit, quod in hoc tempus insumatur, et quod reliqui pœnitentes abibunt, ne tantum expectent. Ille tunc non tenetur aliorum bona prospicere sed tantum pœnitentis sui; pro hoc dumtaxat illo tempore Deo rationem redditurus est, non pro aliis. Satius est — dicebat S. Franciscus Xaverius — paucas confessiones audire et rite factas quam multas et temere properatas et sine fructu » (*H. Ap.* XVI, 105). — Item Reginaldus: « Confessarius velit potius duos bene audire, quam viginti perfunctorie; quandoquidem hoc quam illud melius est » (*Praxis.* lib. 2, cap. 7, n. 12). Quandonam brevior, sed tamen sufficiens exhortatio esse possit, vide supra (n. 354).

Non abs re erit addere hic specimen brevis exhortationis, quam sanctus Doctor noster in *Praxi* confessariis proponit. Boni confessarii, inquit « imprimis elaborant, ut pœnitentes verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per *attritionis* actum eos præparant, v. gr. *Fili mi, ubi nunc esse deberes ? In inferno ? Ah in illo igne semper cruciandus esses ! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses ! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam æternitatem ! Igiturne te pœnitet Deum offendisse propter infernum quem meruisti ?...* Postea curet, ut eliciatur actus *contritionis* hoc modo: *Fili mi, quid egisti ? peccasti in Deum summum et infinitum bonum ; nullam illius rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo ; projecisti eum post tergum tuum ; contempsisti amicitiam et gratiam ejus. Eja ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœnitet ? Detestare et odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus es millies mori, quam hæc in posterum committere ?* » (n. 10). — Merito sane sperare licet fore ut hujusmodi fervida confessarii exhortatio sæpenumero effectum sortiatur. Testatur id de semetipso S. Alphonsus: « Quot istorum ad me venerunt indispositi, et ego divino auxilio opitulante disponere curavi, et dispositos tuto et mea maxima consolatione absolutos dimisi » (*H. Ap.* XVI, 105). — Eamdem consolationem certe sæpe percepit quivis bonus confessarius.

382. — Denique, confessarius in disponendo pœnitentem omnium maxime attendat oportet ad *propositum firmum* et efficax; sine hoc enim nullus erit sacramenti effectus. Hoc autem propositum firmum ac efficax sicut in aliis gravis momenti negotiis, ita quoque in sacramento Pœnitentiæ in eo consistit, ut pœnitens non vago quodam modo et quasi in abstracto peccatum vitare desideret — id quod sæpe tantum quædam velleitas esset —, sed ut serio ac firmiter statuat adhibere etiam *media* necessaria, eaque *certa et particularia*, quibus ad finem intentum, quæ est integra veteris vitæ mutatio, perveniat. Hujus rei necessitatem confessarius pœnitenti ostendat,

quippe sine qua vera pœnitentia consistere nequeat; in hisce propositis particularibus capiendis eum adjuvet, quum ipse pœnitens hujus rei sæpe ignarus sit aut immemor. Quapropter indicet ei ut *hanc* personam, *hunc* locum, *hanc* circumstantiam etc. evitet; si forte ea vitare moraliter nequeat, ut *hoc illove* modo se in ea occasione gerat; — item ut, ubi primum aliqua prava tentatio insurrexit, eam *illico* repellat, mentem alio divertat, *statimque* oret, has aliasve dicens preces — quas confessarius ei suggeret —: *Jesu, Maria, adjuvate me! mi Jesu, misericordia! mi Deus, nolo Te offendere, miserere mei!* etc.; — item ut, si forte ex infirmitate semel relapsus fuerit, statim ad Deum recurrat, sincere veniam petat, actum contritionis eliciat, propositum renovet, sibique aliquam pœnitentiam determinatam imponat; imo ut tum imprimis, quando fuerit relapsus, quantocius, puta Dominica insequenti, ad confessarium redeat. Hoc postremum semper graviter ipsi suadeat; imo aliquando ipsi etiam, utpote remedium in casu moraliter necessarium, pro parte pœnitentiæ sacramentalis imponere potest, parce tamen ac prudenter, et tutius sub levi tantum; ne negligens novo gravi peccato oneretur (cfr. n. 467). — Quod si pœnitens hujusmodi proposita determinata et particularia firmiter concipit, certe fas est sperare fore ut, paulatim saltem, plane emendetur bonusque Christianus fiat.

III. — *De modo differendi absolutionem, si id opus fuerit.*

383. — Verum enim vero, tantopere sæpe miseri illi recidivi vel occasionarii peccato adhærent, ut etiam post fervidissimam adhortationem graviter dubitari debeat, num vere contriti et conversi sint, firmamque non amplius peccandi voluntatem habeant. Frigida enim sua responsione, ipso tono vocis, tergiversationibus quibus utuntur, falsis sui excusationibus, aliisque indiciis nequaquam veram cordis immutationem, sed quamdam dumtaxat se emendandi velleitatem ostendunt (cfr. supra n. 356 sqq.). — Præterea sæpe etiam judicabit confessarius, eis, licet hic et nunc satis dispositi appareant, absolutionis dilationem valde utilem vel etiam necessariam esse, ut prius gravem quamdam obligationem, puta occasionis remotionem, reconciliationem, scandali reparationem, restitutionem, remediorum usum, exsequantur; quam obligationem, si statim absolverentur, valde probabiliter negligerent, ac proinde in eadem peccata reciderent, quemadmodum forte jam tristis hactenus ostendit experientia. (Cfr. thes. 20ª).

Hisce igitur in casibus — nisi gravis adsit ratio eos, etsi dubie dispositos, illico absolvendi (qua de re vide thes. 22ªᵐ) — confessario nova incumbit obligatio, eos nempe disponendi ut absolutionis dilationem æquo animo accipiant.

384. — Circa *modum differendi absolutionem* præclara iterum præscribit Leo XII in constitutione *Charitate* (25 Dec. 1825): « Quocumque animo sint, qui accedant ad ministrum Pœnitentiæ, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quisquam Dei bonitati, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, (confessarius) verbis quibus poterit humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quam primum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis quæ salubriter præscripta fuerint, vinculis solutis peccatorum, gratiæ cœlestis dulcedine reficiantur ». Item Benedictus XIV in constitutione *Apostolica* (26 Junii 1749) confessarios monet: « Ut, sive denegent sive differant absolutionem, miti ingenio ac suavi sermone pœnitentibus causas denegatæ absolutionis aperiant, ac ostendant ita expedire ut animæ saluti bene consulatur. Hinc illos, ut quantocius revertantur, invitent, atque animos addant ut ante reditum ea omnia, quæ illis agenda præscribuntur, rite perficiant, ex quo fiet ut ad sacramentale forum regressi absolutionis beneficio donentur » (n. 23).

385. — Itaque, quo facilius a pœnitente hæc dilatio accipiatur, hunc fere in modum procedat confessarius:

a) Nitatur ante omnia, juxta monitum Benedicti XIV, ut ipse pœnitens pervideat et probet rationes ob quas sibi absolutio differatur, ut ita ipsemet, si fieri potest, in hanc dilationem consentiat, vel saltem persuasum habeat, confessarium non agere ex passione aut animo malevolo, sed ex sola erga ipsum charitate. Quapropter humano et suavi modo exponantur ipsi bona quæ ex dilatione proveniant (vera ad Deum conversio, major violentia quam sibi inferet, remedia melius adhibita, pax quam in posterum experietur si post breve tempus redibit etc.), item damna quæ ex statim collata absolutione orirentur et jam orta sunt (idem semper relapsus, incerta peccatorum remissio, proposita hactenus inefficacia, absolutiones parum aut nihil fructuosæ, grave periculum occasionis non prius remotæ, fortior semper habitus pravus, infelix in posterum peccatorum vita, perpetuum æternæ damnationis periculum, major Dei ira, etc.).

b) Provocet ad propriam ipsius pœnitentis experientiam qui, licet sæpe forte jam absolutus, tamen semper in eadem relapsus est peccata et miseram hactenus duxit vitam, a Deo et salute æterna alienam.

c) Addat sibi multo gratius et facilius fore statim absolutionem conferre, se dolenti valde animo eam differre, idque tantum agere sua conscientia adstrictus et propter solum bonum ipsius pœnitentis, ut vere convertatur et pace fruatur.

d) Concedat pœnitenti, remedium dilationis hic et nunc quidem esse ingratum, hoc tamen esse optimum et efficax, uti apud alios pœnitentes expertus est; confessarium ut bonum medicum aliquando medicinam amaram dare debere, quo morbus animæ efficacius curetur. Dicat e. gr.: « Tristis revera est status tuæ animæ, tibique valde compatior etc... Cognosco tamen optimum remedium, quod etiam apud alios cum bono exitu adhibui. Visne et tu illud adhibere?... Sed est aliquomodo ingratum tum tibi, tum et mihi... Est scilicet, ut illo die redeas... Interim etc... ».

e) Inculcet deinde iterum remedia adhibenda: fugere occasionem; quotidie renovare firmum propositum; sæpe elicere actum contritionis, imprimis statim post relapsum; in tentationibus illico invocare nomina Jesu et Mariæ aliasque fundere preces jaculatorias; recitare quotidie aliquas orationes vocales, puta « Pater » et « Ave » cum actu contritionis. Hæc, aliave juxta vires pœnitentis.

f) Ne pœnitens, si post dimissionem relapsus fuerit, animum despondeat ideoque non redeat, dicat ipsi, se absolutionem non differre quia multum peccaverit — infinitam enim esse Dei misericordiam —, sed quia hucusque nihil fere ad se emendandum egerit, sufficere firmam voluntatem seriosque adhibere conatus; quos si viderit confessarius, se libenter ipsi absolutionem concessurum, etiamsi forte interim ex infirmitate adhuc relapsus fuerit.

g) Dicat, necesse non esse ut pœnitens, si ad eumdem ipsum confessarium redit, eadem iterum peccata confiteatur, sufficere ut seriam sibi vim inferat, remedia adhibeat, melius oret, etc.; tunc fidenter ad ipsum accedat, quia læto animo ipsum adjuvabit et absolutionem ipsi concedet, cum magno utriusque gaudio.

h) Promittat, se interim speciali modo pro ipso oraturum esse in sacrificio Missæ.

386. — Quodsi pœnitens opponat — ut aliquando fit, quo absolutionem extorqueat —, se interim mori posse, respondeat confessarius, Deum non permissurum esse ut damnetur, si vere contritus est quod Majestatem adeo infinitam, Patrem adeo bonum offenderit; contra multo majus esse damnationis periculum, si accepta nunc absolutione in iisdem sicut hactenus peccatis vivere pergat.

Denique si fieri potest, opportunum tempus quo redeat ipsi indicet. Qua de re hæc accipe a S. Alphonso: « Si (pœnitens) fuerit absolutionis incapax, aut expediens ipsi videbitur differre absolutionem, assignet ei diem quo regredi debeat, dicendo ei sic: *Eja frater, tali die te expecto; ne prætermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commenda te quotidie beatæ Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum confessionem excipientem, accede, te enim ante alios audiam. Si alibi fuero, fac ut me arcessant: omnia*

deseram, ut tu confitearis. Et sic dulcibus verbis a se dimittat » (*Prax.* n. 5) [1].

387. — Ex hisce patet, laborem illum disponendi pœnitentem ut æquo animo absolutionis dilationem accipiat, sæpe esse improbum et operosum, qui magnam charitatem, mansuetudinem et patientiam exigit. Cuilibet certe confessario multo facilius et gratius erit post brevem ferventemque exhortationem huic pœnitenti statim conferre absolutionem quam novum illum laborem iterum in se suscipere (cfr. supra n. 357). Sed probus quisque confessarius qui, sublimis suæ vocationis conscius, unice Dei gloriam animarumque salutem quærit, et perpendit quanta Dei Filius ad hunc finem laboraverit et perpessus fuerit, molestam hanc operam non refugiet. Ceterum, sæpe ipsemet salutares laboriosæ suæ charitatis fructus percipiet. Experientia enim multorum bonorum confessariorum ostendit, pœnitentes recidivos ita humaniter tractatos et suaviter dimissos sæpe multo melius dispositos redire, imo haud raro accidere, ut confessario de sua agendi ratione gratias agant, eo quod postmodum multo magis tranquillos et felices se sentiant.

Testatur id de se S. Leonardus a P. M. ut supra (n. 267) jam vidimus. Alloquens quippe confessarios: « Experientia, inquit, docet, pœnitentes hoc modo cum omni charitate tractatos libenter et magno cum fructu dilationem absolutionis accipere... Ipsimet vobis debitas solvent gratias, milliesque vobis benedicent. *O Pater mi* — sæpius mihi dictum fuit —, *si ab initio pravæ meæ vitæ invenissem confessarium charitate plenum, qui me per aliquot dies absolutionem distulisset, meque cum illa tractasset charitate qua tu mecum usus es: jam non in pessimo illo statu essem in quo nunc sum, neque tot peccata commisissem;* quibus dictis, præ consolatione in lacrymas erumpebant» (*Disc.* n. 16). Hæc sanctus ille missionarius. — Ipsimet quoque nos, in millenis quas in variis regionibus tum in magnis civitatibus tum in pagis audivimus confessionibus, similes dulces hujusmodi dilationis fructus percepimus; idemque se expertos esse, plures alii zelantes confessarii nobis testati sunt.

388. — Quodsi pœnitens statuto tempore rediens adhuc aliquoties ex infirmitate relapsus fuerit, modo gravem et urgentem obligationem præstiterit vel serios se emendandi conatus adhibuerit, confessarius ipsum absolvat — nam iterata dilatio generatim non prodesset —; laudet eum animumque ipsi addat, eumque hortetur ut brevi iterum ad confessionem redeat, quo paulatim pravum habitum

---

[1] Optima de modo differendi absolutionem consilia, ex variis auctoribus desumpta, dat etiam Berardi (*De Rec.* n. 143-145 et n. 161), qui concludit cum hisce verbis Mach: « Zelus confessarii adeo bonam solet facere impressionem, ut non semel acciderit, quod pœnitens, quamvis absolutionem non obtinuerit, tamen alios peccatores ad pedes illius confessarii duxerit, quem adeo salutis animarum cupidum propria experientia noverat ».

prorsus dimittat. — Alii quidem pœnitentes non ad eumdem, sed ad alium confessarium redibunt, saltem post aliquod tempus. Interim serius de sua salute deque sua emendatione cogitaverunt, aliquanto melius oraverunt et vim sibi intulerunt. Neque in posterum confessionem habebunt — ut haud raro a multis fit — tamquam cæremoniam quamdam externam aut velut vectigal pro peccatis remittendis solvendum; sed illa confessarii agendi ratione edocti erunt, sacramentum hoc juxta doctrinam catholicam postulare « vitæ veteris odium », veram peccati detestationem, cordis immutationem, ratum firmumque propositum non peccandi de cetero. (Trident. *sess.* 14, *cap.* 4).

389. — Denique si contigerit, pœnitentem etiam post fervidam exhortationem *certe indispositum* manere, propterea quod gravem obligationem implere non vult, caveat etiamtum confessarius, ne eum aspere dimittat atque ita a sacramentis forte prorsus alienet. Contra dolenti animo ipsi significet, quod in conscientia et ex Dei præcepto ipsum absolvere nequit, quoad illam obligationem non adimpleverit. Tum paterne eum iterum moneat et ad orandum excitet, præsertim ad B. M. V. « refugium peccatorum », recitando quotidie aliquam precem. Nam — ut constat experientia — quamdiu peccator, gravissimis etiam pravorum habituum et occasionum catenis adstrictus, devotum quemdam affectum retinet et colit erga hanc « Matrem misericordiæ », solida adest spes suæ veræ, etsi forte tardæ, conversionis ad Deum. Denique suam etiam orationem ipsi promittat, suumque promptum et benevolum auxilium, si postea rite dispositus ad eum redeat. — « Hæc est via — ita concludit S. Alphonsus — qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest caritate; alioquin, si ipsi in confessarium incident qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent et effrænate in perditionem ibunt » (*Prax.* n. 5).

CAPUT V.

De judicio requisito circa pœnitentis dispositionem.

TEXTUS S. ALPHONSI
(VI, 461)

§ 1. — « Ceterum, ut ad propositam materiam redeamus, cer-
« tum est, quod confessarius tenetur differre absolutionem, usque-
« dum fiat moraliter certus de dispositione sui pœnitentis, saltem
« per experimentum temporis vel mediorum, si pœnitens sufficiens
« nondum præbeat signum suæ dispositionis. Vide Salmant. [1] ».

§ 2. — « Attamen notandum est (prout diximus *de Sacram. in*
« *gen., n.* 57), quod in aliis sacramentis, cum materia sit physica,
« physica requiritur certitudo; sed in hoc sacramento Pœnitentiæ,
« cum materia sit moralis, prout sunt actus pœnitentis, sufficit certi-
« tudo moralis sive respectiva. Sic enim docuit D. Thomas [2]: *Nec*
« *oportet quod omnis mensura sit omnino infallibilis... sed secundum*
« *quod est possibile in genere suo.* Et [3]: *Certitudo non est similiter*
« *quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium*
« *modum; quia vero materiæ prudentiæ sunt singularia contingentia,*
« *circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ*
« *tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur* ».

§ 3. — « Unde, quod ad nostrum propositum spectat, sufficit
« quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de disposi-
« tione pœnitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio in-
« dispositionis. Alias, vix ullus posset absolvi: dum quæcumque signa
« pœnitentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis; ut
« recte docet Pater Suarez [4], ubi ait quod oportet (et sufficit) ut
« confessarius *prudenter et probabiliter judicet pœnitentem esse dispo-*
« *situm.* Et hoc videtur satis exprimi in Catechismo Romano [5], ubi
« dicitur: *Si..., audita confessione,* (sacerdos) *judicaverit, neque in*
« *enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœ-*
« *nitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Ergo, semper ac confes-

[1] Tract. 6, cap. 5, num. 66 et 67. — [2] 1ª-2æ, qu. 91, art. 3, ad 3. — [3] 2ª-2æ, qu. 47 art. 9, ad 2. — [4] Disp. 32, sect. 2, n. 1. — [5] De Sacr. Pœnit., n. 60.

« sario positive non innotescit, pœnitenti omnino defuisse dolorem, « ipsum absolvere potest ».

§ 4. — « Hinc auctor supra citatus (*Istruz. per li novelli con-* « *fessori*) [1] cum Esparza [a]) sic loquitur: « *Donde noi fermiamo qui per* « *ultimo una conclusione, la quale è la chiave di tutta questa materia:* « *non ricercarsi altro... per amministrare la penitenza che un giudizio* « *prudente e veramente probabile della disposizione del penitente...* « *Onde... se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch'egli non* « *sia sufficientemente disposto, non dee il confessore inquietare se stesso* « *nè il penitente per averne l'evidenza che non è possibile* [b]). Et huic « conducit textus in cap. *A nobis* 28, *de sent. excom.*, ubi dicitur: « *Judicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur;* « *judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam* « *et fallere sæpe contingit et falli* ».

390. — Quæstio, quam in hoc capite tractandam aggredimur, maximi in materia nostra est momenti. Quum enim confessarius in hoc sacramento sit judex, qui non mero arbitratu suo, sed cognita causa, imprimis pœnitentis dispositione, judicium ferre, i. e. peccata absolvere aut retinere, debeat: ex gradu cognitionis, quæ in confessario circa hanc pœnitentis dispositionem postulatur, pendebit major aut minor facilitas quacum huic beneficium absolutionis dare aut retinere poterit. Speciatim pro nostra disputatione de absolutione recidivorum hæc quæstio adeo fundamentalis est, ut S. Alphonsus doctrinam, quam in hoc num. 461 exponit, constituerit propositionem *majorem* illius argumentationis, quæ probat recidivos formales sine aliquo signo speciali seu extraordinario statim absolvi non posse. (Cfr. VI, 459, § 7 *Ratio est;* supra p. 218). Eodem modo et nos supra (n. 258) ratiocinati sumus. Quam igitur propositionem *majorem* ibidem admisimus, hic prolixius probaturi sumus. Unde thesis quæ sequitur:

[1] Is est *Giordanini*, part. 1, cap. 15, n. 360.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Esparza, *Curs. theol., lib.* 10, *qu.* 88, *ad* 3, ab auctore adducitur pro quadam asserti ratione, quæ hic a S. Alphonso omittitur, nimirum confessionem esse actum proprium hominis christiani, qua christianus est et ex fidei lumine operatur.

[b]) Quod latine sic vertitur: « Ex his tandem deducimus hanc conclusionem quæ est clavis totius hujus argumenti: ad ministrandam pœnitentiam, nil aliud requiri quam prudens et vere probabile judicium de dispositione pœnitentis. Unde, si circumstantiæ non ingerunt prudens dubium de insufficienti ejus dispositione, confessarius nec se ipsum nec illum perturbare debet ut evidentiam consequatur, quod possibile non est ».

Thesis 19ª.

Ut confessarius licite pœnitentem sine conditione absolvat, non sufficit opinio æque aut fere æque probabilis de ejus dispositione, quæ nempe dubium positivum et proprie dictum ingeneret, sed requiritur et sufficit opinio aut unice probabilis aut certo ac notabiliter probabilior, ita ut confessarius judicio vere opinativo censeat pœnitentem esse dispositum; a. v. requiritur et sufficit ea quæ a S. Thoma dicitur « certitudo probabilis », « certitudo opinionis », « certitudo prudentiæ », seu illa certitudo moralis imperfecta et late dicta quæ, licet prudentem erroris formidinem admittat, tamen dubium positivum, prudens et stricte dictum excludat.

Explicatur Thesis juxta principia S. Thomæ

391. — Ut hæc thesis rite explicetur, præmittenda sunt quædam principia psychologica S. Thomæ circa triplicem statum mentis: *dubitationis, opinionis* et *certitudinis.* Propter neglectam enim hanc doctrinam philosophicam quæstio hæc, ut nobis quidem videtur, hucusque generatim haud ita dilucide tractata fuit.

1º *Dubium* verum et proprie dictum, prout est status mentis seu dubitatio, est fluctuatio mentis seu suspensio judicii propter æqualia utrinque motiva. Ita sæpius Doctor Angelicus: « Quando homo, inquit, non habet rationem ad alteram partem magis quam ad alteram, vel quia ad neutram habet, quod nescientis est, vel quod ad *utramque habet* sed *æqualem*, quod *dubitantis* est, tunc nullo modo assentit, cum nullo modo determinetur ejus judicium, sed *æqualiter* se habet ad diversa » (III. dist. 23, qu. 2, a 2, sol. 1). — Circa quæ tria advertas velim: *a*) Dubitans excludit omnem actum judicii seu assensum; hinc illa aliqua dubitatio seu prudens formido, quæ relinquitur in statu opinantis — de quo statim —, est tantum dubium *latum* et *improprie dictum.* — *b*) Dubium, quod posteriores dixerunt *negativum*, quia ex neutra parte stant rationes, juxta S. Thomam non est proprie dubium, sed *nescientia;* sane quærenti: utrum stellæ cœli sint pares an impares numero, nemo prudens respondebit: « dubito », sed « nescio ». — *c*) Ad verum et genuinum dubium, dubium, inquam, *positivum, prudens* et *rationale*, juxta eumdem Doctorem Angelicum requiruntur rationes utrinque *æquales.* Quod quidem alibi repetit: « Intellectus noster quandoque non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, vel propter apparentem *æqualitatem* eorum quæ movent

ad *utramque* partem; et ista est *dubitantis* dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis » (*De Verit.* qu. 14, a. 1) [1].

392. — 2° *Opinio*, prout est status mentis seu judicium opinativum, est assensus infirmus, quem intellectus præbet uni parti, ut veræ, sed cum prudenti formidine partis oppositæ. Ita iterum sæpius S. Thomas: « Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum ad unam partem totaliter; unde accipit quidem partem unam, tamen semper dubitat de opposito; et hæc est dispositio *opinantis*, qui *accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius* » (*De Verit.* qu. 14, a 1). Item: « *Opinans* habet cogitationem *sine assensu perfecto*, sed *habet aliquid assensus*, in quantum adhæret uni magis quam alii » (III, dist. 23, qu. 2, a. 2, sol. 1). Et iterum: « Alio modo (intellectus) assentitur alicui non propter evidentiam objecti, a quo non movetur sufficienter; unde non est certus; sed vel *dubitat*, scilicet quando *non plus habet rationem* ad unam partem quam ad aliam, vel *opinatur*, si habet quidem rationem ad unam partem non omnino quietantem ipsum, sed *cum formidine ad oppositum* » (*In Epist. ad Hebr.* cap. XI, lect. 1). — Ex hisce colliges: *a*) Ad statum opinantis requiritur actus positivus judicii seu assensus. — *b*) Hic assensus est infirmus ac imperfectus, quia intellectus adhuc prudenter formidat veritatem partis oppositæ; « prudenter », inquam, quia imprudentem formidinem neque certitudo fidei semper excludit. Quodsi hæc prudens formido a S. Thoma supra etiam dicitur « dubitatio », hoc intelligit sensu quodam latiore et improprio; est tantum « *aliqua* dubitatio », ut alibi dicit (*Quodl.* VIII, a. 13) [2]. — *c*) Assensus hic præbetur uni parti *ut veræ;* nam, ut iterum Doctor Angelicus: « Opinans dicit

---

[1] Cum S. Thoma concordat passim S. Alphonsus dicens: « Ex *æqualibus* probabilitatibus aliud quam merum dubium non resultat, an existat vel non existat lex. Id clare docet S. Thomas: *Intellectus noster* etc. » (*Th. Mor.* I, 68; ed. Gaudé; item n. 62, n. 88, et alibi sæpius). Concordant quoque innumeri theologi et philosophi. Notat tamen S. Alphonsus cum aliis, etiam rationes *fere æquales* mentem in statu stricti dubii relinquere, juxta axioma: « Parum pro nihilo reputatur »; quia in moralibus parvus excessus non certo percipitur. Hinc S. Thomas: « Quod parum est, quasi nihil accipit ratio » (I-II, qu. 14, a. 4). Unde merito Sylvester Prieras: « Dubium secundum Philosophum et mentem S. Thomæ est contrariarum *rationum æqualitas ;* unde proprie dubitat de aliquo vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem *æqualiter aut quasi æqualiter* moventes, ita quod non inclinatur ad hoc magis quam ad illud *notabiliter* ». (*Summa*, verbo *Dubium*). Hinc est quod *suspicio*, qua quis non adhæret uni parti cum formidine, sed « tenetur aliquo *levi* signo » quo declinet tantum in unam partem (S. Thom., II-II, qu. 2, a. 1), *practice* ad dubium proprie dictum reducitur.

[2] Ad rem Suarez: « Si dubium sit tantum *formidinis*, non sufficit ad constituendum hominem in *vero dubio morali* » (*De Voto*, lib. 4, cap. 5). Item Vasquez: « Notandum est, aliud esse formidinem, aliud vero hæsitationem et dubitationem..... *Dubitare* enim et hæsitare est pendere intellectum in utramque partem contradictionis et nulli earum determinate assensum præbere... *Formido* vero unius partis non excludit assensum determinatum alterius » (In I-II, disp. 62, n. 26). Et Terillus: « Opinata proprie loquendo non sunt dubia » (*De Reg. morum*, part. 2, qu. 50, n. 33). Et Passerini post Sylvestrum: « Ubi est opinio, cessat dubium » (*De hominum statibus*. In qu. 186, a. 8, n. 232).

(scil. cum formidine) *verum* esse quod opinatur » (VI *Ethic.* lect. 8). Unde opinans habet cognitionem objecti positivam, licet imperfectam.

Apprime denique notandum est, judicium opinativum, ut sit rationale seu prudens et objectivum, inniti debere motivis, sive pro una tantum parte gravibus — et tunc adest sententia unice probabilis —, sive pro una parte certe ac notabiliter gravioribus quam pro parte opposita. Hæc motiva si considerat intellectus, voluntas prudenter hanc facultatem movet, ut uni parti assensum illum formidolosum præbeat. (Cfr. S. Thom. II-II, qu. 1, a. 4).

393. — 3º *Certitudo*, nempe illa *perfecta et proprie dicta*, est assensus firmus uni parti contradictionis sine formidine partis oppositæ. Itaque certitudo, ut ait S. Thomas, « ab opinione differt, quæ accipit alteram oppositarum cum formidine alterius, et a dubitatione, quæ fluctuat inter duo contraria » (*In Boet. De Trin.* lect. 1, qu. 1, a. 1, c.). Est autem hæc certitudo vel metaphysica, vel physica, vel moralis, pro natura fontis ex quo petitur.

394. — Ab hac certitudine proprie sumpta juxta S. Thomam toto cœlo distat *certitudo moralis late dicta seu imperfecta*, qua nempe mens adhæret quidem uni parti, sed cum prudenti formidine partis oppositæ. Hæc igitur certitudo plane convenit cum *statu opinionis*, de quo supra. Ab eodem Doctore Angelico vocatur etiam « *certitudo probabilis*, quæ, inquit, ut in pluribus veritatem attingit, etsi in paucioribus a veritate deficiat » (II-II, qu. 70, a. 2); item « *certitudo prudentiæ* » (II-II, qu. 47, a. 9, ad 2; ap. S. Alph. in textu § 2), vel « *certitudo opinionis* » (III, dist. 23, qu. 2, a. 2, sol. 3, ad I), quia, ut diximus, mens versatur in statu opinantis. — Hæc certitudo moralis imperfecta et late dicta in theologia morali summi est momenti et usu frequentissima [1].

395. — Hisce præmissis facilis jam est *explicatio* nostræ thesis.

Ut confessarius licite pœnitentem absolvat — nimirum absolute, quia de absolutione conditionata infra (n. 482 sqq.) agetur —: *a*) *non requiritur certitudo moralis stricta et perfecta*, quæ omnem prudentem erroris formidinem excludit, et quæ, quoad ejus fieri potest, in aliis sacramentis est sectanda, v. g. de veritate aquæ in Baptismo, panis

---

[1] Eamdem notionem certitudinis moralis *latæ seu imperfectæ* tradunt etiam plures theologi antiqui. S. Antoninus e. g. eam vocat « *certitudinem probabilis conjecturæ* », eamque exsurgere dicit « ex probabilibus conjecturis grossis et figurabilibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus » (*Summa Theol.* part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10). Egregie etiam Lugo: « Possumus duos gradus certitudinis moralis distinguere. Primus est, quam descripsimus, nempe quæ excludit omnem prudentem formidinem errandi, et hæc est *propria* certitudo moralis. Secundus est certitudinis *minus propriæ*, quæ *non excludit formidinem prudentem*, sed solam *dubitationem prudentem* de illo objecto » (*De Fide*, disp. I, n. 316).

et vini in SS. Eucharistia. Quum enim materia sacramenti Pœnitentiæ non sit omnino externa et visibilis, sed præcipue moralis et interna, seu « actus pœnitentis » (§ 2, supra p. 330), imprimis actus doloris, de hisce vera et stricta certitudo raro habetur. Unde, si hæc requireretur, « vix ullus posset absolvi », ut ait S. Alphonsus (§ 3), et « administratio sacramenti fieret obnoxia nimiis scrupulis et difficultatibus », ut alibi (VI, 57) dicit; quod certe juxta intentionem Christi esse nequit. — Confirmatur hoc generali principio S. Thomæ de certitudine quærenda « in unaquaque materia secundum proprium modum » (§ 2). Quare neque ipsi rigoristæ certitudinem perfectam et presse sumptam hac in re postulant.

b) *Requiritur tamen et sufficit judicium opinativum* de vera pœnitentis dispositione, quod nempe admittit quidem prudentem formidinem, seu « dubium formidinis », ut loquitur Suarez, sed excludit dubium proprie dictum seu prudens et grave de contrario. Unde S. Alphonsus post Giordanini dicit, « nihil aliud requiri, quam prudens et vere probabile judicium de dispositione pœnitentis, *quod non ingerit prudens dubium de insufficienti ejus dispositione* » (§ 4). Alibi illud vocat « judicium probabile et prudens *absque prudenti dubio in contrarium* » (*Conf. dir.* XV, 14) [1]. — Tale autem judicium opinativum, ut supra (n. 394) vidimus, coincidit cum certitudine morali *late dicta* vel *imperfecta.*

396. — Re sane vera; ex toto contextu S. Alphonsi manifeste patet, quo sensu accipiat illam certitudinem circa pœnitentis dispositionem requisitam. Non est, inquit, « certitudo physica », quæ nempe physice sensibus cerni potest, sed est « certitudo *moralis respectiva* », scilicet relate ad hoc Sacramentum, cujus materia sunt actus pœnitentis, de quorum veritate « signa pœnitentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis » (§ 3). Est igitur illa certitudo moralis *imperfecta et late dicta*, vel « certitudo *prudentiæ* », ut S. Alphonsus post S. Thomam explicat (§ 2); est « *opinio*, quam et fallere sæpe contingit et falli » (§ 4); est « certitudo *opinionis* », ut S. Thomas supra ait; est « prudens probabilitas de dispositione pœnitentis, cui non obstat ex alia parte prudens suspicio indispositionis » (§ 3) [2]; est denique illa « certitudo *probabilis* », de qua Doctor Angelicus supra (n. 394), seu talis probabilitas, cui non opponitur alia *æqualis aut fere æqualis* probabilitas, quæ confessarium consti-

---

[1] Obiter hic advertas, aliud esse « judicium probabile » — quo verbo scite utitur sanctus Doctor —, aliud « judicium de probabilitate »: primum judicat probabiliter et opinative seu *cum* formidine, aliquam propositionem esse *veram;* alterum judicat certo seu *sine* formidine, propositionem esse *probabilem.* (Cfr. S. Thomas, VI *Ethic.* lect. 8; supra n. 392).

[2] Hæc « prudens suspicio », quam hic exclusam vult S. Alphonsus, utique non est illa prudens formido quæ, ut diximus, in statu opinionis remanet, sed est « positiva præsumptio in contrarium » (VI, 459, § 2; supra p. 173); est suspicio « magna » et « fundata » (*Prax.* 71) quæ prudentem dubitationem constituat; unde supra eam « prudens dubium » vocaverat.

tueret in vero dubio gravi et prudenti de pœnitentis dispositione. — Ex dictis ergo cuique in aprico est, S. Alphonsum prorsus consentire doctrinæ psychologicæ S. Thomæ de triplici statu mentis, ejusque sententiam de confessarii judicio circa pœnitentis dispositionem ex hujus doctrina perbelle illustrari.

397. — Age vero; talis probabilitas seu certitudo probabilis et late sumpta in *duplici* casu occurrere potest. Pro pœnitentibus ordinariis, qui non sunt proprie recidivi, signa ordinaria dispositionis grave præbent argumentum, quod argumento contrario non eliditur; unde confessarius vero judicio opinativo judicare poterit pœnitentem esse dispositum. Ast in pœnitentibus stricte et formaliter recidivis hisce signis ordinariis alia opponuntur gravia argumenta, quibus fit ut confessarius, utrinque æqualiter fere attractus, judicium suum suspendere et prudenter dubitare debeat. Quodsi vero hujusmodi pœnitens recidivus specialia ostendit doloris signa, illis signis ordinariis nova accedunt argumenta probabilia, quibus innixus confessarius e statu dubii egreditur et iterum prudenter judicium opinativum in favorem pœnitentis ferre potest. Hinc egregie S. Doctor noster: « Pro recidivis non sufficiunt signa ordinaria, sed requiritur aliquod signum extraordinarium, quod confessarium *moraliter certum* reddit de dispositione pœnitentis, *judicio probabili et prudenti, absque prudenti dubio in contrarium:* siquidem ista certitudine major non requiritur in hoc sacramento » (*Conf. dir.* XVI, 14). — In primo igitur casu habetur probabilitas *unica*, in altero probabilitas *certe vel notabiliter major*. Utraque autem probabilitas vocatur quædam certitudo moralis, scilicet late dicta et imperfecta, non solum a S. Alphonso [1], sed ab aliis quoque theologis moralistis. Pro omnibus unus valeat Suarez, qui de prima probabilitatis specie dicit: « Probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium » (*De Voto*, lib. 4, cap. 5, n. 5); de altera autem: « Major probabilitas est quædam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus est » (*De Legibus*, lib. 8, cap. 3, n. 13).

398. — Thesi ita explicatæ hodie communi quasi consensu adstipulantur theologi. — *Adversatur* tantum unus alterve, præcipue Génicot. Hic enim auctor censet, absolutionem a confessario concedi posse, non quidem regulariter in *dubio negativo*, seu « si nulla probabilis ratio suppetit existimandi pœnitentem rite dispositum esse », sed in *dubio positivo*, id est « si *probabile* est [2] pœnitentem esse

---

[1] De probabilitate unica ita S. Doctor: « Casu quo notitia adesset probabilis tantum pro lege, tunc legi quædam moralis certitudo assisteret » (I, 68; ed. Gaudé; item III, 562). Sententiam autem certe graviterque probabiliorem passim « sufficienter certam », « moraliter aut quasi moraliter certam » vocat.

[2] In editionibus recentioribus dicitur: « Si serio probabile est »; quod idem est, nam probabilitas non seria dubium positivum non ingenerat.

dispositum, *quamvis ex altera parte ratio detur*, ob quam de ejus dispositione *prudenter dubitetur*... Quare, inquit, sententiam oppositam deserendam censemus, quam S. Alphonsus tuetur et plurimi recentiores ab eo mutuantur » (*Th. mor.* II, n. 367). — Nos vero thesim nostram cum S. Alphonso aliisque quamplurimis antiquioribus et recentioribus censemus esse *certam* (« certum est » inquit S. Doctor in textu (§ 1, p. 330), ac proinde sententiam oppositam esse rejiciendam.

Probandum igitur est, judicium confessarii de pœnitentis dispositione debere esse *opinativum*, seu ita probabile ut vere *prudens dubium* seu *dubium positivum excludat*, a. v. requiri saltem illam *certitudinem probabilem seu latam ac imperfectam*, quæ in statu opinantis habetur et solum prudentem quamdam formidinem de contrario admittit ; qualis certitudo adest, si sententia de pœnitentis dispositione est unice probabilis, aut certe ac notabiliter probabilior [1].

A) Probatur Thesis rationibus

I. — *Ex natura judicii sacramentalis.*

399. — Re quidem vera; sacramentum enim Pœnitentiæ, juxta concilium Tridentinum (*sess.* 14, *can.* 9 *et cap.* 6) a Christo institutum est *per modum judicii;* est quippe ad instar tribunalis, in quo sacerdos, ut « judex », per « actum judicialem » sententiam pronuntiat. Sententiam autem pronuntiare debet, non quomodocumque, sed juxta notam sibi dispositionem pœnitentis; ac proinde etiam de hac dispositione *prudens judicium* ferre debet.

Atqui si confessarius propter rationes contrarias utrinque fere æque graves, versatur in dubio gravi et positivo de pœnitentis dispositione, prudens et rationale judicium hac de re ferre nequit, sed suum judicium suspendere debet et neutri parti assentiri. Ita supra (p. 332) S. Thomas dicens: « Quando homo non habet rationem ad alteram partem magis quam ad alteram, quia ad utramque habet *æqualem*, quod *dubitantis* est, tunc *nullo modo assentit* (scilicet neque opinative), cum *nullo modo determinetur ejus judicium*, sed *æqualiter* se habet ad diversa ». Quodsi nihilominus confessarius uni parti assentiri vellet, adeoque judicare pro pœnitentis dispositione, hic actus judicii esset *imprudens et irrationalis*, utpote non respondens motivis objectivis. Proinde « prudens *judicium* » et « prudens *dubium* » circa eamdem partem, in casu circa dispositionem pœnitentis, se invicem plane excludunt.

Ergo ipsa natura sacramenti Pœnitentiæ, qui est *actus judi-*

---

[1] Ex recentioribus fuse quoque nostram sententiam probant Berardi (*De Recid.* n. 19-23) et Aertnys (*Nouv. Revue Théol.* 1900, p. 283 sqq. et 356 sqq.).

cialis, necessario postulat, ut confessarius in dubio positivo et prudenti circa pœnitentis dispositionem sententiam absolutionis non ferat, sed ut eam suspendat ac differat, usquedum propter rationes certe graviores positive, *judicio saltem opinativo*, judicare possit ipsum esse dispositum.

Neque igitur, ut vult Génicot, « si *probabile* est pœnitentem esse dispositum », *prudens judicium* objectivum formari potest, quando nempe etiam « ex altera parte datur ratio ob quam de ejus dispositione *prudenter dubitetur* ». Tum solum quando pars pro dispositione est *unice probabilis* aut *certe notabiliterque probabilior*, actus judicii seu assensus formidolosi erit prudens et sufficiens ad administrandum sacramentum Pœnitentiæ.

II. — *Ex reverentia sacramento Pœnitentiæ debita.*

400. — Confessarius, concedens absolutionem in dubio prudenti et positivo circa pœnitentis dispositionem, graviter committit contra reverentiam huic sacramento debitam, quia illud gravi exponit periculo, tum frustrationis ex parte materiae, tum falsitatis ex parte formæ. Et sane

1° *Ex parte materiæ* proximæ, quæ, juxta S. Thomam sententiamque multo communiorem, sunt actus pœnitentis [1], confessarius absolvens dubie dispositum hoc sacramentum exponeret gravi periculo *frustrationis* seu invalidæ administrationis. Hoc autem grave peccatum esset contra virtutem religionis. Etenim, sacerdos a Christo institutus est sacramentorum minister, ac propterea, vi officii sui, hos sacrosanctos gratiarum fontes debita reverentia tractare atque ab omni frustratione et indigna receptione pro re nata custodire debet. Hinc sub gravi curare debet, ut debita adsit materia, idque ea certitudine quæ cuique sacramento propria est; quæ quidem certitudo pro sacramento Pœnitentiæ est certitudo moralis late dicta per judicium probabile seu opinativum (n. 395 sq.). Quodsi materia hujus sacramenti, actus scilicet doloris, *graviter dubia* esset et confessarius nihilominus formam pronuntiaret, ipse *probabiliter* causa vere efficax esset hujus profanationis et frustrationis, adeoque gravis irreverentiæ erga rem adeo sacram.

Atqui committere se, sine justa et proportionata ratione, probabili et magno periculo gravis irreverentiæ, jam grave peccatum est contra virtutem religionis. Ita communiter theologi. Apposite Suarez: « Si ministrare fictum seu falsum sacramentum, sacrilegium

---

[1] Licet Scotus pluresque ejus discipuli actus pœnitentis non habeant pro materia proxima hujus sacramenti, hos tamen dicunt esse conditiones *essentiales*, ita ut ad valorem sacramenti requirantur; quod pro nostra argumentatione sufficit.

est, ut ostendimus, etiam erit sacrilegium exponere se sine causa tali periculo; quia in moralibus perinde est aliquid facere et exponere se periculo faciendi » (*De Sacr. in gen.* disp. 16, sect. 2). Item Cardenas: « Conficere sacramentum irritum est peccatum mortale contra reverentiam sacramento debitam; ergo exponere se periculo conficiendi sacramentum irritum est etiam peccatum mortale contra eamdem reverentiam. Patet consequentia; quia in moralibus perinde est aliquid facere et exponere se periculo faciendi » (*Crisis.* part. IV, diss. 2, n. 23). Eodem modo Viva (*In prop.* 1 *Innoc. XI*, n. 16).

401. — Hæc autem intelligenda sunt de periculo *vere gravi*, quod adest si confessarius vere et *prudenter dubitat* de pœnitentis dispositione. Nam quod attinet ad periculum illud haud ita grave et relative leve, quod remanet si confessarius in statu *opinantis* absolvit, hoc pro praxi negligi potest. Etenim, ut audivimus a S. Thoma, « certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum » (ap. S. Alph. in textu § 2). Quia ergo, ut supra (n. 395) vidimus, in hoc sacramento Pœnitentiæ major certitudo quam illa « opinativa » seu « probabilis » plerumque haberi nequit, hæc ad prudenter, adeoque inculpabiliter agendum sufficit, etiamsi forte « in paucioribus » deficiat. Quo casu si contingeret pœnitentem reapse non esse dispositum, irreverentia non erit formalis, sed solum materialis, quæ permitti potest.

Argumentum nostrum S. Alphonsus alibi paucis indicat, ajens: « Advertendum, confessarium *certum* fieri debere de pœnitentis dispositione ut possit eum absolvere, dum actus pœnitentis, in quibus consistit dispositio, sunt *materia* sacramenti Pœnitentiæ » (*H. Ap.* XVI, 117). Statim post tamen addit, hanc certitudinem esse aliam ac in ceteris sacramentis, scilicet judicium probabile ab una tantum parte.

402. — 2º Accedit gravis irreverentia etiam *ex parte formæ*, quam confessarius ille absolvens magno *falsitatis* periculo exponeret. Enimvero, sacerdos, ut minister Christi ejusque vices gerens, quoad ejus facere potest, cavere debet, ne sententia quam pronuntiat sit falsa seu dissentanea a Christi sententia, adeoque velut illusoria.

Atqui id non facit qui absolvit pœnitentem in dubio prudenti et positivo de ejus dispositione. Ipse enim absolute dicit: « Ego te absolvo », quamquam probe sciat, Christum in cœlis hanc sententiam æque probabiliter ratam non habere. Est ergo probabilis contradictio inter Christum et ejus ministrum. Quemadmodum judex, qui nomine regis sententiam absolutionis ferret, licet ipse sciret regem postea huic sententiæ utpote injustæ probabiliter contradicturum esse, valde levis esset justitiæ dispensator: ita et confessarius. Uterque judex in tali dubio sententiam suspendere et differre debet,

donec majorem de rei veritate certitudinem habeat, ita ut inter regis et ministri sententiam, quoad ejus fieri possit, adsit conformitas. Secus sententiam, nomine regis prolatam, gravi falsitatis et contradictionis periculo temere exponeret, ac proinde rem adeo sacram irreverenter haberet, profanaret ac velut illuderet.

403. — Neque duplici huic rationi *opponatur*, reverentiam sacramento debitam in tuto collocari posse per absolutionem *conditionatam*. Nam ad dandam absolutionem sub conditione alia gravis ratio *extrinseca* requiritur, quemadmodum omnes theologi docent (cfr. infra n. 491), et ipsa sana ratio dictat: secus enim esset iterum irreverentia in sacramentum. Sic e. gr. sacerdos, qui absque gravi ratione in sacrificio Missæ materiam dubiam sub conditione consecraret, graviter sane peccaret contra reverentiam SS. Eucharistiæ debitam. Pari modo peccaret sacerdos pœnitentem dubie dispositum absolvens, etsi sub conditione tantum; cum hac tamen differentia quod non adeo gravis requiritur ratio in sacramento Pœnitentiæ ac in sacramento Eucharistiæ. (Cfr. infra n. 488).

III. — *Ex propositione* 1ª *ab Innocentio XI proscripta.*

404. — Hæc propositio ita sonat: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis.*

Age vero; propositio hæc generalis est de *omnibus* sacramentis adeoque etiam sacramentum Pœnitentiæ includit. Agitur hic etiam de *valore* hujus sacramenti, ad quem requiritur debita dispositio per actus pœnitentis. Illicitum igitur est, vi hujus propositionis damnatæ, administrare hoc sacramentum cum sola opinione probabili de pœnitentis dispositione; *intellige:* si adest etiam alia opinio probabilis de ejus indispositione, ita ut confessarius *positive et prudenter dubitet*. Nam controversia ante hanc damnationem inter theologos agitabatur de licito usu opinionis probabilis in conflictu cum alia probabili, quando agitur de valore sacramentorum (cfr. infra n. 409 sqq.). Quamquam igitur in nostro sacramento non eadem ac in ceteris postulatur certitudo, tamen ad licitam ejus administrationem requiritur, ut confessarius judicet opinionem contrariam jam non esse ita probabilem ut de pœnitentis dispositione prudenter dubitetur, a. v. requiritur ut judicet opinionem de ejus dispositione esse saltem lato sensu certam, ea scilicet certitudine, quæ præsto est in opinione unice probabili aut — quod practice eodem recidit — in opinione certe ac graviter probabiliore. (Cfr. n. 394-397).

405. — 1º *Objiciet* forte quis, in propositione dici: « relicta tutiore », hic autem non haberi tutiorem. — *Resp.:* opinio tutior in casu est, quæ

prohibet administrare sacramentum Pœnitentiæ, donec major aliqua certitudo habeatur. Sic etiam, quando pro sacrificio Missæ adest dumtaxat materia, quæ probabiliter valida est simulque probabiliter invalida, opinio tutior et sequenda præcipit a consecratione abstinere, donec materia certa habeatur. Excipitur tamen a damnatione necessitas aut gravis ratio, ob quam in dubio sacramentum sub conditione conferre licet, ut passim auctores concedunt (cfr. n. 494).

2º Aliqui *objecerunt*, hanc propositionem non spectare ad sacramentum Pœnitentiæ, quia sequeretur illicitum esse illud suscipere cum sola attritione, sed requiri contritionem perfectam. — Sed facile *respondebis*, sententiam de sufficientia attritionis ad justificationem per sacramentum Pœnitentiæ recipiendam jam tunc temporis fuisse moraliter certam. Merito Lugo: « Post Tridentini definitionem, licet non sit omnino de fide, est tamen moraliter ad minus certum, quod attritio cum sacramento Pœnitentiæ sufficiat ad justificationem » (*De Pœn.* disp. 7, n. 271). Cfr. etiam S. Alph. VI, 440.

3º Damnationem hujus propositionis evadere conatur Génicot *opponens :* « Securitas quæ de valore sacramenti habenda est, intelligenda est pro subjecta materia » (n. 367). — *Resp.:* Libenter id concedimus, ac propterea pro sacramento Pœnitentiæ solam certitudinem probabilem ac late sumptam seu imperfectam postulamus, quæ jam in statu opinantis adest (cfr. supra n. 395 sq.) Pergit auctor: « Hic autem, cum non agatur de objecto quodam exterioribus sensibus perceptibili, sed de dispositionibus animæ internis et non ita obviis, sola probabilitas exigi potest, ni velimus sacerdotem perpetuis anxietatibus exponere aut sacramentum paucissimis reservare ». — *Resp.* Si hæc verba intelliguntur de probabilitate aut unica aut certe notabiliterque majore, id *concedimus* (cfr. *l. c.*); sin autem — ut ea intelligit adversarius — de probabilitate, cui obstat probabilitas ita gravis ut *prudens dubium* de dispositione oriatur, id plane *negamus :* innumeri enim sacerdotes quotidie in praxi sacri tribunalis secundum doctrinam communem, per damnationem hujus propositionis confirmatam, illam certitudinem imperfectam seu probabilitatem unicam aut certe majorem exigunt, et sacramentum non « paucissimis », sed millenis peccatoribus tum ordinariis tum recidivis conferunt; minime tamen « perpetuis anxietatibus » cruciantur. Unde merito Berardi hoc assertum Génicot dicit « falsissimum » (*De Rec.* n. 23). — Vide infra n. 417.

IV. — *Ex instructione S. Congr. de Prop. Fide.*

406. — Hæc S. Congregatio, mense Augusti 1827, confessariis hanc normam sequendam præscripsit:

« Doceantur confessarii tui de hac triplici pœnitentium specie, juxta mox laudatum Rituale Romanum, et absolutionem denegent iis, qui vel nulla vel fictæ tantum pœnitentiæ indicia præbent: *illis vero differant, quorum pœnitentia incerta et suspecta merito habetur.* Ita docent cordatiores theologi etc. ». — Vide supra (n. 268), ubi integrum textum exscripsimus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Gravissima hujus Instructionis auctoritas thesi nostræ omnino suffragatur, planeque adversatur sententiæ oppositæ. Etenim, quamdiu est *dubium vere prudens* et *positivum* de pœnitentis dispositione, quisque dicet, ejus « pœnitentiam merito haberi *incertam* et *suspectam* ». Hoc igitur casu, ut ait Instructio, absolutio *differenda* ipsi est, utpote non sufficienter disposito.

Dices forte, hæc explicari posse de dubio *negativo*, id est « si *nulla* probabilis ratio suppetit existimandi pœnitentem rite dispositum esse ». — Sed immerito prorsus id diceres. Nam: 1º In hoc casu, ut ait Instructio, cum Rituali Romano, absolutio non differenda, sed deneganda est: « Denegent iis qui *nulla* pœnitentiæ indicia præbent ». 2º Dubium negativum non est genuinum et proprie dictum dubium, sed est « nescientia », ut supra (n. 391) S. Thomas docet. 3º Denique, ut scite advertit Berardi: « Hypothesis hujusmodi (dubii negativi) in praxi chimærica est; quandoquidem vix unquam contingit quod pœnitens de sua dispositione, sive pro sive contra, non det signa, et quidem gravia; unde practice, si dubium adsit, erit semper positivum » (*De Rec.* n. 23). Sane, ipse accessus ad confessionem et peccatorum accusatio per se jam est signum, idque ordinarium et grave dispositionis, ut ait S. Alphonsus (VI, 459, § 2; supra p. 173).

V. — *Ex perniciosis consectariis sententiæ oppositæ.*

407. — Re quidem vera; peccatores *dubie dispositi*, i. e. *probabiliter* quidem dispositi sed *probabiliter* etiam non dispositi, permulti profecto sunt, cum inter peccatores communes, tum præcipue inter formaliter recidivos (cfr. supra n. 264 sq.). Jamvero si hisce omnibus passim et sine necessitate absolutio statim confertur, magna inter Christianos oriretur morum relaxatio, magnum etiam animabus damnum inferretur. Etenim, ut apposite argumentatur Berardi: « Pœnitentes reputabunt se esse certe absolutos, dum probabiliter sunt adhuc in statu peccati mortalis. Præterea non erunt solliciti de afferenda meliori dispositione in sequentibus confessionibus; sic autem adhibendo semper dispositiones adeo languidas et dubias, nihil aut fere nihil cavebunt a relapsu, totamque vitam ducent in peccatis, et quidem cum tranquillitate vere horribili » (*De Rec.* n. 20). Certe hujusmodi peccatores recidivi dubie dispositi, videntes se ita facile absolvi, parum aut nihil remedia adhibebunt, parvam aut nullam vim sibi inferent; hinc paulatim peccati horrorem amittent et per integros annos in pravis consuetudinibus aut occasionibus tabescent. Quæ morum corruptela sæpe etiam causa erit jacturæ fidei. Quare recte concludit idem auctor: « Veritas est itaque quod (in dubio positivo) pœnitens judicari debebit dubie dispositus; atque adeo remanebit semper 1º periculum grave frustrandi sacramentum et solvendi in terris quod non est solutum in

cœlis; 2º periculum inferendi gravissimum damnum omnibus illis pœnitentibus, utique non paucis, qui si eis differatur absolutio, emendantur et salvantur, dum e contra si absolutio eis semper concedatur, numquam emendantur et damnantur» (*l. c.*, n. 23). Cfr. infra n. 490-492.

Accedit quod illi pœnitentes communiter etiam recepturi sunt S. Communionem, quum probabiliter versantur in statu peccati mortalis; unde gravis iterum hujus sanctissimi Sacramenti abusus et objectiva saltem profanatio.

Denique opinio thesi contraria nimis etiam fovet laxitatem et incuriam confessariorum in disponendo pœnitentes. Si enim admittitur, juxta institutionem Christi, dispositionem positive et prudenter dubiam, i. e. probabiliter quidem veram sed probabiliter etiam falsam, ordinarie sufficere ut tuta conscientia absolutio conferatur: sane multi confessarii hac dispositione contenti erunt, neque obligatos se habebunt ad illam ingratam sæpe operam adhibendam, qua peccatores illos permultos ferventi exhortatione ad certiorem dispositionem perducant; quæ praxis iterum animarum saluti valde exitiosa esset.

B) Confirmatur Thesis auctoritate theologorum

408. — Asserere non dubitamus, jam ante proscriptam ab Innocentio XI propositionem primam theologos plures, posthac autem *quasi communiter* docere, judicium confessarii de pœnitentis dispositione ita debere esse probabile, ut dubium prudens et positivum de ejus dispositione excludat, a. v. eos requirere illam certitudinem latam, probabilem et imperfectam quam supra (n. 394 sqq.) juxta S. Thomam explicavimus. Unde, spectata etiam sola auctoritate, doctrina opposita hodie vere probabilis haberi nequit. — Quæ antequam adductis textibus probemus, quædam de historia hujus damnatæ propositionis præmittenda sunt.

409. — Exorta circa finem sæculi XVI controversia de probabilismo, theologi statim etiam hanc generalem quæstionem posuerunt, utrum necne liceat in administrandis sacramentis uti opinione probabili de ejus valore, relicta probabiliore. Qua in re multi quidem auctores arbitrati sunt, id sub certis conditionibus licitum esse, scilicet nisi id vetet lex vel præceptum Ecclesiæ, neque adsit periculum damni incurrendi. Eorum ratio erat generale principium probabilismi: «Qui probabiliter agit, prudenter agit»; quod etiam applicabant casui quo sacramentum probabili, imo probabiliori periculo irreverentiæ et frustrationis exponeretur, modo pariter probabile esset sacramentum non frustrari. Inter primos hujus

doctrinæ propugnatores fuerunt Vasquez (In I-II, disp. 63) et Thomas Sanchez (*Decal.* lib. 1, cap. 9, n. 32-33) [1].

Alii tamen graves theologi huic doctrinæ se opposuerunt, quorum præcipuus dux fuit Suarez (*De Sacram. in gen.* disp. 16, sect. 2, n. 3; item *De Pœn.* disp. 26, sect. 6, n. 5). Controversia hæc per magnam partem sæculi XVII agitata permansit, donec Innocentius XI, anno 1679, sub excommunicationis pœna docere prohibuit, « licere in conferendis sacramentis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi » (supra n. 404); quo decreto prima sententia damnata fuit.

Jamvero, utrum necne auctores prioris sententiæ docuerint, in sacramento quoque Pœnitentiæ sufficere sequi opinionem probabilem de dispositione pœnitentis, relicta opposita probabili aut etiam probabiliore de ejus indispositione, non ita quidem liquet. Sed quidquid id est, etiamsi suam doctrinam ad sacramentum Pœnitentiæ applicatam vellent et thesi nostræ adversarentur, post damnatam illam propositionem eorum hac in re auctoritas negligenda est, utpote innixa principiis erroneis circa licitam frustrationem sacramenti in dubio positivo vel in gravi utrinque probabilitate.

410. — Sed jam ante hujus propositionis damnationem theologi multi, et postea tantum non omnes genuina principia ad nostram materiam applicuerunt, ac propterea juxta nostram thesim docuerunt, *judicium* confessarii de pœnitentis dispositione debere esse *ita prudens et probabile, ut excludatur prudens dubium* et gravis probabilitas de ejus indispositione. Quod ut probemus, sequentes auctores graves adducere sufficiat.

SUAREZ (*De Pœn.* disp. 32, sect. 2) quæstionem ponit: « Quomodo debeat confessor *certus* fieri de dispositione pœnitentis? ». Ut videt prudens lector, in hac ipsa quæstionis positione Suarez jam supponit certitudinem quamdam requiri, quæ utique non habetur in statu prudentis dubii. Tum præmittit: « Confessor... tenetur et justitiam et religionem in ejus administratione servare, quia et *judicium* et *actionem sacram* exercet ». Habes hic duo nostra priora argumenta intrinseca (supra n. 399 et n. 400). Dein quærit: « Quid agere debeat (confessarius), ut huic muneri satisfaciat? » Respondet autem: « Unum ex præcipuis est, ut dispositionem conscientiæ pœnitentis *sufficienter agnoscat* ». Quod postquam probavit, ita concludit: « Ex quo fit, priusquam absolvat, necesse esse, ut *prudenter et probabiliter judicet* pœnitentem esse dispositum; quia alias *se exponeret periculo errandi* et *sine sufficienti cognitione* operaretur ». Jamvero, ex toto contextu et ex adducta ratione luculenter patet, Suarezium per « prudens et probabile judicium » ejusmodi intelligere, quo confessarius judicet dispositionem ita esse probabilem, ut ei non obstet gravis probabilitas de indispositione; nam ut rationem adducit: « quia alias se exponeret

[1] Sanchez e. g. dicit: « Existimo probabilius esse, licere in sacramentorum administratione uti opinione minus probabili, relicta probabiliori et tuta, non obstante irritandi sacramenti periculo... Ratio est... quia, quamdiu sequitur opinionem probabilem, prudenter putat illum esse convenientem ministrandi modum, nec irritari sacramentum. Ergo » (*l. c.*).

periculo errandi ». Atqui qui absolvit in dubio positivo et utrinque probabili, certo certius se exponit gravi periculo errandi seu absolvendi aliquem quem Christus in cœlis non absolvit. Talem probabilitatem unicam alibi Suarez dicit *quamdam certitudinem moralem*, ut supra n. 397 vidimus. Imo Suarez postulans « prudens judicium » de dispositione eo ipso « prudens dubium » exclusum vult, quia hæc duo: « prudenter judicare » et « prudenter dubitare » de eadem re componi nequeunt. (Cfr. supra n. 399). — Rectissime ergo alibi Suarez dicit: « Sacerdos tenetur de dispositione pœnitentis *certus fieri* quantum potest » (*De Pœn.* disp. 21, sect. 4, n. 10); quo iterum aliquam saltem certitudinem postulat; atqui dubium vere prudens omnem qualemlibet certitudinem, etiam imperfectam, excludit.

411. — LAYMANN expresse adhæret sententiæ Suarezii.

In sua *Theol. Mor.* (lib. 1, cap. 5, n. 13) plane rejicit sententiam Sanchezii, quam « falsam » et « improbabilem » censet. Recte tamen ibidem addit: « Neque in quæstionibus de valore sacramenti semper requiritur exacta certitudo, sed sufficit *magna probabilitas* et *quasi moralis certitudo*, ita ut opposita sententia negans, talem v. g. materiam esse sufficientem, quasi nihil probabilitatis habere videatur ». Cui doctrinæ congruit quoque quod alibi dicit: « Si confessarius certo vel *probabiliter* sibi persuadeat pœnitentem contritum vel saltem attritum *non esse*..., peccat mortaliter si eum absolvat » (lib. 5, tr. 6, cap. 13, n. 10). Itaque probabilitas de pœnitentis indispositione, qualis est in *dubio positivo*, prohibet quominus confessarius ipsum absolvat.

REGINALDUS, sequens iterum Suarezium, docet:

« Promittenti (pœnitenti) credendum est, præsertim si tunc primum defecerit in exsecutione, necdum inventus est infidelis et inconstans esse in similibus propositis, neque ex aliis conjecturis possit *suspicio sinistra formari probabiliter* » (*Praxis.* lib. 8, n. 16). Ergo suspicio graviter probabilis contra firmum propositum pœnitentis, qualis habetur in *dubio positivo*, prohibet quominus absolvatur.

BUSENBAUM de officio confessarii dicit:

« *Moraliter ei constare debet* de bona dispositione pœnitentis; alias absolvendo peccabit mortaliter » (cap. 2, dub. 5, resp. 3; *ap. S. Alph.* VI, 606). Atqui si confessarius ob opinionem utrinque probabilem versatur in *dubio positivo* de pœnitentis dispositione, hæc utique ipsi nequaquam moraliter constat.

412. — CARDENAS, agens de propositione 1ª ab Innocentio XI damnata, in genere docet:

« Tamquam certum admittendum est, sub hac damnatione contineri eam opinionem quæ *exponit frustrationi* sacramentum, *quodcumque illud sit*, extra casum necessitatis. Iste enim est præcipuus scopus hujus damnationis » (*Crisis.* part. 4, diss. 2, n. 14). Atqui in dubio *positivo* de dispositione certe sacramentum Pœnitentiæ sine necessitate exponitur frustrationi. Merito tamen auctor dicit, in sacramento Pœnitentiæ sufficere cognitionem probabilem de dispositione pœnitentis, quia certitudo perfecta ut plurimum haberi nequit: « Est impossibile, ut in plurimum, quod confessarius habeat *cognitionem* plus quam *probabilem* de legitima dispositione pœnitentis, cum ea cognitio nitatur dicto pœnitentis aut aliis signis externis fallibilibus;... cum fere numquam possit esse *certe securus* de legitima pœnitentis dispositione » (ib. n. 25). Liquet ergo, Cardenam per *cognitionem probabilem* intelligere illam *opinativam*, quæ media stat

inter certitudinem perfectam, quæ ut plurimum haberi nequit, et dubium proprie dictum, exsurgens ex rationibus utrinque fere æque gravibus.

VIVA eodem modo ac S. Alphonsus suam sententiam exponit: Tractans de hac eadem prima propositione sibi objicit: « Communiter confessarii absolvunt pœnitentes per hoc tantum quod probabiliter appareant dispositi, quin requirant dispositionem certiorem; ergo licitum est in materia sacramentorum sequi opinionem probabilem minus tutam ». Huic autem respondet: « Quando pœnitentes apparent *probabiliter* dispositi, *nec apparet motivum in oppositum*, tunc habetur de sufficienti dispositione *moralis certitudo*, si minus objectiva et absoluta, certe *subjectiva* et *respectiva*, id est quantum hic et nunc sufficit ad rite absolutionem impendendam, eo quod esset moraliter impossibile assequi majorem ». (*In prop. I Innoc. XI*, n. 14 et 23). — Eamdem doctrinam tradit in *Curs. Theol.* part. 5, qu. 1, art. 4.

DUARTE, eamdem explicans propositionem, dicit: « Peccare mortaliter qui administrat *quodlibet* sacramentum utendo opinione probabili, omissa tutiore,... etiam contra virtutem religionis seu contra veritatem sacramentis debitam, exponendo ea periculo frustrationis » (*Brevis expos.* n. 459). Alibi : « Cum confessarius non possit absolvere pœnitentem nisi rite dispositum, ad hoc ut absolvat debet habere *credulitatem saltem probabilem* de recta pœnitentis dispositione » (n. 146). Item: « Numquam poterit iste (confessarius) licite absolutionem impendere, nisi *prudenter sibi persuadeat* pœnitentem habere propositum firmum emendationis et dolorem de peccatis præteritis » (n. 150).

413. — LACROIX docet, ministrum sacramenti « Peccare, si extra necessitatem adhibeat materiam vel formam *dubiam* ;... etiam peccare, si in administratione sacramenti, ubi agitur de valore, sequatur *sententiam tantum probabilem*, relicta tutiori, nisi Ecclesia supplere posset et velit... Quæ omnia etiam hic applicari debent *ministro sacramenti Pœnitentiæ* » (VI, part. 2, n. 1702). Postea expresse hanc doctrinam applicat recidivis in consuetudinem peccandi: « Confessarius tenetur aliquando differre absolutionem... si *prudenter dubitetur* de dolore aut proposito, nec necessitas exigat nunc absolvi. Unde si consuetudinarius veniat semper cum iisdem peccatis aut si neglexerit omnia media sibi præscripta, neque nunc det *specialia signa* pœnitentiæ vel sperandæ emendationis, absolvi non potest » (n. 1765). — Vides præclarum hunc theologum eodem modo ratiocinari ac S. Alphonsus (supra n. 258), tum quoad propositionem *majorem*, de qua in hac thesi, tum quoad propositionem *minorem*, de qua in thesi 13ª. — Alibi Lacroix merito dicit, pœnitentes communiter non privari debere absolutione propter « subortum *qualecumque* dubium de dispositione » (n. 1769); judicium enim probabile seu certitudo moralis imperfecta adhuc admittit, non quidem dubium proprie dictum et grave, sed *aliquam* dubitationem ac prudentem formidinem, ut supra (n. 392) vidimus.

REUTER hæc docet: « *Differenda* est absolutio,... si *prudens sit dubium de dispositione* pœnitentis, quod resolvi non possit, nec adsit necessitas absolvendi; alias enim temerarie exponeretur sacramentum periculo nullitatis » (*Neo-conf.* n. 34). Non tamen requiritur certitudo absoluta: « Licite absolvit confessarius pœnitentem, etsi plerumque non habeat nisi *judicium probabile* de ejus dispositione; nam ordinarie *certitudinem majorem* habere non potest... Non oportet, inquit S. Thomas

(I-II, qu. 91, a. 3, ad 3), quod omnis mensura sit *omnino infallibilis et certa*, sed secundum quod est possibile in genere tuo » (*Theol. Mor.* part. 1, tr. 2, n. 28).

Mazzotta doctrinam nostram « communem » dicit:

« Confessario, ut licite absolvat, *constare moraliter* debet pœnitentem esse rite dispositum; quia secus exponeret sacramentum periculo frustrationis: Busenbaum et alii *communiter*. Verum *hæc moralis certitudo* non est accipienda absolute, sed *respective* ad pœnitentem, ex quo si haberi nequeat major quam *probabilis* et aliunde *non appareat grave motivum in oppositum*, ea erit sufficiens *certitudo moralis respectiva* » (*Theol. Mor.* tr. 6, qu. 4, cap. 2).

Ex hactenus dictis satis superque perspicuum est, *antiquos* theologos maximo numero thesi nostræ plane suffragari; imo post proscriptam ab Innocentio XI propositionem I^am^ nullum invenies qui oppositam sententiam sustineat.

414. — Hinc non miraberis, etiam *recentiores* S. Alphonso theologos communiter nostræ doctrinæ adhærere. Non abs re erit aliquot verbotenus adducere.

Scavini: « Quænam in confessario requiritur certitudo circa pœnitentium dispositionem ad absolutionem impertiendam? *Resp.*... Sufficit *certitudo moralis* seu *judicium prudens*, innixum videlicet motivo gravi, licet adsit *aliqua* de indispositione suspicio » (*De Pœn.* n. 335). « Generale principium est quod absolutio differri debeat iis quorum dispositio est *dubia* » (n. 337).

Gury: « Requiritur et sufficit *judicium prudens* seu *certitudo moralis lata*, quæ, ut ait S. Alphonsus, prudenti probabilitati æquivalet » (*De Pœn.* ed. Romæ, 1866, n. 624; al. n. 436).

Müller: « Ad pœnitentem absolvendum... requiritur et sufficit *certitudo moralis latius accepta*, seu sufficit, ut S. Alphonsus ait, quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, et *non obstet prudens suspicio indispositionis* » (*De Pœn.* § 154, 1).

Berardi, ut diximus, fuse nostram thesim probat, et notat: « Utique oppositam habet doctrinam Génicot, sed ut videbimus infra, non est audiendus » (*De Recid.* n. 19); quem dein (n. 23) data opera confutat.

Card. D'Annibale: Confessarius « qua minister advertere debet, ne sacramento dolor aut propositum desit, et usquedum fiat hac de re *moraliter certus*, non potest absolvere pœnitentem... Si *graviter dubitat*, ne desit animo (dolor), absolutionem *differat* » (n. 355). Remittit autem ad S. Alphonsum.

Ballerini quoque approbat doctrinam S. Alphonsi, dicens: « Ipse S. Alphonsus concludit, sufficere quod confessarius habeat *prudentem probabilitatem* de dispositione pœnitentis, et *non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis*; quæ sententia præ oculis habeatur oportet » (n. 170). Et paulo infra laudat etiam verba Giordanini a S. Alphonso supra in textu (p. 331, § 4) citati; additque: « *Communis* omnibus est hæc doctrina ». Postulat ergo contra Génicot judicium probabile, *excludens prudens dubium* de opposito. — Fallitur tamen Ballerini, carpendo S. Alphonsum, quod hanc prudentem probabilitatem dixerit quamdam certitudinem moralem, scilicet respectivam et late dictam; item quod hac de re duos illos locos ex S. Thoma adduxerit. Meritissimo enim S. Doctor noster cum multis aliis ita loquitur, et ad amussim doctrinæ Angelici Doctoris de certitudine probabili, uti supra (n. 394) vidimus.

Lehmkuhl, cujus verba vide infra (n. 415).

Tanquerey postulat pro dispositione « *certitudinem moralem late sumptam*, quæ *prudens dubium* excludat, non autem necessario *omne* dubium; nam quando agitur de dispositionibus pœnitentis, absoluta certitudo haberi nequit, sed sufficit illa *persuasio quæ valde probabilis* sit » (*De Pœn.* n. 578; item 583).

Aertnys: « Requiritur et sufficit in confessario *certitudo moralis* seu *judicium prudens et probabile* de dispositione pœnitentis;... quia cum *prudenti dubio* de valore sacramenti non licet, extra casum necessitatis, illud administrare... Doctrina, quæ tradit confessarium absolvere posse, etiamsi ratio probabilis detur, ob quam de pœnitentis dispositione *prudenter dubitetur, proscripta est* in dicta propositione (prima ab Innocentio XI), quippe quæ universaliter de omnibus sacramentis loquatur » (*De Pœn.* n. 446; al. n. 278).

Prümmer: « Absolutio differri debet, si pœnitentis dispositio est plane *dubia* ;... quia secus sacramentum exponeretur periculo nullitatis, quod profecto non licet nisi in gravi necessitate » (*Th. Mor.* n. 438). Unde « confessarius debet habere *sufficientem certitudinem* dispositionis pœnitentis » (n. 453).

Bucceroni: « Si (recidivus) *dubie tantum dispositus appareat*, non tantum utile, sed *necessarium* erit, absolutionem differre » (*Th. Mor.* II, n. 809, 5°). Alibi (*Comment.* V, n. 3) eamdem tradit doctrinam, quam confirmat citando verba tum S. Thomæ agentis de *certitudine prudentiæ* (II-II, qu. 47, a. 9, ad 2), tum S. Alphonsi (*l. c.*, n. 461) postulantis « prudentem probabilitatem, cui *non obstet prudens suspicio indispositionis* ».

Ojetti: « *Certitudo moralis lata*, seu *prudens probabilitas*, non moralis stricta nec absoluta de dispositione pœnitentis requiritur ad dandam absolutionem » (*Synopsis.* v. *Certitudo*).

Noldin: « De existentia dispositionis in sacramento Pœnitentiæ sufficit *prudens et probabile judicium*, quod gravi motivo nitatur, *cui non obstat gravis suspicio* » (*Th. Mor.* II, n. 404).

415. — Post hæc omnia argumentum nostrum ex auctoritate petitum merito *concludere* licet his verbis egregii Lehmkuhl: « De dispositione pœnitentis sufficit et *communiter* requiritur *prudens judicium*, quod alii *quamdam certitudinem moralem* vocant, alii veram probabilitatem simul *cum exclusione gravis rationis contrariæ* » (*Th. mor.* II, n. 547).

Communi huic doctrinæ post profligatam illam ab Innocentio XI propositionem primus, quod sciamus, contradixit Génicot (cfr. supra n. 398); ast immerito, uti ex confutatione objectionum patebit.

Objectionibus satisfit

416. — *Obj.* 1°. « Nihil amplius a confessario exigitur quam ut prudenter et absque temeritate sacramentum administret ». Atqui « cum hic agatur de cognoscendis dispositionibus internis, iisque rite determinatis [1], plerumque nihil nisi probabilitas haberi potest ».

[1] In editione post Auctoris mortem curata habetur: « iisque non *ita obviis* ».

Ergo dummodo rationes vere solidæ habeantur existimandi pœnitentem esse saltem attritum, prudenter aget qui absolutionem impertiat. Ita Génicot (*De Pœn.* n. 367).

Resp. Concedo *majorem;* sed, sicut probavimus, sacramentum Pœnitentiæ non administratur prudenter et absque temeritate, nisi habeatur saltem talis probabilitas de dispositione pœnitentis quæ dubium vere prudens excludat. — *Minorem* distinguo: plerumque nihil nisi probabilitas *unica* aut *certe ac notabiliter major* haberi potest, *concedo;* plerumque non nisi talis probabilitas haberi potest, cui alia etiam probabilitas opponatur, ita ut confessarius in statu veræ et prudentis dubitationis circa has dispositiones versetur, *nego* (cfr. num. seq.). — *Conclusio* unice nititur principio: « Qui probabiliter agit prudenter agit », quod perperam juxta propositionem proscriptam applicatur in dubio facti de valore sacramenti. (Cfr. supra n. 409).

417. — *Obj.* 2º. Sacerdos imprudenter ageret, si a pœnitentibus requireret dispositiones moraliter certas. Nam « ii pro quibus primario hoc sacramentum institutum est, nempe peccato mortali fœdati, *raro* eas afferunt dispositiones quæ cum morali certitudine probent, eorum contritionem et propositum gaudere omnibus dotibus requisitis » (Génicot, *l. c.*).

Resp. Distinguo: peccatores *raro* afferunt dispositiones certas, certitudine morali *perfecta* seu *stricte dicta, transeat* vel *concedo;* certitudine morali *imperfecta* seu illa *late dicta* et *probabili*, de qua S. Thomas aliique (supra n. 394 sq.), quæ nempe excludat dubium grave ac positivum et admittat tantum prudentem formidinem seu aliquam dubitationem late et improprie dictam, *nego plane.* — Etenim, si agitur de peccatoribus ordinariis vel etiam de consuetudinariis prima vice ad confessionem accedentibus, hi omnes accedente modico confessarii labore, merito rite dispositi judicantur, saltem illo judicio opinativo et unice probabili, propter signa ordinaria quæ exhibent. Sin autem agitur de peccatoribus recidivis, notandum est, plurimos materialiter dumtaxat recidivos esse, adeoque eodem facili modo de eis ac de peccatoribus ordinariis sufficientem certitudinem haberi posse. Quod si formaliter et stricto sensu sunt recidivi, positivum quidem dubium indispositionis progignunt, ideoque per se differendi essent. Ast hi sæpe, saltem post ferventem confessarii exhortationem, præbent aliquod signum speciale seu extraordinarium doloris, per quod satis certo constat eorum voluntatem esse mutatam; proinde per hoc signum, velut per novum argumentum, confessarius e statu dubitationis egreditur et habebit illam certitudinem probabilem seu opinionis quæ sufficit. Ex hisce liquido constat, juxta nostram thesim et doctrinam communem, peccatores, pro quibus primario hoc sacramentum institutum est, præsertim si a bono confessario adjuvantur, non raro, sed sæpissime, imo ut plurimum eas afferre dispo-

sitiones quæ cum probabili certitudine probent eos absolvi posse. (Cfr. supra n. 405, 3º).

418. — *Obj.* 3º. Contra argumentum ex auctoritate Génicot opponit: « Præstantissimi theologi, S. Alphonso anteriores, nihil aliud postulant ut pœnitens absolvi queat, quam judicium prudens seu probabile de ejus recta dispositione ». Quod ut probet, allegat solos Suarez et Lugo (*l. c.*).

Resp. Quid de hac assertione censendum sit, satis superque ex supra dictis constat (cfr. n. 408 sqq.). Rei veritas est, egregium nostrum adversarium nullum potuisse proferre theologum qui *post* proscriptam ab Innocentio XI propositionem primam docuerit, sufficere judicium probabile tale, cui opponitur alia gravis probabilitas ita ut de pœnitentis dispositione *prudenter dubitetur*. Quinimo inde ab illo tempore theologi communiter præcipiunt, in hujusmodi dubio differendam esse absolutionem. Ex quo sponte consequitur, eos eodem modo ac S. Alphonsus per « judicium prudens et probabile » intellexisse illud quod nititur probabilitate unica vel certe graviterque majore, a. v. judicium opinativum. — Theologi illi qui *ante* damnatam illam propositionem scripserunt et cum Vasquez, Sanchez aliisque, contra Suarez aliosque docuerunt, non peccare eum qui in sacramentorum administratione utitur opinione probabili, relicta opposita probabili et tutiore (cfr. supra n. 409): hi sane in nostra quæstione auctoritatem non faciunt; quia errarunt in principio et eorum sententia in illa propositione profligata est. Unde etiamsi hanc doctrinam applicatam velint sacramento Pœnitentiæ et judicio confessarii de pœnitentis dispositione — quod indagare non lubet —, id tamen nostra nihil interest.

419. — De sententia *Suarezii* vide supra (n. 410), ubi ostendimus, Doctorem eximium thesi nostræ omnino suffragari.

Quod attinet ad *Lugonem*, qui etiam ante Innocentium XI scripsit, revera hic quoque præclarus theologus satis clare hanc proscriptam propositionem propugnasse videtur: expresse enim assentitur sententiæ Vasquezii et Sanchezii, et rejicit sententiam Suarezii, quemadmodum videre est in ejus opere *De Sacram. in genere* (disp. 8, n. 138 sqq.), ubi cum Sanchez aliisque solum excipit præceptum Ecclesiæ et grave detrimentum recipientis sacramentum. Utrum vero necne Lugo suam sententiam etiam applicatam velit sacramento Pœnitentiæ seu actibus pœnitentis, qui hujus sacramenti sunt quasi materia, non ita liquet. Ait enim: « Doctrina communis et vera est, si sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine præterita, *judicet* pœnitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere... Si sacerdos id *non credit*, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem » (*De Pœn.* disp. 14., n. 166). Quæ verba si naturali et obvio sensu sumuntur, sane thesi nostræ favent: nemo enim prudens dicet, se *judicare* et *credere* pœnitentem habere verum dolorem et propositum, quando de eo *po-*

sitive et prudenter dubitat. — Opponit tamen Génicot hunc locum Lugonis: « Difficultas est quando sunt motiva ad præsumendum ejus (contritionis) defectum, e. gr. quod sæpius admonitus pœnitens non restituit cum posset, vel quod non reliquit occasionem proximam peccati quam poterat relinquere. Tunc autem erit *optimum consilium* et *aliquando necessarium* differre absolutionem, donec restitutio prius fiat vel occasio relinquatur si fieri potest » (*l. c.* disp. 22, n. 49). Hæc verba juxta proxime ante dicta ita optime explicari possunt: quia motiva præsumendi defectum contritionis alia graviora alia minus gravia sunt, si hæc in casu ita gravia sunt, ut confessarius *judicare* et *credere* nequeat pœnitentem esse vere dispositum, sed de eo graviter dubitet, tunc, ut ait Lugo « *necessarium* est differre absolutionem »; si minus gravia, ita ut non habeat veram et prudentem dubitationem de ejus dispositione, sed solum prudentem formidinem seu aliquam dubitationem late dictam, tunc id solum « optimum *consilium* » erit, quo ut medicus pro sua prudentia uti poterit. Immerito igitur, ut nobis quidem videtur, ex supra citato textu Génicot concludit: « Hinc manifestum est, e sententia Card. de Lugo, regulariter motivum ob quod de dispositionibus debitis *dubitetur*, non obstare quominus absolutio conferri possit, eamque differendam esse *tantum* quando e crebra reincidentia *arguatur manifeste defectus propositi requisiti* ». Aperte enim Lugo *judicium positivum* de vero dolore et proposito postulat, ut absolutio conferri possit. — Si quis autem hanc nostram valde obviam interpretationem admittere renuat, dicat auctoritatem Lugonis hac in re relinquendam esse, non secus ac multorum illorum gravium auctorum (Sanchez, Vasquez etc.), qui contra Suarez aliosque doctrinam defenderint quæ postea ab Ecclesia damnata fuit. Deceptus esset præstantissimus hic theologus per vulgare hoc principium probabilisticum « Qui probabiliter agit, prudenter agit », quod etiam dubio positivo et utrinque probabili circa valorem sacramentorum applicuit. Qua de re perspicacior fuit Suarez, cujus doctrinam Sedes Apostolica postea ut unice veram approbavit [1].

420. — Ut prudens lector perspectum habebit, omnia hæc argumenta et responsa egregii nostri adversarii triplici nituntur falso fundamento. Primum est *theologicum;* quia principium: « Qui probabiliter agit prudenter agit » etiam applicat, ubi de *valore* sacramenti agitur et pro utraque contradictionis parte stat gravis probabilitas, eodem modo ac quando quæstio est de sola honestate actionis. Hoc autem principium, eo sensum acceptum, ab Innocentio XI damnatum est. — Alterum est *psychologicum;* quia auctor non agnoscere videtur statum animi medium inter certitudinem

[1] Cfr. Aertnys, *Nouv. Revue Théol.* 1900, p. 290-294. — Citat Génicot pro sua sententia etiam Faure et Bucceroni. Circa postremum hunc theologum vide supra (n. 414). Quod spectat ad Faure, auctorem alioquin æquo laxiorem, loco ab adversario laudato (*Dub. Theol.* Dub. 1) docet tantum, non requiri certitudinem moralem, sed sufficere judicium probabile; ast nullibi, quod sciam, dicit, sicut Génicot, hoc judicium probabile admittere rationem contrariam adeo gravem, ut de pœnitentis dispositione *positive et prudenter dubitetur.* Explicari ergo potest de certitudine morali *perfecta,* quam nec nos requirimus.

moralem perfectam et dubium proprie dictum, scilicet illum statum opinantis seu certitudinis imperfectæ ac probabilis, de quo S. Thomas aliique (cfr. n. 394); est autem hic status frequentissimus, etiam in confessariis. Hinc auctor nullibi distinguit inter certitudinem moralem perfectam et imperfectam, quæ postrema ab Aquinate etiam « certitudo opinionis » vocatur (*l. c.*). — Tertium est *critico-historicum;* ipse enim arbitratus est, theologos antiquos, etiam illos qui scripserunt *post* proscriptam ab Innocentio XI propositionem primam, ubi judicium probabile sufficere dicunt, intelligere etiam illud, cui alia probabilitas ita opponatur ut vere *prudens et positivum dubium* de dispositione oriatur: hoc autem contra rei veritatem est, uti vidimus; neque ullus ex illis theologis id vel leviter insinuat.

421. — *Obj.* 4º. Communis est sententia Doctorum, absolutionem dandam esse, quando agitur « de pœnitente negante peccatum quod confessarius ex aliorum testimonio novit: qui casus prorsus æquiparandus est, et a theologis reapse æquiparatur cum eo in quo nunc versamur » (Génicot, *l. c.*).

Resp. Prorsus neganda est paritas. Etenim in illo casu agitur de *veracitate* pœnitentis. Sane, si contraria sunt testimonia pœnitentis et aliorum, valet principium: « pœnitenti credendum est tam pro se quam contra se dicenti »; quia tunc confessarius prudenter opinari potest, pœnitentem rem melius cognoscere, aut peccatum oblitum esse, aut jam alteri confessum, aut saltem ipsum mentiri non velle; quod sufficit ut positivum dubium de ejus dispositione excludatur (cfr. S. Alph. VI, 631). Ast in nostro casu non agitur de veracitate pœnitentis, sed de ejus *dispositione.* Hujus autem dispositionis judex est solus confessarius qui, si non obstante attestatione pœnitentis ex aliis indiciis, in ipsa ejus confessione acceptis, adhuc positive et prudenter dubitat, sacramentum conficere nequit. Multo autem facilius pœnitens hallucinatur judicans de interno suo dolore et firmo proposito, quam judicans de facto externo seu de peccato a se commisso, ut communiter admittitur. (Cfr. supra n. 281, 288 sq.). Unde verum non est, utrumque casum a theologis æquiparari.

422. — *Obj.* 5º. Catechismus Romanus dicit: « Si audita confessione, judicaverit (sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem omnino defuisse, absolvi poterit » (*De Pœn.* n. 60). Ex quibus verbis concludit Génicot: « Is igitur, cui *non omnino videatur deesse* contritio, absolvi poterit » (*l. c.*).

Resp. 1º. Rejicienda est hæc interpretatio. Etenim illud: « *neque... omnino* » in textu Catechismi minime refertur ad verbum « judicaverit » (vel « videatur »), ut Génicot vult, quasi sufficeret ut non

omnino liqueat pœnitentis indispositio, sed refertur ad diligentiam in confitendis et dolorem in detestandis peccatis, ita ut sacerdos judicare debeat hæc duo non omnino deesse [1]. Unde ex hoc loco nihil prorsus contra nostram thesim eruitur; quin potius validum petitur argumentum pro nostra thesi. Et sane, Catechismus requirit ut confessarius *positive judicet*, in pœnitente *aliquem verum* dolorem, sive contritionis sive saltem attritionis, adesse antequam ipsum absolvat. Atqui hoc positivum judicium non habet confessarius, si vere et positive ea de re *dubitat;* quia tunc judicium suspendendum est, ut supra (n. 391) cum S. Thoma vidimus. Requiritur ergo saltem judicium *opinativum* de aliquo vero dolore.

2º Confirmatur hæc argumentatio ex eodem Catechismo Romano, qui paulo ante dicit: « Hoc primum sacerdotes in pœnitente *diligenter observabunt*, si *veram* peccatorum suorum contritionem habeat, *certumque* illi sit ac *deliberatum* in posterum a peccatis abstinere » (n. 58). Eccur hæc diligenter observare debet confessarius? Sane, ut ea adesse vere *cognoscat*, judicio saltem opinativo quod *prudens dubium* excludat [2].

3º Tandem apprime notandum est, Catechismum, ut ex contextu liquet, hoc loco agere de peccatoribus illis valde negligentibus, quos confessarius « prorsus imparatos esse cognoverit » et de quibus « maxime verendum est, ne semel dimissi non redeant ». Hi, ut ait Catechismus, « si forte affirmaverint, se in eam rem (i. e. in conscientiæ examen) omne studium et diligentiam suam contulisse,... audiendi sunt, præsertim vero si emendandæ vitæ studium aliquod præ se ferant, adducique possint ut negligentiam suam accusent » (n. 60). Sunt præterea ulterius instruendi ferventerque excitandi; et si tum confessarius *judicaverit*, *aliquem* saltem *verum* dolorem, licet *attritionis*, in eis reperiri, certe absolvi poterunt [3]. — Quinimo, etiamsi post exhortationem dubie dispositi judicantur, nihilominus propter illum timorem ne semel « dimissi non redeant » et in peccatis obdurescant, juxta S. Alphonsum adhuc sub conditione absolvi possunt. (Cfr. thes. 22ª, III). Qua in re S. Doctor benignius etiam loqui videtur quam Catechismus Romanus, qui nihil habet de dubie dispositis deque absolutione sub conditione.

---

[1] In septima editione Génicot correcta est hæc phrasis et legitur: « Is cui *videatur non omnino deesse* contritio etc. ». Rectius tamen Catechismus non utitur verbo « videatur », sed « judicaverit ».

[2] Ad rem advertit hic Berardi: « Si venatori dictum fuisset: *vide diligenter ne hominem occidas*, servaretne monitum istud, displodendo sclopum contra objectum, de quo graviter dubitat an homo sit? » (*De Rec.* n, 23).

[3] Hæc nostra argumentatio etiam claret ex doctrina S. Caroli Borromæi, « cujus opera parochorum catechismus prodiit », ut ait Breviarium (4 Nov.), quia ejus fuit velut inspirator et approbator. Verba S. Præsulis, quæ fere conveniunt cum verbis Catechismi, hæc sunt: « Antequam confessor (absolutionem) tribuat peccatori, *videbit* an propter Deum *veram* peccatorum suorum contritionem habeat, anque *certum deliberatumque ei sit*, in posterum, quantum in se est, divina gratia adjuvante, a peccatis abstinere..... Quod si pœnitens nullam contritionem, nec vero *saltem attritionem*, aut neque propositum abstinendi in posterum ab aliquo mortali peccato ostendat, eum minime confessor absolvat » (*Acta Eccl. Mediolan.* part. 4, *Instr. Pœnit.*). Itaque ipse confessarius *videre* debet has veras dispositiones, quas utique non videt *si de eis prudenter dubitat :* videre debet, inquam, *saltem attritionem* adesse; quia si etiam hæc abesset, « dolor *omnino* deerit », ut Catechismus loquitur.

423. — *Instabis* forte: S. Alphonsus ex citatis verbis Catechismi Romani concludit: « Ergo, semper ac confessario positive non innotescit, pœnitenti omnino defuisse dolorem ipsum absolvere potest » (in textu § 3, p. 330). Unde S. Doctor non requirere videtur judicium positivum, sed mere negativum, a. v. sufficere ut confessarius non judicet pœnitentem esse indispositum.

Resp. S. Alphonsi sententia aliunde adeo clara est, ut nemo de ea ambigat et ut ipse Génicot eam sibi adversari ingenue fateatur (supra n. 398); quinimo S. Doctor eam fundamentum habet suæ doctrinæ de absolutione recidivorum (cfr. supra n. 258, 390). Quapropter verba objecta sic optime juxta ejus mentem explicabis: semper ac confessario *non innotescit*, nempe *notitia probabili*, pœnitentem esse *indispositum*, ipsum absolvere potest; a. v. si confessarius non habet notitiam probabilem de pœnitentis indispositione, habet tamen — ut S. Doctor semper supponit — *notitiam probabilem de ejus dispositione*, ipsum semper absolvere potest. Hæc explicatio manifeste patet ex contextu, tum ex præcedentibus (§ 3), tum ex proxime sequentibus (§ 4 « Hinc auctor etc. »). Certe, S. Doctor cum aliis theologis semper et ubique postulat *judicium positivum* de pœnitentis *dispositione*, hoc si adest, sufficit *absentia judicii positivi* de ejus *indispositione*, a. v. sufficit ut « confessario *positive non innotescat*, pœnitenti omnino defuisse dolorem ».

424. — *Obj.* 5º. Dictum fuit ab aliquo: in dubio positivo pœnitens habet saltem *jus probabile* recipiendi absolutionem. Atqui necessitas spiritualis pœnitentis qui versatur in statu peccati mortalis, ratio est gravis dandi absolutionem ei qui ad eam jam habet jus probabile. Ergo.

Resp. Nego *majorem*. Nam si sacramentum gravi irreverentiæ et frustrationis periculo exponitur — uti accidit in *dubio positivo*, quando etiam pœnitentis indispositio est graviter probabilis —, pœnitens *nullum jus* habet ad absolutionem; debet enim meliores afferre dispositiones, quo hoc periculum grave præcaveatur. Nititur objectio iterum eodem principio: « Qui probabiliter agit, prudenter agit », etiam ubi agitur de materia sacramentorum; quod quidem a S. Sede reprobatum est. (Cfr. infra n. 489).

Neganda etiam est *minor*. Admittunt quidem theologi cum S. Alphonso (VI, 432), necessitatem esse rationem dandi absolutionem peccatoribus dubie dispositis, non quidem absolute, sed sub conditione. Ast omnes theologi intelligunt hic necessitatem seu rationem gravem *specialem*, quæ *omnibus peccatoribus communis non est;* nec quisquam prudens theologus dicet, *quemvis* peccatorem in hujusmodi versari necessitate, ut, etsi dubie dispositus, absolutionem accipiat. Regula generalis juxta doctrinam communem est, ut dubie dispositis *per se* absolutio differatur. *Per accidens* tantum, velut per exceptionem a regula, ob *aliam specialem* rationem vel necessitatem illis statim absolutionem conferre licet, sed tunc sub conditione dumtaxat, et non absolute. (Cfr. thes. 22ª, I, II).

425. — Tandem censet Génicot, « *practicum discrimen* inter suam et S. Alphonsi sententiam multo minus esse quam prima fronte videri possit »; quia S. Doctor admittit absolvi posse recidivum qui signa extraordinaria exhibet, imo etiam illum qui negat peccatum quod sub oculis confessarii commisit, modo adsit prudens dubium an istud iam alteri fuerit confessus. In his autem casibus existimat adversarius, « adesse probabilitatem tum pro bonis dispositionibus, tum contra easdem » (*l. c.*).

Nobis contra videtur *practicum discrimen* inter utramque sententiam esse valde grave. Etenim agitur in hac thesi de *principio*, utrum nempe pro confessario ad dandam absolutionem requiratur status *opinantis* de pœnitentis dispositione, an status *positive dubitantis* ea de re sufficiat. Tantum ergo discrimen est inter utramque sententiam quantum est discrimen philosophicum inter utrumque hunc statum animi. Hoc autem maximum esse, supra (n. 391-394) juxta S. Thomæ doctrinam ostendimus. Jamvero quoties de principiis agitur, *conclusiones* etiam *practicæ* differre debent, idque eo frequentius quo principia — uti in nostra quæstione — *quotidianæ* sunt applicationis. Sunt enim principia velut semina, mole quidem parva, sed virtute efficacissima, temporisque diuturnitate fructibus aut bonis aut malis, uberrima. Quapropter S. Thomas: « Ille gravissime ignorat et periculosissime qui errat circa principia priora; ille autem qui errat tantum circa conclusiones potest reduci per principia in quibus non errat » (*De Malo*, qu. 3, a. 17) [1].

Quodsi S. Alphonsus dicit, confessarium absolvere posse recidivum qui signa exhibet *extraordinaria*, hoc minime obstat, quin potius id quod dicimus confirmat: quia propter novas has probationes confessarius jam non positive dubitat de pœnitentis dispositione, sed eam adesse positivo judicio *opinatur;* unde sola pars quæ stat pro hac dispositione ita expedite probabilis manet, ut huic tantum prudenter assensum opinativum dare possit et debeat. « Extraordinarium signum, ita S. Doctor, modo solidum sit et fundatum, *aufert* indispositionis suspicionem, quæ urget ratione relapsuum » (*Prax.* 73; cfr. plura supra n. 342, 395-397). — Pariter etiam secundum S. Alphonsum absolvi potest qui negat peccatum quod sub oculis confessarii commisit, modo adsit « prudens dubium an alteri fuerit confessus, vel justam habeat causam tacendi » (VI, 631). Ratio est, quia in hoc prudenti dubio valet principium

---

[1] Advertas fac, Génicot numquam expresse dicere, confessarium tum etiam absolvere posse pœnitentem, quando *major* probabilitas stat *contra* ejus dispositionem, et minor pro eadem. Hoc tamen unus alterve jam docuit. Logice autem ad hanc conclusionem perventum est. Si enim systema probabilismi simplicis applicatur etiam actibus pœnitentis, qui sunt hujus sacramenti materia, necessario dicendum est, opinionem quoque *minus probabilem* de præsentia horum actuum, modo graviter probabilis sit, sufficere ad hoc sacramentum administrandum, etiamsi confessarius *vere probabilius* judicet pœnitentem non esse dispositum.

reflexum, credendum esse pœnitentem in confessione decipere non velle; ac proinde confessarius in casu, innixus hoc principio, merito *opinatur* ipsum esse dispositum.

Conclusio. Atque ita quidem plane solutæ nobis videntur omnes difficultates quæ contra hanc thesim moveri possunt. Quæ vero argumenta tum intrinseca tum extrinseca in favorem hujus thesis protulimus, ut nostra fert opinio, omnino ostendunt, S. Alphonsum eam jure meritoque dixisse *certam* (supra n. 398), adeoque contrariam sententiam habuisse falsam et improbabilem [1].

---

[1] Obiter advertas cum sancto nostro Doctore: « *Improbabilitas* et *falsitas* non sunt censuræ theologicæ » (VI, 440).

CAPUT VI.

De remedio dilatæ absolutionis pro pœnitente sufficienter contrito.

Textus S. Alphonsi
(VI, 462-464)

§ 1. — « 462. — Certum est et commune apud omnes, quod « possit confessarius differre absolutionem pœnitenti etiam dispo- « sito, et etiam sine ejus consensu [a]), semper ac prudenter judicet « dilationem esse utilem ejus emendationi. Ita Salmant. [1], Lugo [2], « Holzmann [3], Roncaglia [4], Croix [5], Viva [6], Cardenas [7], cum Suarez, « Sà, Sanchez et aliis passim, contra paucos. — Ratio, quia pœnitens « quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractæ, « non tamen habet jus ut statim absolvatur. Confessarius enim, cui « non solum judicis, sed etiam medici competit munus, bene potest, « immo meo judicio (ut supra dixi) tenetur differre absolutionem, « quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui pœ- « nitentis ».

§ 2. — « 463. — Magnum Dubium quod vertit est: *An « hoc remedium dilatæ absolutionis sæpius expediat adhibere vel ne « pœnitenti jam sufficienter disposito ad absolutionem sine ejus con- sensu?*

« Commune est apud doctores nullo modo expedire absolu- « tionem differre, quando dilatio magis obfutura quam profutura « censetur. Ita Viva [8] et Salmant. [9], Lugo [10], Sanchez [11] et Mazzotta [12] « cum aliis communiter. Idem dicendum, cum ex dilatione absolu-

[1] Tr. 6, cap. 5, n. 68. — [2] Disp. 14, n. 169 et seqq. — [3] De Pœnit., num. 587. — [4] Qu. 5, cap. 4, qu. 5, resp. 1. — [5] Lib. 6, part. 2, num. 1764. — [6] In prop. 60 Innoc. XI, n. 13. — [7] In prop. 60, diss. 39, num. 26. - *Suar.*, disp. 32, sect. 2, i. f. - *Sà*, v. *Absolutio*, n. 12 (edit. genuin., n. 13). - *Sanch.*, Decal., lib. 2, cap. 32, n. 45. — [8] Loc. cit., n. 9. — [9] Tr. 6, cap. 5, n. 67. — [10] Disp. 14, n. 168. — [11] Loc. cit. — [12] Tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 3, § 3, v. *Infers* 1.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Holzmann, Roncaglia, Croix, Suarez, Sà nullam faciunt mentionem de pœnitentis consensu; unde S. Alphonsus cum Cardenas colligit non esse (juxta hos auctores) necessarium hujusmodi consensum. — Sanchez vero dicit differri posse absolutionem, si « pœnitens id non multum ægre ferat ». — Salmant., Lugo et Viva expresse negant requiri consensum.

« tionis pœnitens pateretur notam infamiæ [a]). Ita Croix [1] et Maz-
« zotta [2], cum Sanchez, Palao, Tournely [b]), Concina [b]), Anacleto,
« Laymann, Bonacina, Holzmann, Sporer et aliis, quos attulimus
« *n.* 455, v. *Communiter* ».

§ 3. — « Extra autem hos casus sentit Hurtadus [c]), semper
« expedire differre absolutionem consuetudinariis. Immo Concina [3],
« ac Juenin [4], et Merbesius [5] dicunt tale remedium ipsis esse ne-
« cessarium ut ipsi operibus suam conversionem comprobent. —
« Quinimmo Juenin [6] sic rigidissime loquitur: *Qui mortaliter peccarunt*
« *ex consuetudine non debent absolvi, nisi multo, ad viri prudentis*
« *judicium, tempore conversionem operibus probaverint... Toti... an-*
« *tiquitati persuasum fuit contritionem non esse diei unius opus, sed*
« *multorum mensium, immo et nonnumquam annorum.* Et [7] addit hoc
« servandum esse [d]), etiamsi pœnitens semel patraverit aliquod
« enorme peccatum, ut perjurium, adulterium, homicidium et si-
« milia. Loquens vero de peccatore habituato, inquit numquam ipsum
« censeri dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem per
« emendationem probaverit.

« Alii vero, ut Busenbaum (infra *n.* 603, *ad* 1), Viva [e]), Dica-

[1] Lib. 6, part. 2, num. 1764. — [2] Loc. cit., v. *Infers* 2. - *Sanch.*, Decal., lib. 1, cap. 8, num. 3. - *Palaus*, tr. 2, disp. 2, punct. 9, § 3, n. 8 et 13. - *Anacl.*, tr. 14, dist. 8, num. 46. - *Laym.*, lib. 5, tr. 6, cap. 4, n. 9. - *Bonac.*, de Matr., qu. 4, punct. 14, num. 11. - *Holzm.*, de Pœnit., num. 580, v. *Dixi*. - *Spor.*, part. 3, cap. 2, num. 326. — [3] Lib. 2, diss. 3, cap. 10, num. 19. — [4] Comment. de Sacram., diss. 6, qu. 7, cap. 4, artic. 7, concl. — [5] De Pœnit., qu. 48, cas. 5, v. *Ista sanctissimi*, et reg. 3. — [6] Loc. cit., art. 7, init., et num. 1, i. f. — [7] Instit., de Pœnit., qu. 6, cap. 5, art. 2, concl. 2. - *Juen.*, Comment. de Sacram., loc. cit., art. 7.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Aliqui auctores hic citati insinuant tantum absolutionem tunc esse differendam, negando urgere eo casu obligationem deserendi statim occasionem, uti S. Alphonsus, *n.* 455, citavit.

[b]) Contin. Tournely, *de Pecc., part.* 1, *cap.* 2, *Append., reg.* 3, id sane docet, nisi tamen pœnitens adhibitis jam mediis, semper relabatur; tunc enim deneganda est ei absolutio donec occasionem dimiserit, « etiamsi ab ea recedere nequeat sine bonorum, famæ et status jactura ». — Concina, *lib.* 1, *diss.* 3, *cap.* 2, § 4, n. 27, negat obligationem esse eo casu deserendi occasionem; si tamen (*n.* 28) media præscripta pœnitens neglexerit, neganda est eidem absolutio.

[c]) Scilicet Thomas Hurtadus, *tr.* 1, *cap.* 6, *resol.* 21, *n.* 206, absolute hæc docet, neque ullam restrictionem apponit suæ doctrinæ, neque casus commemorat quos hucusque S. Alphonsus exposuit, et in quibus absolutionem differri non expedit.

[d]) Scilicet, ait Juenin: « Statim post confessionem absolvi non debent *ordinarie*, si debito tempore ad viri prudentis judicium oratione aliisque pietatis operibus contritionem obtinere non curaverint ».

[e]) Viva, *in prop.* 60 *Innoc.* XI, *n.* 13, negat expedire absolutionem differre pœnitenti invito.

« stillus *f*), Croix *g*), Salmant. *g*), etc., dicunt raro expedire quod « pœnitenti disposito differatur absolutio ».

§ 4. — « Melius dicendum quod certa regula in hoc statui « non potest; sed confessarius ex circumstantiis occurrentibus se « dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo « inspiratus absolutionem differat vel impertiatur. — Unde sapienter « episcopi Belgii, Bruxellis congregati, in decreto ad suos, anno 1697, « sic statuerunt: *Confessarius a quibusvis peccatoribus gravibus, etiam « recidivis, stata lege non exigat ut per notabile tempus prævie exer- « cuerint opera pœnitentiæ; sed cum SS. Patribus expendat, Deum in « conversione peccatoris non tam considerare mensuram temporis quam « doloris.* Vide apud Croix [1] ».

§ 5. — « Ut autem hic meum proferam judicium, dico quod « si pœnitens relapsus sit ob causam seu fragilitatem *intrinsecam* « (ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, bla- « sphemiæ et similium), raro puto differendam esse absolutionem re- « cidivo sufficienter disposito per signum extraordinarium. — Et « casu quo dilatio videtur expedire (quidquid dicant Juenin et Mer- « besius, requirentes dilationem per menses et annos), verius dicen- « dum absolutionem non differri debere plus quam ad octo vel ad « decem dies; prout dicitur ab auctore libelli cui titulus: *Istruz. per « li confessori di terre e villaggi* [2], approbati Neapoli a doctissimo « et illustrissimo episcopo D. Julio Torni (ibique citatur *h*) Ludo- « vicus Habert), et ab alio auctore jam citato libri *Istruz. per li no- « velli Confessori* [3]. Hi censent dilationem mensis esse excessivam « et periculosam; quia post tantum temporis difficile pœnitentes « redibunt. Et huic favet noster Summus Pontifex Benedictus XIV

[1] Lib. 6, part. 2, n. 1823. - *Juen.*, Comment. de Sacr., loc. cit. - *Merbes.*, loc. cit., reg. 3. — [2] Is est *Jorio*, cap. 1, § 4, init. — [3] Part. 1, cap. 9, n. 215. - *Bened. XIV*, encycl. *Apostolica*, de die 26 Junii 1749, § 22.

---

f) Dicastillus, *disp.* 10, *dub.* 29, *n.* 575, ita plane docet, « nisi forte (ut addit, *n.* 578) quando per breve tempus differatur absolutio ».

g) Croix, *loc. cit.*, *num.* 1768, negat expedire semper, quia *sæpe* plus juvat absolutio, et concludit: « Unusquisque secundum lumen sibi datum, Pœnitentiæ, administret sacramentum ». — Salmant. *tr.* 6, *cap.* 5, *n.* 68, fatentur nihil certi determinari posse abstrahendo a circumstantiis; et probant magis sæpius prodesse frequentiam confessionis et frequens absolutionis beneficium.

h) Habert citatur quidem a Jorio; sed, *Prax. Sacr. Pœnit.*, *tr.* 4, v. *Illi vero*, ita rem explicat, ut ejus opinio eodem recidere videatur ac sententia Merbesii.

« in sua epistola encyclica quæ incipit: *Apostolica*, ubi alloquens « confessarios qui ex justa causa differunt pœnitentibus absolutionem, « sic hortatur: *Illos ut quantocius revertantur invitent; atque animos « addant, ut ante reditum ea omnia quæ illis agenda præscribuntur rite « perficiant: ex quo fiet ut ad sacramentale forum regressi, absolutionis « beneficio donentur.* Ad summum dico absolutionem differendam « usque ad quindecim dies ».

§ 6. — « Dixi 1º. Si pœnitens sit relapsus ex causa *intrinseca*. — « Nam si reinciderit *ex occasione extrinseca*, dico absolutionem omnino « differendam esse usquedum tollatur occasio, si sit *voluntaria;* si « vero *necessaria*, donec periculum recidendi ex proximo fiat re- « motum. Et ad hoc, ordinarie loquendo, certe non sufficiet dilatio « decem vel quindecim dierum. (Vide quæ diximus de hoc puncto « supra, *num.* 452, *Quæst.* 3) ».

§ 7. — « Dixi 2º. *Raro*. — Nam regulariter censeo non disce- « dendum a sententia communi, quam tradunt Sanchez [i]), Lay- « mann [j]). Lugo [1], Filliuccius [2], Abelly [k]), Dicastillus [3], Navarrus [l], « Croix [4], cum communi (ut asserit), Salmant. [5], Sporer [m]), Toletus [6], « nempe non esse differendam absolutionem pœnitenti qui relapsus « est ex *intrinseca* fragilitate; quia in tali pœnitente magis sperandum « profuturam fore gratiam sacramenti quam dilationem absolu- « tionis ».

§ 8. — « 464. — Sed dices: Cur differenda est absolutio pœni- « tenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex

[1] Disp. 14, n. 166. — [2] Tr. 7, Instruct., cap. 3, v. *Dico secundo*. — [3] Disp. 10, dub. 29, n. 578. — [4] Loc. cit., n. 1822. — [5] Tr. 6, cap. 5, n. 68. — [6] Lib. 5, cap. 13, n. 6. - *Croix*, lib. 6, part. 2, n. 1768.

---

[i]) Sanchez, *Decal., lib.* 2, *cap.* 32, *n.* 45, dicit hunc posse adhuc in rigore absolvi; posse tamen differri absolutionem si id pœnitens non ægre ferat et putetur profuturum.

[j]) Laymann, *lib.* 5, *tr.* 6, *cap.* 4, *n.* 10. id concedit bis vel ter tantum, si pœnitens nullum emendationis conatum adhibuerit.

[k]) Abelly, *de Pœnit., sect.* 20. *num.* 3, ita sane docet; sed *n.* 4, addit non esse attendendum solum quod absolute fieri possit, sed quid pœnitenti expediat, num scilicet frequens absolutio sit ei nociva, an vero sit potius remedium.

[l]) Navarrus, *Man., cap.* 3, *n.* 21, loquitur de iis qui ex occasione necessaria peccant, quos dicit posse absolvi toties quoties; ipse tamen (addit) non absolveret si animadverteret post repetitas confessiones nullam fuisse emendationem neque ejusdem inchoationem.

[m]) Sporer, *part.* 3, *cap.* 2, *n.* 330, concordat; sed *n.* 332, limitat: Nisi post plures confessiones nulla foret emendatio; quo casu requirit signa specialia, qualia numquam ante pœnitens exhibuerit.

« prava consuetudine, cum eodem modo impellat ad peccandum oc-
« casio extrinseca ac prava consuetudo?

« Respondetur: Alio quidem longe diverso modo ad peccatum
« impellit occasio extrinseca quam pravus habitus. — *Occasio* enim
« per objectí præsentiam, quæ vividas excitat cogitationes, vehe-
« menter movet sensus pronos ad peccandum, affectumque ad pec-
« catum reddit intensiorem. Et ideo pœnitens maximam sibi vim
« inferre debet, non solum ad superandam tentationem; sed etiam
« ad conandum ut periculum, per fugam familiaritatis cum persona
« complicis, ex proximo fiat remotum. — *Prava* autem *consuetudo*,
« cum non habeat objectum extrinsecum præsens, non ita utique
« sicut occasio ad peccandum impellit; unde fit ut pœnitens mi-
« norem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Præterea,
« cum pravus habitus sit quid intrinsecum et inseparabile a persona,
« extirpatio habitus minus quam remotio occasionis pendet a pro-
« pria voluntate; et ideo magis sperandum quod Deus bonam vo-
« luntatem per majora auxilia adjuvabit ad perseverandum ».

§ 9. — « His positis, imprudenter agit confessarius, si absolvit
« eum qui est in *occasione extrinseca*, saltem antequam experiatur
« quod ille per fugam reddat periculum remotum. Nam alias eum
« relinquit in probabili periculo infringendi propositum; eo quod
« talis pœnitens post obtentam absolutionem facile negliget fugam
« necessario adhibendam, et sic sine dubio relabetur ».

§ 10. — « E converso, prudenter absolvitur recidivus ex causa
« *intrinseca*, si vere est dispositus per signum extraordinarium do-
« loris. Quia periculum in eo infringendi propositum est magis re-
« motum: cum ex una parte, non adsit causa extrinseca ad peccatum
« impellens; et ex alia, majora Deus præbebit auxilia pœnitenti ad
« extirpandum pravum habitum qui ipsi nolenti ac detestanti inest.
« Hinc magis sperandum, quod ille emendabitur per auxilium gratiæ
« in sacramento susceptæ, quam per dilationem absolutionis. *Sæpe*
« *juvat*, ait doctus Pater Lacroix, qui egregie tractat de hoc sacra-
« mento Pœnitentiæ, (relapsis) *absolutio... tum ob auxilia gratiæ*
« *quæ confert sacramentum, et quibus potest melius muniri absolutus;*
« *tum quia pia exercitia ab efficacitate sacramenti habebunt majorem*
« *vim, eruntque Deo gratiora et efficaciora, utpote facta ab amico Dei,*
« *et ex Christi institutione inerit eis major vis satisfactoria; tum etiam*

« *quia spes est usurum ferventius mediis præscriptis: nam dilatio* « *multos offendit, qui non redeunt, sed redduntur obdurati.* Idque ex- « presse approbatur a D. Thoma [1], ubi inquit: *Dicendum quod* « *majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex* « *assuetudine nostrorum operum.* Hinc recte dicunt Salmant. [2]: *Cur* « *de peccatore... non habente gratiam... ante... absolutionem, quam de...* « *constituto in amicitia Dei per absolutionem... melius sperandum est?* « — Et præsertim quoad peccatum pollutionis, Toletus [3] sic inquit: « *Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confes-* « *sionem cum uno eodemque confessario...: est enim hoc sacramentum* « *maximum frænum; et* [n]) *qui hoc non utitur, non sibi promittat emen-* « *dationem, nisi per miraculum.* Hocque remedio frequentis confes- « sionis pro recidentibus in tale vitium legimus D. Philippum Ne- « rium maxime usum fuisse. — Et huic doctrinæ alludit id quod « habetur in Rituali Romano [4], ubi: *In peccata facile recidentibus* « *utilissimum fuerit consulere, ut sæpe... confiteantur, et si expediat,* « *communicent.* Ergo Rituale, dum dicit remedium frequentis confes- « sionis utilissimum esse facile recidentibus in peccata, supponit « pravum habitum ab eis non adhuc esse avulsum; sed, hoc non « obstante, docet gratiam sacramenti multum conferre ad emenda- « tionem ».

§ 11. — « Quidam rigiditatibus addicti, qui per unicum rigoris « tramitem animas conducunt, nimis generaliter loquentes, asserunt « omnes recidivos perversiores fieri, cum absolvuntur antequam « emendentur. Sed hos magistros meos rogarem: numquid recidivi, « cum sine absolutione dimittuntur, gratia sacramenti carentes, « omnes validiores fiunt et emendantur? Quot miseros ipse cognovi « qui ob denegatam absolutionem se dejecerunt in desperationem, et « per plures annos a sacramentis aversi aberrarunt? ».

§ 12. — « Ceterum unusquisque in hoc puncto impertiendæ vel « differendæ absolutionis dirigere se debet juxta lumen a Deo sibi « donatum. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant qui

[1] Suppl., qu. 25, art. 1, ad 4. — [2] Tr. 6, cap. 5, n. 68, i. f. — [3] Lib. 5, cap. 13, num. 6. - *S. Philipp. Nerius*, cfr. Bacci, Vita di S. Filippo, lib. 2, cap. 6, n. 2. — [4] Ordo administr. Pœnit., n. 19, v. *Quare curet.*

---

[n]) Verba: *Et qui hoc non utitur non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum,* tribuuntur Toleto a Sporer, sed non sunt illius auctoris.

« æquo sunt faciliores, quam qui æquo rigidiores sunt in absolvendo. « Utrumque extremum perniciosum: multi enim confessarii, ob ni- « miam facilitatem absolvendi, in causa sunt ut plures animæ in per- « ditionem abeant; sed alii, ob nimiam rigiditatem, non minoris sunt « detrimenti. Unde haud scio utrum confessario minori scrupulo « debeat esse indispositos absolvere, quam dispositos dimittere ».

§ 13. — « Tandem, ut meæ conscientiæ dictamen exponam, sic « concludo: Aliquando poterit alicui recidivo prodesse dilatio abso- « lutionis. Semper quidem proderit deterrere hujusmodi relapsos ex « intrinseca fragilitate, negationem absolutionis minando. Ordinarie « vero loquendo, magis proderit eis absolutionem impertiri, cum dis- « positi accedunt per signum extraordinarium doloris. Utinam dico, « et omnes confessarii absolverent recidivos tum solum, cum signa « extraordinaria illi afferunt! Sed, quod dolendum est, maxima pars « confessariorum undique, nullo prorsus signo extraordinario exhi- « bito, indiscriminatim, sine ulla admonitione nulloque præstito re- « medio, hujusmodi relapsis semper absolutionem impertiuntur: et « hoc est unde ruina tot animarum emanat ».

426. — Supposito pœnitentem per signa sive ordinaria sive extraordinaria sufficientem peccatorum contritionem exhibere, hanc quoque confessario satis constare ita ut ab eo tamquam judice absolvi possit, jam alia exsurgit *quæstio:* utrum scilicet confessarius etiam tamquam *medicus* judicare debeat, talem pœnitentem semper ita dispositum esse ut ipsi statim absolutio concedenda sit, an contra juxta prudens suum judicium interdum ipsi per breve quoddam tempus absolutionem differre possit aut aliquando etiam debeat; a. v. quæritur *primo:* num confessarius, servatis servandis, etiam erga pœnitentem satis contritum aliquando dilatione absolutionis uti possit aut debeat, tamquam remedio ad præcavendos relapsus; et *secundo:* quando et quibus pœnitentibus hoc remedium applicare conveniat. Hisce quæstionibus S. Alphonsus respondet abhinc usque ad finem tractatus; nempe n. 462 ponit *principia generalia* et respondet *primæ* quæstioni; n. 463 et 464 *alteri* quæstioni satisfacit traditque varias *prudentiæ regulas*. Hinc duplex articulus.

ARTICULUS I.

Principia generalia circa dilationem absolutionis.

THESIS 20ª.

I. Confessarius pœnitenti sub omni respectu rite disposito et absolutionem petenti, hanc differre nequit. Atvero (II) licet ut judex aliquem sufficienter contritum et dispositum censeat ad recipiendam absolutionem, interdum tamen, præcipue ut medicus, judicare potest, eum non esse satis paratum ac dispositum ut statim absolvatur: ac propterea, si aliunde nihil obstat, ipsi, per se etiam sine ejus consensu, per breve tempus absolutionem differre potest; (III) imo id aliquando etiam debet.

EXPLICATUR THESIS

427. — Thesis hæc generalis est et respicit omnes pœnitentes vere contritos, licet in praxi quæstio maxime moveatur circa recidivos et occasionarios.

1º *Prima* pars statuitur contra Jansenistas et rigoristas qui, aut docebant ex institutione Christi et antiqua Ecclesiæ traditione pœnitentiam sacramentalem ante absolutionem persolvendam esse — quorum sententia a Sede Apostolica sæpe damnata fuit (cfr. supra n. 233) —, aut saltem peccatoribus, præsertim consuetudinariis et recidivis, passim et promiscue absolutionem differebant eam ob rationem, ut ipsi diuturna emendatione se vere contritos esse comprobarent. Ita Concina, Juenin, Merbesius (ap. S. Alphonsum supra p. 358, § 3).

Thesis autem nostra dicit, *pœnitenti sub omni respectu rite disposito*, id est quem confessarius, tum ut *judex*, tum ut *doctor*, tum ut *medicus*, sufficienter dispositum et præparatum esse judicat, absolutionem statim concedendam esse si pœnitens eam petit; a. v. si nulla datur ratio vere *specialis*, ob quam confessarius judicet, dilationem pro pœnitente utilem aut necessariam esse, absolutionem pro arbitratu suo ipsi differre plane nefas est. — *Certa* est hæc sententia et *communis* hodie inter theologos.

428. — 2º Circa *alteram* thesis partem hæc adverte.

a) Quum confessarius et *judicis* et *medici* partes agat, *interdum* fieri potest, ut quis pœnitens eas quidem animi dispositiones seu conditiones præ se ferat, quibus positis a confessario ut judice absolvi queat, minime vero in illis versetur dispositionibus ut jam statim absolvi debeat, a. v. ut confessarius, *præcipue tamquam me-*

dicus, judicet [1], hisce in conditionibus particularibus brevem absolutionis dilationem utilem vel etiam moraliter necessariam esse, quo pœnitens efficacius a relapsu præmuniatur. Est enim hujusmodi dilatio, juxta communem theologorum sententiam, ut infra (n. 442) videbimus, optimum quandoque remedium contra relapsum, imprimis quando pœnitens aliquam obligationem gravem, hactenus forte neglectam, exsequi debet, puta remotionem occasionis, restitutionem, reconciliationem, usum mediorum contra relapsum, etc. (Cfr. infra n. 445 sq.).

Dicitur *b*): *Si aliunde nihil obstat.* Qua de re vide infra n. 457 sqq.

Dicitur *c*): *Per se etiam sine ejus consensu.* Videlicet, quod confessarius possit tali pœnitenti absolutionem differre cum ejus consensu, res ipsa loquitur: volenti enim non fit injuria. Quod autem ob justam et specialem causam id *per se* etiam facere possit sine ejus consensu, multi quoque theologi expresse docent, alii id saltem implicite concedunt (cfr. n. 443, 3º); negatur tantum « a paucis », ut ait S. Alphonsus (§ 1, p. 357), quorum princeps est Joannes Sanchez (alias: Sancius). Hic enim auctor laxista in opere a S. Sede prohibito docet, « non fore saluberrimum consilium interdum negare [2] absolutionem habenti consuetudinem peccandi, quantumcumque id consulant Sayrus, Suarez, Sanchez, Reginaldus, Toletus, Sà et alii. Nam si confessarius potest licite absolvere pœnitentem (ut ipsi admittunt), ad id tenebitur; habet namque jus semper pœnitens, ut sibi non negetur absolutio, si dignus sit, nisi de proprio consensu... Absolute tamen judico, numquam fore rectum consilium absolutionem negare, quantumvis consentiat pœnitens, supposito quod licite potest impendi » (scil. a confessario ut judice). (*Select.* disp. 9, n. 11 et 12).

Attamen sedulo animadvertendum est, confessarium, antequam absolutionem differat, omnem operam adhibere debere ut pœnitens libens in dilationem consentiat, proponendo ipsi verbis suavibus aptisque rationibus hujus remedii utilitatem. Quemadmodum enim in infirmitate corporali ad curationem multum confert, si ipsemet ægrotus fiduciam habeat in remedio, ita vel magis in morbo spirituali (cfr. supra n. 384 sq.). — Quinimo si confessarius prævidet, hujusmodi pœnitentem dilationem ita ægre laturum esse ut hæc ipsi « magis obfutura quam profutura censeatur », hoc remedio juxta

---

[1] Dicitur: « præcipue tamquam *medicus* »; quia aliquando etiam ut *doctor* confessarius judicare posset, pœnitentem, satis contritum sed nimis rudem in materia religionis, melius absolvi postquam scitu necessaria didicerit. Atvero ordinarie periculosum erit cum tali pœnitente remedio dilationis uti (cfr. S. Alph. *Prax.* n. 22), nisi forte interdum tempore missionis, quando nempe moraliter certum esset, ipsum post auditas instructiones rediturum.

[2] Per « negare » Sancius intelligit: ad tempus differre, ut patet ex contextu et ex theologis quos impugnat.

S. Alphonsum (§ 3) omnesque theologos uti non potest (cfr. infra n. 457 sqq.).

429. — Hoc sane sæpe contingit cum illis nostri temporis peccatoribus qui infirmi sunt fide et propter talem dilationem, etiam bonis rationibus vestitam et humanissimis verbis injunctam, a sacramentis alienarentur. Hisce ergo, si alioquin satis dispositi sunt, absolutio omnino statim concedenda est. — Atvero prorsus negandum est, omnes hodie pœnitentes in eo versari animi statu. Multi enim talem dilationem initio quidem haud ita acceptam habent, eamque potius ut pœnam subeunt quam libenter accipiunt. At postea, sedata prima animi commotione, de verbis confessarii recogitant et ipsimet vident justas hujus dilationis rationes et opportunitatem remedii, sine quo semper in eadem fere peccata relaberentur. Imo etiamsi ipsi hoc non videant, non ita tamen animo dispositi sunt ut propterea sacramenta deserant, sed, conscientiæ stimulo acti, stato tempore vel postea pro more ad confessionem redeunt. Interim per hanc dilationem quasi e lethargia excitati, naturalem socordiam excutere, melius orare, fortius tentationibus resistere et occasionem removere aut fugere conati sunt. Hæc omnia multorum confessariorum experientia constant et theologorum doctrina confirmantur. (Cfr. infra pag. 434 verba Card. van Rossum). Itaque, licet pœnitenti consentienti absolutio facilius differri possit, et ipsi omnino repugnanti dilatio raro aut vix unquam expediat, nihilo tamen minus, sicut in infirmitate corporali ita et in spirituali, remedium ingratum et sine infirmi consensu magna tamen humanitate ministratum aliquando multum valere potest.

430. — 3º Denique in *tertia* thesis parte dicitur: *aliquando etiam debet* confessarius hujusmodi pœnitenti hic et nunc sufficienter contrito absolutionem differre, quo magis a relapsu prævertatur. Ita S. Alphonsus in textu (§ 1). Hoc quoque complures antiqui diserte asserunt: neque id ab aliis expresse negatum videmus. Negat tamen Ballerini (cfr. infra n. 455), quem aliqui recentiores secuti sunt. Unde hoc in tertia parte thesis probabitur. — Quærenti autem, *quandonam* confessarius *teneatur* hujusmodi pœnitenti absolutionem differre, S. Doctor in textu generatim respondet: « Quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui pœnitentis », vel clarius in *Praxi:* « Cum judicat tale remedium necessario prodesse saluti sui pœnitentis » (n. 76), quod, juxta ea quæ supra (n. 144) vidimus, tunc erit, quando confessarius *scit* seu *certo judicat*, dilationem hic et nunc pœnitenti *magis profuturam* quam obfuturam esse. Atvero practice — nisi agatur de occasione valde periculosa « in esse » (cfr. thesis 5ª) — confessarius haud ita sæpe hujusmodi certum judicium ferre potest. Habet enim dilatio sua commoda, habet et incommoda; ejusque major utilitas aut necessitas juxta multa adjuncta prudenter est perpendenda, uti infra (n. 459 sqq.) exponemus. Unde quoad confessarius anceps hæret de utilitate vere majore hujus remedii, id applicare non tenebitur.

PROBATUR PRIMA PARS

431. — Confessarium pœnitenti *sub omni respectu* rite disposito statim absolutionem impertiri debere, certa est, ut diximus, sententia, nuper etiam confirmata per can. 886 Codicis Juris, qui contra praxim rigoristarum et Jansenistarum edicit: « Si confessarius dubitare nequeat de pœnitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est ». (Vide infra n. 444 sqq.).

Probatur autem hæc thesis ex ipsa *natura* sacramenti Pœnitentiæ, quod per modum judicii institutum est. Unde confessarius, ubi primum officium judicis in audienda aliqua confessione in se suscipit, ex tacito contractu, atque adeo ex justitia, pro merito causæ jus dicere debet, quando pœnitens id petit. Proinde si pro libitu suo seu absque rationabili causa sententiam absolutionis ad aliud tempus procrastinaret, pœnitenti in re gravi damnum et injuriam inferret. Hinc S. Alphonsus: « Pœnitens, inquit, facta confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem: quam denegando, confessarius gravem illi injuriam irrogaret » (VI, 604). Quæ verba, etsi de absolutionis denegatione agant, tamen etiam de ejus dilatione arbitraria, certe longiore, intelligenda sunt. — Peccaret etiam contra officium patris et medici, ideoque contra charitatem, relinquendo ipsum ad tempus in statu servitutis diaboli et inimicitiæ cum Deo, ipsumque privando, non solum gratia sanctificante, sed etiam gratia sacramentali et meritis bonorum operum. In hoc igitur casu dilatio non esset remedium contra relapsum; sed contra, absolutio statim collata et subsequens sacra Communio est tale remedium et antidotum.

Lubet hic adducere verba Suarezii, qui more suo hæc eximie probat: « Certum est, inquit, si confessori constet, pœnitentem esse rite confessum et dispositum, teneri sub gravi peccato illum absolvere. Quod omnes theologi docent; quia hoc postulat ratio justi judicii et æquitas inter pœnitentem et confessorem: debet enim judex audita causa judicare et absolvere reum, si dignus sit. Et confirmatur, quia sacerdos est minister Dei, cui in judicio conformari debet; sed Deus vult absolvi peccatorem bene dispositum, et ad hoc dedit potestatem ligandi et solvendi; ergo. Denique, quia magna fieret injuria pœnitenti, si sine causa privaretur sacramento et cogeretur iterum confiteri. Unde intelligitur obligationem hanc ex ipsa institutione sacramenti et munere confessoris intrinsece oriri ». Et brevi post: « Circa hoc advertendum est, hanc obligationem absolvendi *per se statim* urgere, atque adeo sine rationabili causa differri non posse; tamen si hæc causa intercedat, non est dubium quin differri possit in bonum et commodum ipsius pœnitentis; quod prudenti judicio confessoris relinquendum est, qui hoc sine gravi causa et magna consideratione facere non debet » (*De Pœn.* disp. 32, sect. 5).

432. — Præterea, sententia rigoristarum, quod vera graviorum peccatorum contritio temporis experientia semper probari debeat, in se *falsa* est, ut supra (n. 342-345) ostendimus. — Esset quoque illa praxis Ecclesiæ valde *damnosa*. Eorum enim argumentatio valeret pro permultis peccato mortali implicatis; ideoque ansam præberet praxi frequentiori et quasi communi differendi absolutionem. Talis autem praxis confessionem odiosam redderet et fideles a sacramentis, quæ præcipua sunt salutis subsidia, averteret, cum magno eorum et Ecclesiæ damno; uti ex historia quoque probatur. (Vide supra n. 346).

433. — Hinc *S. Congr. de Prop. Fide* graviter hanc praxim reprobavit in Instructione 3 Oct. 1736. In procœmio refertur rigidior praxis alicujus Vicariatus in eo consistens « quod *passim* reis graviorum criminum, fornicationis, ebrietatis, superstitionis, differatur ad menses integros et amplius absolutio sacramentalis ». — Respondet autem S. Congregatio: « Multi profecto dantur casus in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen est opportunum et subinde necessarium... Verum præmissis casibus exceptis, *promiscua et passim adhibita cujusque peccati mortalis retentio*, causa concipiendi majorem adversus crimina horrorem et acquirendi meliorem dispositionem ad beneficium absolutionis obtinendum, non est profecto medicina, nec castigatio congrua unquam invitis pœnitentibus adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus confessariis contra omne fas usurpata, et a tribus Romanis Pontificibus proscripta ». (*Collect. de P. F.* I, n. 321). Itaque justa causa dilationis absolutionis *per se* non esset, ut pœnitens jam sufficienter contritus interim majorem adhuc contritionem firmiusque propositum concipiat: confessarius enim jus non habet meliores requirendi dispositiones quam quas Deus exigit. Nisi ergo *alia specialis ratio* intercedat, ob quam confessarius, ut medicus aut doctor, aliter judicet, absolutionem differre non potest, sed eam statim concedere debet.

Atque hæc quidem obligatio generatim *gravis* est, saltem si de dilatione aliquanto diuturniore agitur, uti ex probatis manifestum est [1]. — Attamen, si materia confessionis fuerit *levis* aut *libera*, hujusmodi arbitraria absolutionis dilatio aut negatio per se peccatum veniale non excederet, ut post Suarez ait S. Alphonsus (*H. Ap.* XVI, 118), quia pœnitens grave damnum non patitur et aliis etiam mediis veniam levium peccatorum obtinere potest; imo ob justam aliquam causam id omni peccato vacaret, v. g. si pœnitens esset scrupulosus aut si sæpius quam oportet accederet. Dico: *per se;* secus enim esset, si pœnitens inde scandalum sumeret vel id merito ægre ferret, ut fieri posset, si confessarius id « per modum regulæ » faceret. (Cfr. Decr. S. Congr. Ep. et Reg., 1 Oct. 1839).

---

[1] Neque hic cum aliquibus antiquis distinguere fas est inter parochum et alium confessarium; nam, ut ait S. Alphonsus, « licet alii confessarii non teneantur absolvere pœnitentes, antequam eos audiant, postquam tamen audierint, tenentur absolvere dispositos » (VI, 604).

434. — *Objiciunt* rigoristæ contra hanc primam partem praxim antiquæ Ecclesiæ. Pertendunt namque, in prioribus Ecclesiæ sæculis consuetudinem fuisse, saltem peccatores qui subjecti erant pœnitentiæ canonicæ, non statim, sed peracta dumtaxat hac pœnitentia, quæ diuturna erat, a peccatorum culpa absolvere.

Resp. De praxi antiquæ Ecclesiæ circa dilationem absolutionis sacramentalis usquedum pœnitentia canonica seu publica peracta esset, multum quidem inde a tribus sæculis ab eruditis catholicis disputatum est et adhuc disputatur [1]. Multi quidem, imprimis theologi, volunt absolutionem *sacramentalem a culpa* ordinarie concessam fuisse statim vel paulo post confessionem, absolutionem vero a pœna canonica post hanc peractam. Atvero, etiamsi cum multis historiæ peritis admittatur, absolutionem sacramentalem a culpa tunc temporis ordinarie datam fuisse post peractam pœnitentiam canonicam: dogmatice tamen certum est, ex institutione Christi illam pœnitentiam publicam non requiri ad essentiam judicii sacramentalis. Unde historice quoque constat — idque concedunt ipsi patroni alterius sententiæ —, etiam in antiqua Ecclesia episcopos et sacerdotes haud raro dedisse absolutionem a culpa sine pœnitentia canonica, eosque pœnitentiam illam temperasse pro varia peccatorum gravitate, pro dispositionibus pœnitentium eorumque majore utilitate. Praxis igitur dandi absolutionem a culpa post peractam illam pœnitentiam ad disciplinam dumtaxat ecclesiasticam pertinebat. Severior illa disciplina utilis quidem erat primis illis sæculis, quo fideles, quorum multi erant neo-conversi, a peccatis majoribus et corruptis Gentilium moribus plane deterrerentur. Postea vero, frigescente fide, ab Ecclesia merito abrogata fuit. — Inaniter igitur rigoristæ provocant ad praxim priorum sæculorum, ut absolutionem a culpa passim differendam esse probent usque ad exactam pœnitentiam sacramentalem.

Merito tamen supra (n. 431) dixit Suarez: « Si rationabilis causa intercedat, non est dubium quin absolutio differri possit in bonum et commodum ipsius pœnitentis », ut nunc probandum est.

Probatur altera pars

Confessarium, præcipue ut medicum, pœnitenti, quem ut judex sufficienter contritum esse censet, interdum ob gravem rationem absolutionem differre *posse*, idque *per se* etiam sine positivo hujus consensu (cfr. supra n. 428 *c*, 429), « *certum* est et *commune* apud omnes », ut ait S. Alphonsus in textu (§ 1, p. 357). — Probatur autem tum ratione, tum auctoritate.

---

[1] Cfr. hinc Palmieri, *De Pœn. Appendix*, § 2; Pignataro, *De Disciplin. Pœn.* p. 100 sqq.; illinc Galtier, *De Pœnit.* thes. XIV et XV.

I. — *Ratione.*

435. — 1° Est enim *principium generale*, quod Christus, licet voluerit ut sacramenta dignis conferantur, tamen modum et tempus ea conferendi reliquerit iudicio ministrorum Ecclesiæ, qui hac in re procedere debent, utique non pro mero suo libitu, sed juxta majus bonum subditorum. Sic alia quoque sacramenta, e. g. Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, etc., nequaquam semper statim administrantur, quando a rite dispositis petuntur, sed sæpe propter graves rationes aliquo tempore differuntur, e. gr. ut melius adhuc instruantur vel magis disponantur, ut certior sit digna sacramentorum susceptio, majorque sit et constantior eorum efficacia, etc. Idem dicendum est de sacramento Pœnitentiæ, quod etiam aliquando differri potest ob bonum pœnitentis, quo major et constantior sit hujus sacramenti vis et efficacia, meliorque pœnitentis curatio; qua de re confessarius non solum ut judex, sed etiam ut medicus vel doctor judicare debet. — Late hoc argumentum prosequitur Lugo (infra n. 440).

Huic principio non obstat, quod pœnitens confessus et sufficienter contritus jus habeat ad absolutionem, quum sacramentum jam incœptum sit. Nam, ut vulgo theologi dicunt, pœnitens, licet jus habeat ad absolutionem, tamen, si justa adest eam differendi causa, jus non habet ut *statim* eam accipiat vel ut statim sacramentum compleatur. (Cfr. S. Alph. in textu § 1).

436. — 2° Deinde, ipsa Ecclesia hoc principium applicatum vult sacramento Pœnitentiæ per antiquam illam *praxim de casuum reservatione;* qua de re hæc docet conc. Tridentinum: « Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur » (*sess.* 14, *cap.* 7). Iamvero, quia plurimi pœnitentes non illos summos sacerdotes seu Episcopos, sed solum sacerdotes inferiores pro absolutione obtinenda adire possunt vel adeunt, necessario ipsis, etsi certo dispositis, absolutio per aliquod tempus differenda est. Habes hic igitur principium dilatæ absolutionis. Difficilior illa absolutionis consecutio seu peccatorum retentio ex antiqua Ecclesiæ praxi magnopere confert ad mores corruptos corrigendos. Pariter ergo concludere fas est, etiam aliis in casibus non semper et necessario absolutionem statim dandam esse pœnitenti contrito et disposito, sed eam interdum differri posse, quando nempe confessarius judicat hanc difficiliorem absolutionis consecutionem seu dilationem valde conferre ad pœnitentis correctionem et emendationem. — Hanc rationem bene exponunt Viva et Lacroix (infra n. 461, 462).

437. — 3° Præsertim autem theologi hanc confessarii facultatem ex eo ostendunt, quod ipsi, quemadmodum S. Alphonsus (in textu

§ 1), ait « non solum judicis, sed *etiam medici* competit munus » uti supra (n. 146) ostensum est. Re sane vera; potest enim medicus aliquando infirmo, etiam non consentienti, præbere remedium quoddam utile sed ingratum. Atqui dilationem absolutionis prudenter impositam aliquando esse remedium contra relapsum, theologi censent communiter et confirmat confessariorum experientia (cfr. infra n. 460 sqq.). Quod non ita intelligendum est, ac si dilatio *per se* id efficeret, ut vires pœnitentis contra futuras tentationes et relapsus augerentur — id enim plane absurdum esset —, sed eo sensu quod pœnitens haud raro *occasione* dilationis, salutari perculsus timore, excitetur ut alia remedia, puta fugam occasionum, orationem, debitam vigilantiam, Dei gratia actuali adjutus, melius adhibeat et ita etiam in posterum peccata efficacius evitet (cfr. n. 463). Est enim sacramentum Pœnitentiæ « *medicina* præservans », ut S. Thomas loquitur (*Suppl.* q. 12, a. 3, ad 3); sed modus et tempus ministrandæ hujus medicinæ pendet ex prudenti judicio confessarii, quatenus est medicus.

438. — Neque ad hanc dilationem *consensus* formalis et expressus pœnitentis requiritur. Etenim pœnitens, *eo ipso* quod se subjicit ministro sacramenti Pœnitentiæ, qui non solum judex sed etiam medicus est, renuntiat juri quod, spectato in confessario solum judicis munere, habere posset ad absolutionem continuo recipiendam. Hæc enim duo munera Christus in ministro Pœnitentiæ conjuncta voluit. Unde pœnitens accedens ad confessionem non potest se submittere sacerdoti solummodo in quantum hic judex est, præterita peccata remittens; sed *tenetur simul* se etiam subjicere sacerdoti, *in quantum medicus est*, qui aptis mediis peccata quoque futura antevertere debet. Ergo pœnitens *consentire tenetur* in absolutionis dilationem, quando sacerdos ut medicus hanc ad ejus curationem valde utilem vel necessariam duxerit. Ita optime ratiocinatur Lugo (cfr. infra n. 440). Hoc igitur casu pœnitens esset *irrationabiliter* invitus, et confessarius hujus dissensus rationem habere per se non tenetur. (Cfr. tamen supra n. 428 *c*, 429 et infra n. 447, 457).

439. — Neque *opponatur:* sacramentum Pœnitentiæ est etiam medicina; medicina autem, nisi applicetur, non medetur. — Nam est medicina *per se*, id est si pœnitens sub omni respectu aptus et dispositus est ad eam recipiendam. *Per accidens* tamen, id est propter conditiones hujus pœnitentis qui, statim adhibita medicina, facilius et citius in peccatum relaberetur quam si non statim adhiberetur, *hic et nunc* nondum erit bona medicina. Sic in casu infirmitatis corporalis aliquid potest esse optima in se medicina: sed pro hoc infirmo in hac conditione malum augere potest et causa esse ut iterum in febrim et pristinam infirmitatem incidat. Nota est illa therapeiæ regula: cura medici requiritur, non semper statim medicina. Debet aliquando medicus ægrotum viribus naturalibus relinquere, ut postea medicina ab ægroto expedita meliorem habeat effectum. Ita quoque confessarius interdum medicinam spiritualem absolutionis, etsi

pœnitens eam postulet, utiliter differet, ut hic interim, sub influxu gratiæ actualis, utatur mediis ac viribus ordinariis, uti sunt fuga occasionis, salutaris timor, instantior oratio, firmius propositum; quæ media pœnitens parum aut nihil adhiberet si statim ipsi medicina absolutionis administraretur. Adhibitis prius hisce mediis ac viribus ordinariis, absolutio postea ægrotum spiritualem multo melius adjuvabit.

Itaque licet ratio theologica probet, pœnitenti per contritionem sufficienter disposito *ordinarie* et *per se* absolutionem statim conferendam esse: eadem tamen ratio quoque demonstrat, confessario ut *medico* jus competere, ob specialem huius pœnitentis conditionem, *interdum* et *quasi per accidens* differendi ipsi per breve tempus absolutionem, ut ita efficacius curetur meliusque a relapsu præmuniatur; neque pœnitens id suo dissensu prohibere potest, quum se confessario, non solum ut iudici, sed etiam ut medico, subjicere debeat.

440. — Hanc thesis partem de industria tractat et solide probat Card. De Lugo (*De Pœn.* disp. 14, n. 167-171), refutans contrariam sententiam Joannis Sanchez (cfr. supra n. 428 *c*); quem locum, etsi prolixiorem, pro rei momento hic subjicere e re nostra erit. Ait ergo: « Quidam auctor modernus, Joannes Sancius, dicit confessarium non posse non absolvere statim pœnitentem habentem *dispositionem requisitam* doloris et propositi... Contrariam sententiam docent *communiter* theologi, quos congerit Diana; et quidem in hoc etiam puncto aliqua certa sunt, in quibus omnes conveniunt. Primo, posse ex consensu pœnitentis differri absolutionem — volenti enim non fit injuria, — atque adeo optime facturum confessarium, si pœnitentem suaviter alliciat ad consentiendum. Secundo certum est, quando dilatio, ut dicebam, necessaria est ad explorandum firmum propositum pœnitentis, de quo non satis constat, posse et debere differri absolutionem. Tertio, non posse licite differri absolutionem, quando pœnitens est sufficienter dispositus et ex dilatione timetur damnum potius spirituale, quam speretur utilitas pœnitentis, ut puta quod tædio affectus non redibit, vel in desperationem actus habenas vitiis laxabit etc. Quarto denique certum est, non debere absolutionem differri absque aliqua justa et rationabili causa quæ prudenter dictet esse differendam. — Difficultas ergo esse potest, *an possit esse causa rationabilis aliquando ad differendam absolutionem absque consensu pœnitentis*, licet ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus? [1].

---

[1] Ut ex toto contextu liquet, Lugo hic per « *probabiliter* dispositum » intelligit « pœnitentem habentem dispositionem *requisitam* », « *sufficienter* dispositum », « de cuius proposito *satis constat* », « *legitime* dispositum », qui « *habet jus* ad sententiam et absolutionem », quem confessarius *ut judex* absolvere potest. Cfr. supra (n. 395 sqq.), ubi ostensum est, auctores communiter non veram et perfectam certitudinem de pœnitentis dispositione postulare. sed illam *prudentem probabilitatem*, quæ, licet prudentem formidinem admittat, dubium tamen prudens et proprie dictum excludit, atque ideo etiam *certitudo probabilis* seu *certitudo moralis late dicta* vocatur. De hujusmodi igitur pœnitente Lugo quærit, utrum confessarius ipsi *absque ejus consensu* aliquando absolutionem differre possit, an eam semper statim concedere debeat, uti volebat Joannes Sanchez. Censet autem Lugo, huic, etsi sufficienter et legitime disposito, ob rationabilem causam aliquando per aliquot dies absolutionem differri posse « ad melius probandum et confirmandum illud propositum » (n. 167); utique, quia quo melius probatum et confirmatum est pœnitentis propositum, eo certior est eius præmunitio a relapsu.

« In quo *procul dubio videtur vera communis sententia affirmans.* Cujus ratio desumitur ex fundamento contrario. Nam licet pœnitens *legitime dispositus*, confessione facta, *habeat jus* ad sententiam et absolutionem, non tamen habet jus ad hoc ut *statim* proferatur sententia. Potest enim *judex* arbitrari, quomodo et quando debeat utilius proferri sententia;... *nec potest pœnitens id impedire* aut cogere sacerdotem ad absolutionem statim impertiendam. — Potest item sacerdos ante absolutionem docere pœnitentem quem videt multis ignorantiis involutum, quæ de cetero possunt ipsum in plura peccata inducere; et hoc ipsum spectat ad munus *doctoris* quod confessarius exercet... Similiter ergo, quando merito timet, pœnitentem nunc absolutum facile relapsurum statim in eadem crimina, nisi, ipsa difficultate et dilatione absolutionis territus, melius agnoscat gravitatem peccati et necessitatem emendationis, poterit differre absolutionem, ut pœnitens utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias certissime subiret.

« Confirmatur ex *communi* doctrina theologorum qui dicunt posse confessarium *aliquando* obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam *ante* absolutionem; quod licet non possit facere per modum vindictæ et punitionis, potest saltem facere *per modum medicinæ*, quando judicat id esse necessarium vel utile pœnitenti [1].

« Ratio autem a priori est, quia confessarius non solum est judex, ut dixi, sed *etiam medicus.* Unde, sicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium judicis punientis, ut debeat simul exercere officium medici curantis, atque adeo procurare quod impositio pœnitentiæ sit in utilitatem et medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus et fortis contra tentationes: sic in proferenda absolutione, licet principaliter exerceat munus judicis absolventis pœnitentem dispositum, debet tamen simul procurare ut medicus in ipsa absolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo absolvendo qui magis cedat in utilitatem et remedium ægroti. Ad utrumque enim *habet ius confessarius ; nec potest prohiberi a pœnitente quod in ipsa absolutione exerceat officium medici*, sicut nec potest ab eo prohiberi quod in impositione pœnitentiæ non sit merus judex, sed etiam exerceat officium medici.

« Cum ergo confessarius judicat, expedire dilationem absolutionis ad hoc ut pœnitens reddatur magis cautus et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur, *potest certe et debet aliquando ut medicus* hoc remedium pœnitenti adhibere; nec potest ægrotus *rationabiliter* conqueri adversus medicum, cui se in hoc sacramento curandum tradidit. Neque in hoc debemus recedere a *sententia communi ;* cui adstipulatur *experientia* multorum pœnitentium debilium, qui hoc remedio adhibito brevi tempore solent curari; et pro pueris potissimum videtur magis necessarium, qui hoc modo melius concipiunt necessitatem perseverantiæ in proposito non peccandi ». — Hæc hactenus Lugo.

II. — *Auctoritate.*

441. — Jam supra (n. 291 sq.) rationes exposuimus, ob quas medii ævi auctores parum aut nihil de dilatione absolutionis quoad recidivos formales locuti sint. Eædem valent etiam in hac nostra quæstione ubi

[1] Itaque juxta Lugonem et communem doctrinam confessarius etiam ut pœnitentiam et satisfactionem salutarem imponere potest, ut pœnitens *ante* absolutionem v. g. personam complicem dimittat, occasionem relinquat, rem alienam, famam restituat, etc.

agitur de differenda absolutione peccatori sufficienter disposito. Videlicet antiquitus, præsertim usque ad sæculum XIII, confessarii generatim pro norma agendi sequebantur libros pœnitentiales, postea generales præscriptiones Ritualium. Ceterum quisque ratione practica et discretione supernaturali in modo ministrandi sacramentum Pœnitentiæ, in absolutione conferenda aut satisfactione imponenda regebatur. S. Thomas generatim dicit: « Potestas clavium est potestas rationalis, cum habeat *discretionem* adjunctam, ergo habet se ad opposita; ergo si potest solvere, potest et ligare ». (*Suppl.* qu. 18, a. 3). Et brevi post docet, quod sacerdos non potest ligare et solvere secundum proprium arbitrium, sed « quod arbitrium illud debet esse *divino instinctu regulatum* » (art. 4, ad 1).

Quo magis autem theologia moralis et pastoralis progrediebatur, theologi, maxime post concilium Tridentinum, plures statuebant de absolutione conferenda aut differenda prudentiæ et discretionis regulas, ratione et experientia fundatas, juxta varias pœnitentium species, variumque eorum statum psychologicum, ut ita duplex hujus sacramenti finis, qui est præterita peccata remittere et futura prævenire, efficacius obtineretur. Quapropter merito Ballerini, agens *de differenda absolutione pœnitenti disposito*, hæc scribit: « Summopere interest perpendere originem rationemque hujus praxis: cujus etsi vix vestigium in scriptis antiquiorum theologorum [1] appareat, perperam tamen inde ansam cum nonnullis quis sumeret Jansenianis illam ceu primis auctoribus tribuendi; utcumque isti tum eadem tum veteri canonicæ pœnitentiæ disciplina ad arcendos fideles a sacramentis insigniter abusi fuerint, fictaque sub specie fucum facere nonnullis catholicis aliquando potuerint. Originem itaque istius praxis si inquiras, facile reperies, eam deberi studio novas usquequaque industrias excogitandi, quibus fideles amplius juvari posse quibusdam in adjunctis forte viderentur; rationem vero ejusdem ac finem in eo fere situm, ut pœnitens, qui ob segnitiem in obligatione quadam implenda novas in dies et menses atque etiam annos moras usque nectere soleret, demum excitaretur ad manum operi admovendam » (*Opus. De Pœn.* n. 191).

442. — Ut igitur hanc *alteram* thesis partem *auctoritate theologorum* probemus, recordandum est, tum Card. De Lugo (supra n. 440), tum S. Alphonsum (p. 357, § 1) nostram doctrinam dixisse *communem* inter theologos. — Quam verissimum hoc sit, fuse ostendimus in nostra dissertatione, cui titulus: *De conferenda absolutione sacramentali juxta can.* 886 *Codicis Juris Can.* (p. 13-36), ubi ipsa verba adduximus ingentis numeri theologorum, non solum antiquorum sed etiam recentium; ex quibus ad liquidum constat, nostris quoque temporibus auctores *consensu unanimo* huic sententiæ adhærere. Pro eorum textibus, ne opus nostrum nimis excrescat, lectorem remittimus ad hanc dissertationem. Hic tantum eorum nomina allegasse sufficiat.

Ex *antiquioribus*, præter alios, hos citavimus: *Suarez* (De Relig. vol. 2, tr. 5, lib. 3, c. 8, n. 7); *Thomas Sanchez* (Dec. lib. 2, cap. 32,

[1] Per antiquiores theologos auctor hic illos intelligit qui ante sæc. XVI floruerunt.

n. 45); *Filliucci* (tom. 1, tr. 7 in f. Brevis Instruct. a. 3); *Toletus* (Instruct. Sac. lib. 3, cap. 18, a. 3); *Lessius* (Auctuarium. v. Confess. cas. 7); *Reginaldus* (Praxis, lib 18, n. 87); *Tanner* (De Pœn. qu. 9, n. 113, 114); *Bonacina* (II Dec. præc. disp. 4, qu. 1. punct. 13, n. 7); *Arriaga* (De Pœn. disp. 38, n. 40); *Dicastillus* (De Pœn. disp. 6, n. 374); *Salmanticenses* (De Pœn. cap. 5, n. 67-68); *Cardenas* (Cris. IV, diss. 39, n. 10 sqq.); *Busenbaum* (ap. S. Alph. VI, 603); *Duarte* (Brevis expos. prop. n. 148); *Ven. Segneri* (Conf. istr. c. 4, in f.); *Viva* (In prop. 60 Innoc. XI, n. 8-13); *Lacroix* (De Pœn. p. 2, n. 1764); *Roncaglia* (De Pœn. qu. 5, cap. 4, qu. 5); *S. Leonardus a P. M.* (Disc. n. 14); *Andreucci* (Conf. recid. n. 10); *Reuter* (Neo-Conf. n. 178) [1].

Ex theologis S. Alphonso *recentioribus* adduximus qui sequuntur: *Gury* (Comp. Th. Mor. II, n. 621); *Ballerini* (De Pœn. n. 193); *Berardi* (De Recid. n. 174, III); *Frassinetti* (Theol. mor. tr. 16, n. 461); *Müller* (Th. mor. III, § 154, n. 3); *Lehmkuhl* (Th. Mor. II, 557); *Card. D'Annibale* (Summula. III, 342); *Card. van Rossum* (Comm. de jud. sacr. ed. 2, n. 48); *Noldin* (Th. mor. III, 406, 411); *Bucceroni* (Th. mor. II, 809); *Génicot* (Th. mor. II, 366). Hisce adde omnes illos auctores, utique complures, qui inde ab uno sæculo S. Alphonsum pressius ut suum magistrum sequuntur.

443. — *Conclusiones*, ad quas post sedulam hanc inquisitionem pervenimus, hæ sunt:

« 1º Theologi inde a sæculo XVI *communiter* docent confessarium, præcipue *ut medicum, posse aliquando* per breve tempus absolutionem differre etiam pœnitenti, quem *ut judex* sufficienter contritum et dispositum esse censet; hancque dilationem, prudenter adhibitam, ut aptum remedium habent ad ejus emendationem. Solus fere Joannes Sanchez, alias Sancius, qui ab omnibus laxista habetur, in opere a S. Sede prohibito id numquam consilium esse docet.

« 2º *Communiter* etiam theologi hoc statuunt principium, pœnitentem dispositum, etsi jus habeat ad absolutionem, tamen *non semper jus habere ut statim absolvatur.*

« 3º Quod attinet ad *consensum pœnitentis* pro tali dilatione, nullus theologus eum ut necessarium, seu ut conditionem sine qua non, postulat; quinimo post Lugonem quamplurimi, nemine contradicente, expresse docent, eum non requiri. Unde plures (Lugo, Salmant., Cardenas, S. Alph.) simpliciter asserunt, *communiter* hunc consensum non haberi necessarium. Attamen, si pœnitens di-

[1] Multorum horum theologorum verba alibi quoque in hoc opere recitavimus. Cfr. n. 460 et sqq.

lationi ita esset invitus, ut hæc ipsi magis obfutura quam profutura prævideatur, hoc remedium adhiberi prohibent ».

Undique igitur, tum ratione theologica tum auctoritate, demonstrata manet hæc *altera* thesis pars, ita ut jure meritoque S. Doctor noster (supra p. 357, § 1) eam « certam » et Lugo (supra n. 440) « veram » esse censeant.

Scholion

De sensu canonis 886 *Codicis Juris* [1].

444. — Canon hic ita sonat: *Si confessarius dubitare nequeat de pœnitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est.*

Jamvero, hunc canonem doctrinæ hactenus expositæ non obstare, jam *a priori* dicere licet, quum minime supponendum sit, Ecclesiam hic aliquid statuere voluisse quod adversetur sententiæ, quam theologi, quos inter multi erant sanctitate et doctrina conspicui, per tria et amplius sæcula *unanimo consensu* expressisque verbis docuerunt et inconcussis, ut videtur, rationibus probaverunt [2]. Idem ex eo quoque patet, quod in anterioribus Sedis Apostolicæ documentis eadem ac communis illa theologorum doctrina clare indicatur et confirmatur (cfr. infra n. 449). Accedit denique quod, si hic canon explicatur contra commune theologorum placitum et juxta singularem Joannis Sanchez sententiam, sequeretur sacramenti Pœnitentiæ praxis quæ nimis laxa animarumque saluti haud parum damnosa esset (cfr. n. 450).

Optima tamen ratione hic canon ita explicari potest, ut cum communi theologorum doctrina plane concordet. — Quapropter ad singula ejus verba attendamus.

445. — 1° Hic canon in primo inciso postulat, ut « confessarius *dubitare nequeat* de pœnitentis dispositionibus ». Jamvero, si pœnitens consentire nolit in absolutionis dilationem, quam confessarius valde utilem aut quasi necessariam judicat ad melius ipsum a relapsu præmuniendum, generatim jam non dici potest quod confessarius, ut canon dicit, « *dubitare nequeat* de pœnitentis dispositionibus ». Etenim, ut supra (n. 438) cum Lugone diximus, pœnitens *tenetur* se subjicere confessario, *etiam tamquam medico:* tenetur enim vitare *periculum proximum relapsus.* Haud raro autem ab illo periculo solum liberabitur per prudentem hujusmodi dilationem. Ita e. gr. occasionarius, etsi hic et nunc satis contritus, nisi occasionem

---

[1] Vide dissertationem nostram *De conferenda absolutione sacramentali juxta can.* 886 *Codicis Juris Canonici* (Romæ, Desclée, 1919).

[2] Cfr. supra n. 435-437, item argumentationem Lugonis ib. n. 440.

voluntariam valde periculosam *in esse*, puta concubinam, ante absolutionem removeat, propter vehementem affectum erga personam turpiter amatam ordinarie post acceptam absolutionem manet in gravi periculo non exsequendi quod proposuerat, seu non removendi illam occasionem, ac proinde relabendi. (Cfr. supra thes. 5). Recidivus, qui iam pluries absolutus ob animi levitatem semper fere neglexit adhibere alia remedia a confessario indicata, uti sunt oratio, fuga occasionum, major vigilantia etc., aliquando per solam absolutionis dilationem efficaciter excitabitur, ut culpabilem illam ignaviam excutiat remediaque adhibeat; sine qua dilatione in eadem negligentia, ac proinde in eodem periculo proximo relapsus remansurus esset (cfr. infra n. 452). In hisce igitur aliisve casibus, si pœnitens consentire non vellet in dilationem absolutionis adeo utilem, etsi hic et nunc *per se* vere contritus esset de peccatis præteritis, firmiterque ea in posterum evitare proponeret, tamen *per accidens* sub omni ratione dispositus non esset; quippe quum adhibitum non velit adeo efficax remedium quo a relapsu custodiatur. Unde confessarius merito dubitare posset de illa dispositione, quam postulare potest et debet; a. v. si hujusmodi pœnitens confessario ut medico obedire non vult, certe prudens ingenerat dubium, eum neque dispositum esse, ut ab eo tamquam judice absolvatur.

446. — 2º Huic consona est hæc interpretatio. Canon loquens dein « de pœnitentis *dispositionibus* », intendit *complexum omnium dispositionum*, quas confessarius, sive ut judex sive ut doctor sive ut medicus, postulare potest, ut pœnitens absolvatur; quæ si adsunt, sane confessarius pro arbitratu suo absolutionem differre nullo modo potest, sed eam petenti statim conferre debet. Aliis verbis: si pœnitens, uti in thesi diximus, est *sub omni respectu* rite dispositus (cfr. n. 427), absolutio differenda non est, sicut in prima parte (n. 431 sqq.) probatum est. — Verum enim vero, optime fieri potest, ut pœnitens illam quidem habeat dispositionem, quæ hic et nunc absolute ad validam sacramenti Pœnitentiæ receptionem sufficiat, id est veram contritionem de peccatis *præteritis* cum firmo proposito non peccandi de cetero: attamen ut a peccatis *futuris* efficaciter custodiatur, interdum expedit vel etiam necessarium est certiores afferre dispositiones, ita scilicet ut non verbis solum, sed seriis quoque conatibus firmum suum propositum ostenderit. Quæ dispositiones si desunt, pœnitens jam non est undique et omni ex parte rite dispositus ac paratus ad absolutionem statim recipiendam. Quapropter, si aliunde nihil obstat, confessarius, præcipue ut medicus, ipsi absolutionem differre potest (cfr. n. 428, 429). Hoc sensu theologi communiter dicunt: pœnitens, etsi jus habeat ad absolutionem, tamen non semper jus habet ut eam *statim* accipiat. Sensus ergo canonis hic est: « Si confessarius — *ut est judex, doctor et me-*

dicus — dubitare nequeat de pœnitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est ». — Quocirca notare forte juvabit, canonem loqui in numero plurali de « dispositionibus ».

447. — 3º Denique quod spectat ad illam *petitionem absolutionis* de qua canon loquitur, hæc certe non adest, si pœnitens *consentit* dilationi. Jamvero, si confessarius judicat, brevem dilationem pœnitenti ceterum contrito et disposito re vera utilem esse ad ejus curationem, opus non est ut hujus consensum formalem et explicitum exspectet; sufficit consensus *implicitus*, qui eo ipso habetur quod pœnitens accedens ad confessionem se submittere vult confessario, etiam quatenus hic medicus est. Si lubet, dici etiam potest, sufficere consensum *interpretativum*, qui in eo consistit quod pœnitens præsumi debet hoc medium adhibere velle, si ipse videret id valde conducere ad suam emendationem. Imo, ut supra (n. 438) jam vidimus, pœnitens *tenetur consentire* in absolutionis dilationem, si confessarius ut medicus eam ad ejus curationem conducere judicat; nam in sacramento Pœnitentiæ munus medici a judicis munere sejungi nequit, ac propterea pœnitens, etiam *vi contractus* taciti inter utrumque initi, se subjicere debet confessario, non solum ut judici, sed etiam ut medico. Quod si renueret pœnitens, irrationabiliter invitus esset, neque confessarius per se ejus petitionis et dissensus rationem habere tenetur. Canonem ergo recte ita interpretaberis: « Si pœnitens *rationabiliter* petat, absolutio differenda non est ». — Dico: *per se*, supposito scilicet quod dilatio nihilominus ipsi proficeret; id quod optime fieri potest (cfr. n. 429). Verum si pœnitens, hujus remedii utilitatem non videns, ita instanter peteret absolutionem atque ita se monstraret invitum dilationi, ut hæc ipsi magis obfutura quam profutura esset, v. g. quia a confessione averteretur vel damnum exinde pateretur, absolutio non esset differenda sed statim conferenda: tunc enim circa obligationem submittendi se confessario, ut est medicus, in bona fide relinqui posset. (Cfr. n. 428 sq. et n. 457, 1º).

Hæ variæ canonis interpretationes in idem fere recidunt, et una alteram complet atque sustentat.

448. — Itaque Ecclesia per hunc canonem iterum prohibere voluit praxim Jansenistarum atque antiquorum — et quorumdam forte etiam recentium — rigoristarum, qui nimis facile et promiscue peccatoribus absolutionem differebant. *Nihil* autem *novi* contra unanimem antiquorum et recentium theologorum doctrinam introducere voluit, sed solum statuere, quid *per se* et *ordinarie* agendum sit, videlicet: pœnitenti disposito seu sufficienter contrito generatim absolutio statim concedenda est. Minime tamen prohibere voluit, quominus *per accidens*, propter *graves et speciales rationes*, quæ *ali-*

quando occurrere possunt, absolutio per breve tempus differatur, si confessarius, ut medicus, id juxta probatam theologorum doctrinam pro sua prudentia ad pœnitentis curationem expedire judicaverit. Aliis verbis: contra ac rigoristæ volebant, sit *regula generalis* pœnitenti contrito absolutionem statim concedere; quæ regula tamen *exceptiones* patitur ob speciales rationes et circumstantias.

Exemplum huiusmodi interpretationis habes in hac eadem materia quoad communem theologorum doctrinam, quæ confirmatur in Instructione S. Congr. de Prop. Fide mensis Augusti 1827 (supra n. 406), videlicet: Absolutio concedenda est rite dispositis, differenda dubie dispositis, deneganda indispositis (« illis differant, quorum pœnitentia incerta et suspecta merito habetur »). Quod *dubie dispositis* absolutio sit *differenda*, est sane *regula generalis*, per se et ordinarie sequenda; quæ tamen *exceptiones* admittit. Etenim, uti hodie communiter docent theologi post S. Alphonsum (VI, 432, 4º), dubie dispositis aliquando quasi per accidens et per modum exceptionis statim absolutio — utique sub conditione — est conferenda, si nempe bonum pœnitentis id postulat, v. g. quando « prudenter timetur, ut ait S. Doctor, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis tabescet » (cfr. infra thes. 22ª). Eadem igitur ratione etiam *rite dispositis* aliquando *per accidens* et per modum *exceptionis* absolutionem differre licet, si id conducit ad bonum pœnitentis.

Qua de re notandum est, canonem nostrum inveniri in Codice qui *proxime ad Jus canonicum*, non vero ad Theologiam moralem pertinet. Jus canonicum autem exhibet leges objectivas, et edicit quid *per se* juxta regulas *ordinarias* faciendum sit; dum Theologia moralis, præsertim ea pars quæ etiam pastoralis nuncupatur, confessarios docet, quid aliquando, spectatis variis rerum et personarum circumstantiis, ob rationes *speciales* et *extraordinarias* quasi *per accidens* vel per modum exceptionis juxta prudentiæ regulas agere expediat.

449. — Haud parum deinde *confirmatur* hæc nostra interpretandi ratio ex documentis, quæ in *Adnotationibus*, ab Em.mo Cardinali Gasparri codici Juris additis, referuntur: quæ quidem, etsi vim legis non habent, inserviunt tamen ad illustrandam *Ecclesiæ mentem* in explicandis singulis canonibus. Horum documentorum textus circa nostrum canonem ad verbum protulimus et discussimus in jam memorata nostra dissertatione *De conferenda* etc. (p. 38-48). — *Conclusio* autem nostra quoad mentem Ecclesiæ circa hunc canonem hæc fuit:

« 1º Plane reprobanda est doctrina et praxis Jansenistarum et rigoristarum qui volebant, satisfactionem seu pœnitentiam sacramentalem absolutioni præmittendam esse, vel saltem experimentum temporis per diuturnam absolutionis dilationem *passim* et pro omnibus *promiscue* peccatoribus necessariam esse ad veram pœnitentiam.

« 2º Contra, vere dispositis et contritis *ordinarie*, seu si nulla

specialis ratio obstet, absolutio statim post culparum confessionem est concedenda.

« 3º Attamen, uti in pluribus documentis expresse indicatur, aliquando *per modum medicaminis* absolutio etiam pœnitenti alioquin vere contrito differri potest, quo constantior sit ejus emendatio; de qua re confessarius, quatenus medicus est, pro sua prudentia judicare debet » (p. 48).

450. — Addere tandem lubet, *interpretationem oppositam* quæ fieret juxta singularem sententiam Joannis Sanchez, qui auctor est notorius laxista et eapropter a Sede Apostolica prohibitus, illam interpretationem, inquam, ducere ad justo remissiorem sacri tribunalis praxim, quæ *morum honestati animarumque saluti damnosa* esset. Ex hac enim interpretatione consequeretur, confessarium absolutionem differre non posse pœnitenti hic et nunc sufficienter contrito et absolutionem petenti, ut hic interea gravem aliquam obligationem impleat, v. g. removendi occasionem proximam, reconciliandi, denuntiandi, restituendi, adhibendi remedia contra relapsum, etc. Sufficeret enim simplex propositum hanc obligationem implendi, neque unquam, quoties tale propositum reperitur, ejus executio per absolutionis dilationem urgeri posset. Jamvero, hujusmodi praxis, non solum adversatur communi theologorum doctrinæ, sed etiam bonis moribus, animarumque saluti exitiosa videtur. Sic e. g. concubinarius qui concubinam occultam dimittere potest, *semper* statim absolvi deberet, quando ad confessionem accèdit et, post actum veri doloris et propositi dimittendi concubinam, absolutionem petit; quæ praxis esset contra regulas S. Caroli Borromæi, a S. Sede identidem confessariis enixe commendatas, quas passim secuti sunt alii viri sancti et doctissimi theologi. (Cfr. n. 117, 181 sqq.). Sic etiam luxuriosus qui frequentat lupanaria, habituatus in ebrietate, injuste possidens bonum alienum quod restituere potest, qui puerum aliosve corrumpere et ad peccatum turpe seducere solet, aliique hujusmodi occasionarii et recidivi, si absolutionem petunt et in ipso actu confessionis verum dolorem et propositum exhibent, toties quoties statim absolvi deberent, etiamsi confessarius ut medicus judicaret, eos per brevem absolutionis dilationem induci posse, ut has occasiones reipsa vitarent et sic emendarentur. Sæpe enim hujusmodi miseri luxuriosi, ebrii etc., in ipsa confessione, præsertim si — uti omnino oportet (cfr. supra thes. 17ª) — fervens accedit confessarii exhortatio, satis quidem peccatis dolent et proponunt, idque aliquibus signis specialibus ostendunt; sed semel absoluti postea propositum mutant, tentationibus allecti occasiones denuo quærunt et relabuntur, ac sic per annos in cæno peccatorum sordescere pergunt. Re vera, juxta hanc canonis interpretationem facilitas veniæ sæpe esset incentivum peccandi. Teste enim experientia, sæpenu-

mero hi infelices peccatores, qui firmi adhuc stant in fide, neque ullatenus sacramenta deserere vellent, per dilationis remedium salutari timore percuterentur et vitam pessimam efficacius emendare satagerent.

Quæ quum ita sint, certum nobis videtur canonem 886 eo sensu esse interpretandum ut concordet cum altera thesis nostræ parte et communi theologorum doctrina [1].

Probatur tertia pars

I. — *Ratione.*

451. — Supposito dilationi absolutionis aliunde nihil obstare (cfr. infra n. 457 sqq.), confessarius aliquando pœnitenti hic et nunc sufficienter contrito per breve tempus absolutionem differre non solum potest, sed *etiam debet;* quod quando occurrat, jam (n. 430) explicatum est.

Hanc partem supra in thesi 7ª (n. 145 sq.) abunde ex ratione probavimus, ad quam lectorem remittimus. Principium nobis videtur indubitatum, utpote necessario profluens ex illo quo fungitur confessarius officio *medici;* qui quidem, in dubio de variorum remediorum efficacia, ea remedia ad curandum graviter infirmum adhibere *debet,* quæ certo noverit esse utiliora et efficaciora. Tale autem remedium aliquando potest esse absolutionis dilatio. Quod ubi certo scit confessarius, hæc dilatio pœnitenti erit necessaria. Difficultas tantum est in applicando hoc principio; qua in re multa prudentia opus est, ut infra (n. 457 sqq.) videbimus.

452. — Ultima autem ratio intrinseca, cur confessarius interdum *teneatur* differre absolutionem pœnitenti hic et nunc satis contrito, hæc est. Confessarius ratione officii sui, in quantum potest, pœnitentem *avertere debet a periculo proximo* relapsus. Tale enim periculum vitare vel saltem adhibitis remediis remotum reddere, est gravis obligatio pro pœnitente; quam obligationem ut pœnitens adimpleat, confessarius pro virili sua parte curare et urgere debet. Atqui interdum *unicum* medium retrahendi pœnitentem a tali periculo proximo et curandi ut hic gravem illam obligationem adimpleat, est absolutionis dilatio. Hoc ratione psychologica et experientia constat. Haud raro enim peccatores occasionarii aut recidivi jam pluries

---

[1] Idem sentiunt alii qui post promulgatum Codicem Juris scripserunt, uti Vermeersch (*Theol. Mor.* III, n. 496, ubi ad nostram dissertationem lectorem remittit), Tanquerey (*Brevior Synopsis Th. Mor.* n. 1137, 1138), Arregui (*Summ. Th. Mor.* n. 622), Racca (*Th. Mor. Synopsis* n. 1038,) Marc-Gestermann (II, n. 1817), Aertnys-Damen (II, n. 449), Génicot (II, n. 366), nostram quoque citans dissertationem. Consentiunt quoque «*Civiltà Cattolica*» (Dic. 1920, p. 457) aliaque plura scripta periodica quæ opusculum nostrum laudarunt.

absoluti, licet hic et nunc per verum dolorem firmumque propositum per se satis sint dispositi, tamen adeo animo affecti sunt erga aliquam personam aut rem illicitam, vel hactenus adeo ignavi et socordes fuerunt in implendis promissis, ut sola exoptatæ absolutionis dilatione moveri et quasi urgeri possint ut de facto v. g. occasionem proximam voluntariam physice removeant, ut restituant, ut denuntient, se reconcilient etc., vel etiam ut remedia ipsis a confessario contra relapsum præscripta de facto adhibeant. Quod si non præstant ante absolutionem, hac semel accepta propter illam animi levitatem et mobilitatem *manent in proximo periculo* non implendi hanc gravem obligationem, ac proinde relabendi in pristinum statum. Confessarius ergo, si aliunde nihil obstat, hisce in casibus absolutionem differre non solum potest, sed etiam debet. (Cfr. supra n. 445, 450).

II. — *Auctoritate.*

453. — Auctoritate quoque hæc tertia thesis pars confirmatur. Nam theologi complures, tum antiqui tum recentes, expresse hanc obligationem sustinent, etiam quoad pœnitentem per se rite dispositum.

Ex *antiquioribus* hos accipe:

Lugo, ut supra (n. 440) jam vidimus, circa pœnitentem « legitime et sufficienter, uti ait, dispositum » docet:

« Cum confessarius judicat expedire dilationem absolutionis ad hoc ut pœnitens reddatur magis cautus et confirmetur in proposito non peccandi, nec ita facile postea relabatur, potest certe, et *debet aliquando* ut medicus hoc remedium pœnitenti adhibere ».

Arriaga etiam de pœnitente bene disposito agens ait:

« Quando confessarius videt alia remedia nequaquam prodesse, ne ipsa facilitate absolutionis ille in sua mala consuetudine peccandi obduretur, si judicet eam dilationem ei fore frenum ad se continendum, poterit et vero *debebit* confessarius eam absolutionem differre » (*De Pœn.* disp. 38, n. 40).

Dicastillus censet quidem in praxi ordinarie non expedire absolutionis dilationem; sed tamen cum Lugone docet:

« Si prudenter timeat confessarius, semel absolutum pœnitentem non amplius curare data servare consilia aut remedia, nisi ob dilatam absolutionem deterritus melius gravitatem agnoscat et periculosum statum in quo est, ipsa *prudentia et charitas exigit* talis remedii usum » (*De Pœn.* disp. 6, n. 374).

Salmanticenses eodem fere modo loquuntur ac Dicastillus; idque habent inter « *communiter* recepta » (*De Pœn.* cap. 5, n. 67).

Viva dicit:

« Ex munere medici *tenetur* etiam, nedum potest, confessarius absolutionem differre, quamvis prudenter judicet quod pœnitens hic et nunc vere doleat, si ipse existimet facilitatem absolutionis antea collatæ dedisse ansam relapsibus... Quare quando confessarius judicat, dilationem absolutionis esse *necessariam*

ad facilem relapsum impediendum, tunc *tenetur* illam differre » (*In prop.* 60 *Innoc. XI*, n. 8; item n. 13).

Neque aliter RONCAGLIA:

« Confessarius qua medicus tenetur etiam futuros relapsus impedire, adeoque qua talis *debebit differre* absolutionem pœnitenti etiam rite disposito, quando judicat ita necessarium esse ad obtinendam emendationem » (*De Pœn.* qu. 5, cap. 4, qu. 5).

ANDREUCCI, postquam contra rigoristas egit « spectato dumtaxat in confessario munere judicis », sic pergit:

« Non inficior, spectato medici munere, *obligari aliquando* sed raro confessarium differre absolutionem, etiamsi cognoscat pœnitentem dispositum, id est actu dolere et proponere; aliquando nec raro esse consilium eam differre; quod pendet ex confessarii prudentia » (*Conf. recid.* n. 10).

REUTER etiam consentit: agens enim de casu quo « confessarius prudenter judicet pœnitentem hic et nunc esse dispositum » ait:

« Ad confessarium, utpote medicum, pertinet non solum vulnera curare præsentia, sed etiam media præservativa a relapsu adhibere. Hinc, si dilationem judicaverit necessariam, *tenetur* differre absolutionem » (*Neo-conf.* n. 178).

Cum hisce omnibus igitur docet quoque S. ALPHONSUS in textu (supra p. 357, § 1), confessarium aliquando *teneri* absolutionem differre pœnitenti etiam sufficienter contrito. — Imo, nullus antiquus theologus probati nominis, quod sciamus, expresse dixit confessarium ad id numquam teneri; quod quidem fecisset, si aliorum sententiæ dissensisset.

454. — Sed etiam post S. Doctorem nostrum multi *recentiores* idem disertis verbis tenent.

GURY, tractans de pœnitente « rite disposito », ait: « Confessarius non est tantum judex, sed et medicus, ideoque recte potest, *imo aliquando debet* absolutionem differre, si judicat tale remedium animæ pœnitenti notabiliter profuturum esse. Ita expresse S. Ligorio... et alii *communiter* ». Hæc Gury in antiquis editionibus n. 468, et in editione Romana anni 1873, n. 621. In editionibus vero a Ballerini curatis expuncta sunt illa verba: « imo aliquando debet ».

BERARDI plures enumerat « casus exceptionales, in quibus non difficiliter accidit, quod confessarius possit, aut etiam *interdum debeat*, absolutionem differre pœnitenti, quamvis sit dispositus » (*De recid.* n. 135); qua de re, inquit, « sive auctoritas theologorum inspiciatur, sive res ipsa lumine rationis consideretur, dubitari non potest » (n. 138).

MÜLLER docet: « Absolutio... differri potest vel *etiam debet* sufficienter disposito, semper ac confessarius prudenter judicare potest, dilationem esse utilem pœnitentis emendationi » (III, § 154, n. 3).

FRASSINETTI ait: « In hoc casu quo quis semper promissa vitandi occasionem fallat, confessarius absolutionem differre *deberet*, etiam quando supponere posset, pœnitentem hic et nunc esse vere contritum et ideo satis dispositum, ut effectum absolutionis, id est gratiam sacramenti, recipiat » (*Compendio*, tr. 16, n. 461).

Card. D'Annibale dicit: « Certe dispositis (confessarius) quasi judex absolutionem quidem dare debet, sed quasi medicus non cogitur statim dare; immo, si id ad curationem pœnitentis necessarium duxerit, *debebit* eam differre » (*Summula*, III, n. 342).

Card. van Rossum cum S. Alphonso docet, « confessarium ex officio medici posse et *aliquando debere* recidivo disposito absolutionem differre, quando nempe pro ejus emendatione hoc utile vel necessarium esse judicat ». Quod quidem ita probat: « Inter duas medicinas medicus eligere debet illam, in qua major spes salutis reponenda est. Atqui, apud omnes in confesso est, et experientia constat, brevem dilationem aliquando multum conferre ad emendationem consuetudinarii, cum et horrorem peccati adaugeat, et studium vincendi consuetudinem exstimulet. Tunc ergo majus bonum est ad breve tempus carere gratia, cum spe retinendi gratiam in posterum, quam statim eam accipere cum præsenti periculo illam mox iterum amittendi, et in peccatis tabescendi » (*Comm. de jud. sacr.* n. 48).

Lehmkuhl hæc tradit: « Differri *debet* absolutio iis qui actu quidem satis dispositi sunt, at... qui utcumque gravem aliquam obligationem uno actu implendam implere debent, sæpe, *cogendi* sunt, ut *ante* ipsam absolutionem id faciant, e. g. magnam restitutionem, cum inimico reconciliationem, occasionis remotionem ». Et brevi post: « Ad quam (gravissimam difficultatem) superandam atque ad vim sibi inferendam pœnitens dilata interim absolutione urgeri *debet*, secus facile propositi atque promissi obliturus » (*Theol. Mor.* II, n. 557).

Mitto alios auctores qui ex professo S. Alphonsi doctrinam sequi solent, uti Aertnys, Marc, etc.

Advertas fac, hactenus allegatos auctores, tum antiquos tum recentes, omnes loqui de pœnitentibus *rite contritis et dispositis*. Quodsi multi non distinguunt inter peccatores communes et recidivos, quæ præcipiunt a fortiori de hisce recidivis valent.

Objectionibus satisfit

455. — Hanc tertiam tamen thesis partem impugnat Ballerini, quem aliqui recentes secuti sunt. Idcirco

1º Congerit textus multorum antiquorum theologorum qui dicunt, aliquando *utile* esse, *consilium* esse recidivis sufficienter dispositis absolutionem differre, eam differri *posse* etc.; ut inde inferat, juxta *communem* horum auctorum sententiam confessarium ad hoc *numquam teneri* [1].

Resp. Conceditur *antecedens:* negatur plane *consequentia*. Sane; omnes illi textus nihil faciunt contra nos, qui libentissime admittimus absolutionem differre sæpe tantum *consilium* esse, *utile* esse, eam

[1] Ait Ballerini: « Illud unum proderit advertere, quosdam paucos ulterius progressos contendisse, confessarium non modo posse absolutionem differre, sed ad id teneri. Verum isti... certe contra *communem* sententiam id affirmant » (*Nota* ad n. 621 Gury; item *Opus. De Pœn.* n. 192 sq.).

differri *posse* etc. Neque opus erat longo auctorum catalogo id probare: est enim, uti ajunt, apertam infringere portam. — Atvero non pauci, sed multi antiqui præterea expresse dicunt, hanc dilationem *interdum etiam præceptam* esse, ut ex textibus supra adductis constat; neque ceteri id negant, si Sancium aliosque paucos excipias. Ceterum, verissime dicit Ballerini, absolutionis dilationem « ex eorum (antiquorum) mente non esse transferendam ad remedium commune et quotidianum » (l. c. n. 198); est enim relative raro adhibendum.

2º Opponit Ballerini hanc rationem: « Remedium quodvis numquam necessarium dici potest, nisi sit unicum. Porro quod cum pœnitente jam disposito ad absolutionem medium unicum, quo cogatur ad quidpiam exsequendum, sit dilatio, hoc hypothesim nimis inverisimilem redolet » (ad n. 621 Gury). Ergo confessarius numquam remedium dilationis adhibere debet.

Resp. Transeat *major*. Distinguo *minorem:* dilatio *per se* sæpissime non est unicum remedium, *concedo; per accidens* aliquando non est tale, *nego*. Nam interdum recidivi, hic et nunc satis contriti, nimis negligentes sunt in adhibendis aliis remediis contra relapsum, et solummodo per salutarem absolutionis dilationem efficaciter moventur et quasi urgentur, ut illis remediis serio utantur. Tunc ergo alia illa remedia *in se* quidem utilia et efficacia sunt; sed quia pœnitens hactenus parum aut nihil eis usus est, pro ipso *hic et nunc* non fuerunt utilia et efficacia; ac propterea absolutionis dilatio *per accidens*, nempe pro hoc pœnitente *in casu*, est *unicum* quod restat remedium quo a proximo periculo relapsus liberetur, ac proinde necessario adhibendum (cfr. n. 149 et n. 439). Item, quando agitur de occasione voluntaria « in esse » admodum periculosa, v. g. in materia turpi, dilatio absolutionis usquedum occasio sit remota, ordinarie est remedium unicum et necessarium, quo pœnitens liberetur a gravi periculo relapsus, quod secus semper imminet, uti in thesi 5ª probatum est. — Neque hæc « hypothesim nimis inverisimilem redolent », sed sunt facta, frequenti confessariorum experientia et testimoniis gravissimorum theologorum ac sanctorum virorum comprobata (cfr. supra n. 117-122). — Accuratius ergo quam Ballerini dixit Francolini, contra rigoristas agens: « Dilatio est quidem unum ex remediis, *non tamen est semper remedium unicum* et necessarium » (*De Pœn. discipl.* lib. 3, cap. 10, n. 5).

3º Ad auctores antiquos quod attinet qui pro hac parte thesis citantur (cfr. supra n. 453), respondet Ballerini: « Doctores ut plurimum non de pœnitente *absolute* disposito, sed de eo, quem confessarius *probabiliter* judicat dispositum, disserunt »; quod ut probet adducit Lugonem (*Opus. De Pœn.* n. 198).

Resp. Doctores illi per *probabiliter* dispositum certo certius illum pœnitentem intelligunt, qui est *sufficienter, legitime* dispositus ut a confessario tamquam *judice* absolvatur, sicut supra (n. 440, *nota*)

de Lugone ostensum est. Agunt enim de tali prudenti probabilitate, cui alia gravis probabilitas de indispositione non opponitur; qualis idcirco etiam juxta S. Alphonsum et nos sufficit, ut quis *absolute* dispositus habeatur (cfr. thes. 19ª). Ceterum ipse Ballerini alibi (n. 170) dicit, talem « prudentem probabilitatem » juxta « communem » doctrinam sufficere (cfr. supra n. 414). Inanis ergo est hic illa distinctio inter *absolute* et *probabiliter* dispositum, et efficax manet etiam nostrum argumentum ex auctoritate.

456. — Firmo igitur talo stat etiam hæc tertia pars nostræ thesis, utpote probata rationibus inconcussis, validisque confirmata auctoritatibus.

Verum enim vero, supra in thesi diximus, confessarium pœnitenti rite contrito tum solum absolutionem differre posse aut debere: « si aliunde nihil obstat »; idque alibi etiam jam sæpe monuimus. Etenim sæpenumero rationes prudentiæ obstabunt applicationi hujus remedii; unde merito theologi vulgo advertunt, caute et prudenter hac dilatione utendum esse. De hac re valde practica aliquanto fusius deinceps agendum est.

ARTICULUS II.

Rationes prudentiæ circa dilationem absolutionis.

457. — Probato in præcedenti thesi principio generali juxta § 1 textus S. Alphonsi (p. 357), vertitur jam « magnum dubium » circa ejus applicationem practicam. Quæritur enim, inquit S. Doctor: « *An hoc remedium dilationis sæpius expediat adhibere vel ne pœnitenti jam sufficienter disposito ad absolutionem sine ejus consensu?* » (§ 2).

Præmittit sanctus Auctor juxta communem doctorum sententiam, in duplici casu generali id « nullo modo expedire », adeoque non licere. Videlicet.

1º « *Quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur* ». Res per se patet. Quum enim confessarius ut judex pœnitentem jam satis contritum habeat, ac proinde irreverentiam sacramenti timere non debeat, unica ratio, cur ut medicus absolutionem differre possit, est bonum ipsius pœnitentis seu ejus emendatio. Hinc si videt, pœnitentem dilationem, etsi in se utilem, ita ægre ferre seque huic remedio adeo invitum ac reluctantem exhibere, ut non emendaretur, sed contra in pejorem statum rueret, certe hoc remedium adhibere non potest. Idque valet, etiamsi *sine justa causa* pœnitens adeo invitum se ostenderet, ut plus damni quam utilitatis ex dilatione acciperet. Sic quoque medicus corporalis, si præ-

videt remedium, licet in se optimum, ob insanam infirmi reluctantiam hic et nunc magis obfuturum quam profuturum esse, id certe minime adhibebit. Caveat tamen confessarius, ne quamvis reluctantiam hunc malum effectum habituram esse credat; qua de re vide quæ supra (n. 429) diximus. — Huc referri debet casus quo pœnitenti ita *grave incommodum* esset redire ad eumdem confessarium vel confessionem apud alium repetere, ut dilatio eumdem infelicem effectum sortiretur, uti supra (n. 126), ubi de occasione « in esse », explicatum est.

2° « *Cum ex dilatione absolutionis pœnitens pateretur notam infamiæ* ». Id haud raro contingere potest v. g. occasione communionis generalis, vel si quis eodem mane una cum parente aliisve notis ad confessionem et communionem accedere vellet.

Exceptis igitur hisce casibus, triplex habetur praxis circa dilationem absolutionis illis pœnitentibus, quos confessarius ut judex sufficienter dispositos censet. Alii generatim æquo rigidius procedunt et absolutionem sæpius et longius quam par est differunt; alii justo laxius eam semper statim concedunt; alii denique mediam viam inire nituntur (§ 3). Cum hisce S. Alphonsus, cujus sententia hac thesi exprimitur:

Thesis 21ª.

I. In differenda absolutione pœnitenti sufficienter contrito rationes pro et contra variæque pœnitentis circumstantiæ prudenter perpendendæ sunt. — II. Generatim autem merito docet S. Alphonsus, recidivo ex fragilitate intrinseca hoc remedium raro expedire; secus vero recidivo ob occasionem extrinsecam.

Explicatur et probatur prima pars

458. — S. Doctor igitur cum multis aliis dicit, « quod certa regula in hoc statui non potest, sed confessarius *ex circumstantiis occurrentibus* se dirigere debet, et postquam *Deo se commendavit*, ut erit a Deo inspiratus absolutionem differat vel impertiatur » (§ 4, supra p. 359).

Ad *postremum* quod spectat, sane quum sit « ars artium regimen animarum », [1] quumque ex æqua in sacro tribunali praxi multarum animarum salus æterna pendeat, quivis sacerdos in excipiendis confessionibus, non solum recta duci debet intentione quærendi unice gloriam Dei et bonum animarum, quin respectu humano aliisve finibus mere naturalibus agatur, sed etiam a *Deo petere debet* tum lumen sapientiæ quo

[1] S. Gregorius M., *Reg. Pastor.* I, cap. 1; Migne, III, 14.

quid rectius sit cognoscat, tum suavem illam fortitudinem quo id exsequatur. Memor propriæ infirmitatis firma fiducia has gratias ab ipso exspectet, quippe qui per Apostolum suum dixerit: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter » (*Jac.* 1, 5). Nitatur autem semper meritis sanctissimi Redemptoris qui pro salvandis animis sanguinem suum fuderit, necnon intercessione B. Mariæ Virginis quæ ab Ecclesia « Mater divinæ gratiæ » et « Refugium peccatorum » salutatur. Has veritates recogitet, hasque gratias petat jam in accessu ad confessionale, repetat interdum inter duas confessiones dicendo aliquam precem jaculatoriam; et præsertim in ipso actu confessionis audiendæ, ubi dubium occurrit circa absolutionem impertiendam aut differendam, brevi mentem ad Deum præsentem elevet ejusque auxilium imploret. Tunc certe sperandum est, ut in hoc divino ministerio sit « a Deo inspiratus », ut ait S. Alphonsus in textu, vel, quemadmodum S. Thomas loquitur, ut ejus arbitrium sit « divino instinctu regulatum » (*Suppl.* qu. 18, a. 4, ad 1).

459. — Sed præterea oportet, ut confessarius sub influxu hujus divini luminis « *prudenter perpendat rationes pro et contra, variasque pœnitentis circumstantias* », ut dictum est in thesi [1].

Hinc primo quidem sedulo considerare et quasi habitualiter ante oculos habere debet *commoda* et *incommoda*, quæ ex absolutione sive statim concessa sive paulo dilata profluere possunt; quæ commoda et incommoda ab utraque parte hæc fere sunt.

1º Si *statim absolutio conceditur*, anima donatur gratia sanctificante; accipit etiam gratiam sacramentalem, qua novas gratias actuales acquiret et vires contra tentationes. Præterea pœnitens ut plurimum statim accedit ad S. Communionem, quæ a conc. Tridentino vocatur « antidotum quo... a peccatis mortalibus præservamur » (*sess.* 13, *cap.* 2). Sæpe etiam majore augetur fiducia ad futura certamina obeunda. Haud raro quoque inducitur ad brevi redeundum ad eumdem confessarium et frequentanda sacramenta. — Si contra absolutio differtur et pœnitens attritus tantum est, saltem per breve quoddam tempus privatur gratia sanctificante et specialibus illis auxiliis quæ Deus per sacramenta concedere solet. Haud raro periculum est nimiæ diffidentiæ et dejectionis animi, ita ut peccatis magis habenas laxet; vel etiam periculum non ita sæpe accedendi ad sacrum tribunal. Demum fieri etiam posset, ut pœnitens territus apud alium confessarium eadem peccata, vel apud eumdem suos relapsus fateri vereatur, et sic sacrilege confiteatur. Cfr. textum S. Alphons. § 10 (supra p. 361).

---

[1] Advertendum est, nos hic et in sequentibus de illis tantum loqui pœnitentibus qui adhuc firmi stant in fide et praxi sacramentorum, non autem de iis qui ita debiles sunt in fide, ut merito timeri debeat, ne ob absolutionis dilationem sacramenta deserant et in peccatis tabescant. De hisce enim thesi 22ª agemus et dicemus iis, etiamsi dubie tantum dispositi sunt, absolutionem — utique sub conditione — statim concedendam esse.

2º Ex altera parte *dilatæ per breve tempus absolutionis* hæc sunt commoda et effectus. Pœnitens, imprimis recidivus, majorem concipit de peccati gravitate horrorem; qui horror haud parum imminuitur, si videt se semper ita facile absolutionem obtinere. Imo multi, ut experientia constat, etsi in ipso actu confessionis satis sunt contriti, tamen propter animi levitatem et defectum spiritus fidei habitualiter adeo exiguum habent Dei timorem et peccati horrorem, ut tentationi iterum brevi cedant, temere præsumentes de Dei misericordia et quasi inscii intra se cogitantes, se confitendo facile denuo veniam consecuturos. Iamvero dilatio absolutionis, si prudenter aptisque verbis imponitur, sæpe majorem effectum habet quam ferventissima exhortatio. Ita enim dimissus impensius cogitat de infelici suo statu deque peccati malitia, suam socordiam et ignaviam spiritualem excutit, attentius invigilat, ferventius orat in tentationibus, majorem sibi vim infert, impulsus haud raro etiam timore ne, si eodem modo ac antea ceciderit aut nihil fere se emendaverit, iterum sibi absolutio differatur. Hinc brevi post rediens perfectius contritus erit, firmius habebit propositum, multoque melius dispositus erit; et quia sacramenta eo magis operantur, quo suscipiens meliores affert dispositiones, multo plures tunc et efficaciores nanciscetur gratias quam si statim absolutus fuisset. Itaque quum ex sua parte firmiorem exhibeat voluntatem, et ex parte Dei abundantiores accipiat gratias, magis solida est emendationis spes et minus relapsus periculum. Neque obstat quod forte interim ex infirmitate aliquoties adhuc relapsus sit; modo serio media adhibuerit seque relative emendaverit, certe melius dispositus erit ut absolutionem accipiat, majorque aderit spes ut paulatim plane se corrigat. — Præsertim vero si interim occasionem proximam reapse removit aut fugit, si obligationem gravem, v. g. restitutionis, reconciliationis etc., implere, non solum promisit, sed de facto implevit, hoc unico actu liberatus erit a gravi peccati periculo, in quo mansisset, si statim absolutus fuisset; atque ita sæpe novam plane vitam incipiet ille qui antea per annos forte semper absolutus fuit, sed brevi post confessionem in eadem fere peccata relapsus [1]. (Cfr. 428 sq., 450, 452, 463).

---

[1] Notare hic juvabit factum psychologicum cujus meminit S. Augustinus; agens enim de sanatione seu conversione peccatoris, ait: « Quod facile sanatur non multum cavetur; ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis » (*In Psalm.* 6, n. 4; ed. Migne, IV, 92). Sane; quo quis difficilius aliquod bonum, puta sanitatem, divitias, etc., est consecutus, eo majore diligentia id conservare nititur; contra, si facilis est alicujus boni consecutio vel recuperatio, minor est ejus conservandi cura, præsertim si ad illud conservandum magnam vim sibi inferre debet. Idem valet de gratia sanctificante et liberatione a peccato ac inferno, quam si pœnitens remedio aliquo difficiliore dilatæ absolutionis est assecutus, majorem postea operam dabit ut eam conservet, ne eamdem denuo ingratam curam subire debeat. Contra si eam semper ita facile iterum recuperabit, parum operæ adhibebit ut eam conservet, statimque eam denuo perdet.

460. — Hæc quæ exposuimus dilatæ absolutionis commoda et fructus pro pœnitentibus hic et nunc jam satis contritis passim enumerantur a *theologis* et *sanctis viris*, usu et experientia edoctis. Aliquos audias velim.

S. Ignatius in aureo *libro Exercitiorum* vult, ut confessio generalis — quæ certe multis exercitantibus est necessaria [1], — differatur usque ad finem primæ hebdomadæ, « quia, inquit, consentaneum est, hominem sic rite confessum et dispositum multo melius se habere ad Eucharistiæ susceptionem, quæ maxime confert et ad fugam peccati et ad gratiæ receptæ conservationem et augmentum » (post *Exam. gen.*). Ergo etiamsi quis jam initio exercitiorum *satis dispositus* esset ut confiteretur et absolutionem ac S. Communionem reciperet, tamen satius esse duxit sanctus Auctor, eum per breve tempus hisce sacramentis privari, ut postea propter meliores dispositiones majores et constantiores ex eis fructus perciperet; quod est principium praxeos dilatæ absolutionis. Notum autem est hunc librum Exercitiorum speciali plurimorum SS. Pontificum approbatione gaudere.

Hisce consonat sententia S. Francisci Xaverii, qui multis peccatoribus jam confessis *satisque contritis* per aliquot dies absolutionem differri vult, ut antea gravem obligationem impleant aut occasionem removeant: « alias, inquit, quæ humana fragilitas est, brevi relapsos in præcipitium... inutiliter dolebis » (vide supra n. 117); ergo ut remedium ad præcavendum relapsum.

Lugo, ut supra (n. 440) vidimus, agens de « probabiliter » seu, ut ipse explicat, « sufficienter », « legitime *dispositis* », dicit quod hujus remedii prudenti applicatione pœnitens « ipsa difficultate et dilatione absolutionis territus melius cognoscat gravitatem peccati et necessitatem emendationis », quod « utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ quantum alias certissime subiret ». « Neque in hoc, inquit, debemus recedere a communi sententia, cui adstipulatur experientia multorum debilium qui hoc remedio brevi tempore solent curari ».

461. — Ven. Segneri confessarios sic alloquitur: « Hæc absolutionis dilatio aliquando etiam expedit cum illis ipsis recidivis, quos ceteroquin sufficienti proposito *dispositos* judicas ad illam recipiendam. Quia hoc ad instar carbonis ignei esse solet qui, suo tempore adhibitus, mirum in modum illum animi excutit lethargum, qui jam in eo erat ut in somnum mortis transiret. Efficit ut pœnitens confessus malum suum comprehendat, ipsi provideat, ipsum perpendat; et si jam compunctus est, incredibiliter contritionem auget: ita ut ille dolor qui, initio levis et languidus, simplici objecti præsentis sollicitationi facile cessisset, jam novo vigore valeat et fortioribus etiam oppugnationibus resistere possit. Atque hunc in modum hoc remedium traditur ab auctoribus communiter, et magno cum fructu in praxim ducitur a prudentibus confessariis, præsertim quando alia suaviora remedia reperta sunt inutilia... Spero fore ut experientia discas, quot per hoc remedium opportune adhibitum vitam mutent et moderatæ hujus severitatis angustiis constricti, relinquant pelles et spolia pravarum consuetudinum, quas a pluribus jam annis exuere non potuerant » (*Conf. istr.* cap. 4 *in fine*). Præsertim vero Segneri hanc dilationem iis adhibitam vult qui versantur in occasione proxima continua seu « in esse », etsi alioqui dispositi sunt, eamque dicit remedium unicum contra relapsum, ut supra (n. 117) vidimus.

Viva utilitatem talis dilationis fusius probat (*in Prop.* 60 *Innoc. XI*): « Sicut enim, ut notat Arriaga, in bonum animarum instituta est casuum reser-

[1] Cfr. *Directorium*, cap. 16, n. 2.

vatio, ut ex difficultate absolutionis magis homines ab enormibus illis culpis absterreantur, ita in bonum animarum consuevere confessarii absolutionem differre, ut ex hac absolutionis difficultate magis homines absterreantur a relapsu » (n. 9). « Sic catechumenus petens baptismum jus habet ad illum, non tamen ad illum habendum statim; passim enim differtur, ut melius instruatur et cum majore dispositione ad illum accedat. Eodem modo passim differtur absolutio, ut melius ad illam pœnitens disponatur: sive per hoc quod interim rite instruatur a confessario; sive per hoc quod expediat prius pœnitentiam aliquam imponere implendam ante absolutionem;... sive quia aliquando expedit, ut ante absolutionem occasio aliqua peccandi proxima a pœnitente tollatur, vel quod ponatur restitutio quam non semel pœnitens promisit confessario, quin unquam promissis steterit; sive etiam ut ex dilatione absolutionis possit advertere ad periculum carendi contritione et interim moriendi; facile enim terrore perterritus aperiet oculos ad expendendam miseriam suam. Præterquam quod ipsa absolutionis dilatio, tamquam ignominiosa, passim est in causa, cur pœnitens resipiscat » (n. 10).

462. — S. Leonardus a P. M., presse sequens Ven. Segneri, dicit: « Hoc remedium (dilationis) efficit, ut pœnitens confusus malum suum statum agnoscat, de illo recogitet eique provideat. Hoc cor ejus compungit et, si *jam compunctus* est, incredibili modo ejus contritionem auget; ita ut ille dolor qui, initio debilis et languidus, facile simplici objecti præsentis sollicitationi cessisset, roboretur et fortioribus certaminibus resistat. Hoc demum victoriam reportat et, perfecta emendatione obtenta, relapsum peccatoris difficiliorem reddit. Est enim verissimum illud: Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi » (*Disc.* n. 14). Quod deinde probat sua missionarii experientia.

Lacroix hæc habet: « Confessarius potest ex causa rationabili differre absolutionem, quamvis pœnitens videatur nunc esse *dispositus* ». Pro qua thesi plurimos allegat auctores, scilicet: « Bannez, Suarez, Lugo, Graffium, Henriquez, Sanchez, Sayrum, Sà, Aversa, Cardenas », « contra Joannem Sanchez, inquit, cujus sententiam Diana vocat improbabilem ». Tum prosequitur: « Ratio est, quia hoc potest esse utile pœnitenti, tum ad incutiendum majorem horrorem peccati, tum ad magis probandam firmandamque ejus constantiam contra relapsus, tum ad concipiendum interea meliorem dolorem et solito firmius propositum, tum denique ad attinendum illum ut mediis emendandi sibi suggestis diligentius utatur. Et hoc facit confessarius qua medicus: sicuti enim ille potest imponere media præservativa, quæ judicat esse opportuniora, aut præexigere impletionem alicujus satisfactionis, ita etiam dilationem absolutionis ad octo vel etiam plures dies. Sicut enim Ecclesia reservans aliqua peccata vult pœnitentem, quamvis dispositum, non absolvi ab unoquoque, ita merito non absolvitur, quamvis dispositus, si confessarius judicet ei melius esse non absolvi ». Denique sic respondet objectionibus: « Nec obstat 1° quod pœnitens dispositus habeat jus ad absolutionem; nam non ideo habet jus ad absolutionem suam statim accipiendam, sicut nec catechumenus ad Baptismum statim accipiendum, sed tunc quando judicio confessarii maxime ipsi expediret. Nec 2° quod interea careat gratia et Communione, per quam acquireret vires ad emendanda peccata; nam ista supplentur per alias utilitates, et postea melius dispositus majores accipiet gratias » (*De Pœn.* part. 2, n. 1764).

Reuter, loquens quoque de casu quo « confessarius prudenter judicet pœnitentem hic et nunc esse *dispositum* », dicit: « Ad confessarium, utpote medicum, pertinet non solum vulnera curare præsentia, sed etiam media præ-

servativa a relapsu adhibere. Hinc, si dilationem judicarit necessariam, tenetur differre absolutionem; si autem non necessariam quidem, attamen valde utilem, non tenetur quidem, potest tamen, pœnitente — licet hoc ordinarie non expediat — etiam invito. Nam medici est providere infirmo, præsertim ubi agitur simul causa tertii, uti hic agitur causa Dei et Domini nostri; majusque bonum est ad breve tempus carere gratia — eam tamen pœnitens per contritionem acquirere potest — cum spe eam habendi deinceps perseveranter, quam statim eam accipere cum præsenti periculo illam paulo post iterum amittendi. Experientia enim constat, brevem dilationem absolutionis multum conferre ad emendationem consuetudinarii, quia ei aperit oculos, ut cum confusione videat animæ suæ pericula, gratiæque divinæ det locum » (*Neo-Conf.* n. 178).

Atque eodem modo de bonis dilatæ quandoque absolutionis fructibus loquuntur alii ex magnis illis antiquis theologis, quos secutus est S. Alphonsus.

463. — Quia ergo utrinque haberi possunt *commoda* et *incommoda*, confessarius hæc omnia *prudenter perpendere* debet et attente considerare, num commoda quæ ex dilatione exspectantur, incommodis quæ timeri possent revera præponderent.

Quod pœnitens per breve tempus gratia sanctificante et sacramentali orbatus manet, certe id sæpe detrimentum erit, quando nempe ipsi statim hæc gratia utilior foret, uti ordinarie accidit pro recidivis ob fragilitatem intrinsecam. Atvero haud raro, præcipue si de occasionariis agitur, brevis illa gratiæ privatio abunde compensabitur, uti supra advertunt Lacroix, Reuter aliique, si propter dilationem absolutionis pœnitens majorem concipit peccati horrorem, melius occasionem vitat, aliaque salutis media adhibet, et ita postea longe diutius in gratia perseverat. Unde facile respondetur Joanni Sanchez scribenti: « Id non intelligo, quod majores vires adhæsuræ sint pœnitenti ad peccata vitanda, si careat gratia sacramentali,... quam si ea induatur ». (*Selecta.* Disp. 9, n. 12). Videlicet, haud raro alia salutis media, puta salutaris timor, sedulior vigilantia, ferventior oratio, firmius propositum etc., adjuvante Dei gratia actuali, *per accidens* in hisce circumstantiis majorem habent vim ad futura peccata vitanda, quam haberet usus sacramentorum in hoc momento; quæ sacramenta brevi post multo magis pœnitenti proficient, si tunc melius dispositus ad ea accedit [1]. Sane absurdum esset dicere, dilationem *per se* solam meliores producere dispositiones; sed, ad modum fere pœnarum a Deo inflictarum, dilatio est *occasio* qua quis impulsus suam socordiam animique levitatem excutiat et, Dei gratia

[1] Apposite Berardi: « Quamvis sacramenta magnam sine dubio habeant vim, tamen alia non desunt, quæ in quibusdam circumstantiis, concurrente semper gratia divina, vim etiam majorem habere possunt. Sic interdum concio, bonum exemplum, flagellum divinum etc. fructum producunt, quem multæ confessiones et communiones non produxerunt. Inter ea autem quæ aliquando hujusmodi majorem efficaciam habere possunt, recensendus est etiam terror incussus ab ipsa privatione sacramentorum. Hoc patet non solum experientia manifestissima et communi theologorum sententia, sed etiam ex sensu Ecclesiæ » (*De Recid.* n. 139).

adjutus, melius resipiscat; a. v. dilatio non est causa directa et efficax melioris dispositionis, sed ejus causa indirecta et occasionalis (cfr. supra n. 437).

Quæ ut magis adhuc clarescant, apprime notandum est, ad vitandum peccatum in gravibus animæ periculis non sufficere gratiam sanctificantem neque etiam gratiam sacramentalem, sed omnino requiri gratias *actuales*. Gratia quidem sacramentalis dat jus quoddam ad illas gratias actuales. Atvero hoc jus perdit homo, si huic obicem ponit, puta sua ignavia et levitate, parum aut nihil orando, nec vigilando, nec occasiones vitando, et universim non adhibendo media quæ in sua sunt potestate. Hinc fit ut, si pœnitens statim absolutus hæc media adhibere negligit, gratia sacramentalis nihil fere in eo efficiat. Contra, si ob dilatam absolutionem majorem concipit peccati horrorem, eoque permotus alia media sub influxu gratiæ actualis sedulius adhibere satagit, tunc pœnitens, si brevi post redit ad obtinendam gratiam sanctificantem et sacramentalem, multo melius dispositus erit, in posterum multo minus obicem ponet gratiæ sacramentali, ideoque multo plures et abundantiores acquiret gratias actuales, quibus peccata futura vitare et gratiam sanctificantem conservare possit.

464. — Ad periculum dejectionis animi sedulo utique advertere debet confessarius, et si illud hic et nunc vere grave esse censet, ratio erit non differendi absolutionem. At sæpe confessarius aptis verbis periculum declinare et fiduciam peccatoris excitare poterit.

Quod pœnitens postea forte non ad eumdem, sed ad alium confessarium accedat, per se nondum probat remedium dilationis inutile fuisse: experientia namque constat etiam tum peccatorem sæpe melius vim sibi intulisse, seque haud parum emendasse.

Serium periculum minoris ad confessionem accessus ratio quoque esse potest conferendi statim absolutionem. Quare parce cum eodem pœnitente hoc remedio utendum est, et cum illis qui admodum raro, puta semel tantum in anno, confitentur, nonnisi ob causas gravissimas, v. g. ob concubinatum occultum similemve occasionem valde periculosam. Est enim dilatio velut venenum, utile quidem et efficax pro quibusdam infirmis, sed parce adhibendum. Præterea confessarius verbis suavibus hoc amarum remedium quasi dulcorare debet. (Cfr. supra n. 384 sq.). Sic autem adhibitum haud raro eveniet, ut pœnitens postea, expertus ipsemet dilationis utilitatem, huic prudenti confessario gratus existat et libentius etiam eidem confiteatur. (Cfr. supra n. 387).

Periculo celandi nova peccata aut relapsus, si id timendum est, generatim occurrere potest confessarius dextera utendo interrogatione.

465. — Ad periculum subitaneæ mortis ac proinde damnationis brevi illo tempore quo differtur absolutio, attendendum non est, utpote pro homine sano levissimum et tenuis probabilitatis: unde neque antiqui

theologi, neque sancti illi viri qui supra hanc dilationem commendarunt, hujus rationis mentionem faciunt. Ceterum, ut scite advertit Berardi, « si id valeret, pari jure differri nequiret absolutio concubinariis; immo ipsa Ecclesia propter reservationes culpanda esset » (*De Recid.* n. 139). Contra, periculum damnationis æternæ multo gravius erit, si peccator semper statim absolutus in eadem peccata usque recidit, et sic, non per paucos dies, sed sæpe per annos quasi semper in Dei inimicitia vivit; a quo multo graviore periculo haud raro liberari potuisset, si dilata ad breve tempus absolutione efficacius se emendare studuisset. Attamen semper oportet, ut confessarius, antequam pœnitentem dimittat, efficacibus motivis eum ad contritionem perfectam excitet. Imo proderit, ut ipse verba hujusmodi contritionis recitet, quæ pœnitens secreto animo repetat.

Nec plus valet hic adducere doctrinam S. Alphonsi (VI, 490): scilicet manere per *unum* diem in peccato mortali jam esse satis durum, ut quis in confessione revelare possit peccatum complicis, confessario cogniti. Nam dispar prorsus est ratio. Etenim in hoc casu ratio a bono et salute pœnitentis est plane extranea, imo huic contraria. At in nostro casu ratio, cur quis per breve tempus in peccato mortali manere sinatur, est ipsius pœnitentis majus bonum et salus æterna, ut sic melius disponatur et efficacius a relapsu custodiatur. Si hoc durum et incommodum vocare velis, transeat; erit incommodum ad instar amaræ medicinæ vel ingratæ prohibitionis, quam medicus ægroto imponendam esse judicat, ne iterum recidat; sed reipsa est beneficium relate ad multo majus commodum postea oriturum.

Atque hæc quidem de rationibus in genere *pro* et *contra* prudenter perpendendis, si de differendo aliquo pœnitente agitur.

466. — Ex dictis patet, confessarium in formando suo prudenti judicio etiam attendere debere ad *circumstantias hujus pœnitentis*, videlicet tum ad causas peccati vel relapsus, quæ possunt esse aut passio, aut habitus, aut occasio extrinseca, tum ad ejus conditiones vel ad ejus dispositiones psychologicas naturales et supernaturales: utrum v. g. ad diffidentiam sit proclivis, an ad temeritatem et audaciam; utrum timidus sit et facile pudore suffusus, an indole apertus; utrum sæpe sæpius jam relapsus sit, an aliquoties tantum; utrum principio mali fortius obstandum sit, an potius temperandum; utrum modo particulari compungatur, an vix dispositus sit; utrum propter ingentia crimina, præcipue si cum aliorum scandalo, terrore percellendus sit, an potius ad fiduciam animandus; utrum dilationem valde difficulter, an satis libenter vel saltem patienter accipiat; utrum grave an leve tantum incommodum ipsi sit ad eumdem confessarium redire vel apud alium confessionem repetere; utrum raro et difficulter ad confessionem accedat, an sæpe et facile etc. — Hæc omnia considerare tum ratio practica, divino lumine illustrata, tum usus et experientia confessarium docebunt.

467. — Meritissimo igitur S. Alphonsus docet, « quod certa regula in hoc statui non potest ». Quare non recte agunt, tum illi con-

fessarii qui velut pro systemate habent recidivis satis contritis semper absolutionem concedere, tum illi qui eam justo sæpius differunt. « Sed, ut sapienter pergit S. Doctor, confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus absolutionem differat vel impertiatur » (supra p. 359, § 4). Cui consonat principium S. Thomæ dicentis, quod confessarius potestate clavium cum « discretione » uti debet, quodque ejus « arbitrium debet esse divino instinctu regulatum » (*Suppl.* qu. 18, a. 4, ad 1). Eam igitur seligat partem, in qua majora commoda et minora incommoda pro salute pœnitentis esse judicat. Potest enim fieri, ut aliquantulus damni timor spe majoris boni longe superetur atque adeo negligi debeat. Si omnibus perpensis dubius manet quid in casu melius sit, generatim ad statim concedendam absolutionem propendat, præsertim in regionibus in quibus fides et frequens sacramentorum usus haud ita viget. Si sæpe jam concessa absolutione aliisque remediis indicatis parum profecerit, poterit certe remedium dilatæ absolutionis adhibere, ut sic variis experimentis tentet pœnitentis curationem. Quodsi tunc viderit pœnitentem redeuntem, etsi non plene emendatum, serio tamen vim sibi intulisse aliisque mediis melius usum fuisse, ipsum absolvat atque animet ut fiduciam habeat brevique redeat, quo paulatim omnino corrigatur. Poterit etiam aliquando, ut Ballerini ait (*De Pœn.* n. 203), statim dare absolutionem et simul injungere, ut brevi, v. g. post unam alteramve hebdomadem, iterum ad confessionem redeat. Sed, ut experientia constat, sæpe inane est remedium; quia plurimi recidivi, accepta semel absolutione, promissis non stant; unde per se semper certe non sufficit. Hanc autem iteratam confessionem eis pro sacramentali pœnitentia imponere, ut Faure vult (Dub. IV, ante sect. 1), generatim periculosum est; quia, si absoluti jam sunt, magno periculo exponuntur hanc gravem pœnitentiam non explendi magisque peccatis se implicandi. Unde maxima cum cautela hoc consilio utendum est. Attamen si in casu particulari confessarius satis certus est, pœnitentem peccatorem hanc pœnitentiam libenter accipientem rediturum esse, eam imponere potest (cfr. n. 382). Denique, tunc solum quando confessarius omnibus perspectis certo judicat, hic et nunc dilationem esse necessarium vel saltem efficacius remedium quo pœnitens a relapsu et morte animæ liberetur, hoc remedio uti debet, non secus ac medicus corporalis remedium certe probabilius adhibere debet, ut infirmus a periculoso relapsu in eumdem morbum præmuniatur, quemadmodum supra in thesi (n. 451 sqq.) probatum est. (Cfr. supra n. 430).

Hisce in universum præstitutis, modo (§ 5, p. 359 sq.) S. Alphonsus unam tradit *regulam generalem*, qua confessarii prudentia dirigatur et qua adjutus persæpe judicium satis certum de usu remedii dilationis formare possit. De hac deinceps.

EXPLICATUR ET PROBATUR ALTERA PARS

468. — Duplex præcipue existit causa omnium fere relapsuum: alia *intrinseca*, videlicet naturæ ad malum proclivitas seu *fragilitas*, quæ sive passione prætereunte se prodit sive in habitum transit, alia *extrinseca* seu *occasio*. Ex fragilitate intrinseca procedunt præsertim, ut ait S. Doctor, « peccata pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemiæ et similium » (§ 5). Jamvero, uti in therapeia corporali, ita et in cura morborum spiritualium, medicus ante omnia niti debet ut causam morbi auferat, aut saltem, quoad ejus facere potest, cohibeat. Hunc finem præ oculis habens S. Alphonsus hanc regulam generalem seu principium practicum statuit: *Pœnitenti habituato sufficienter contrito, sed recidivo ob fragilitatem intrinsecam, raro expedit absolutionem differre; recidivo vero ob occasionem extrinsecam, si aliunde nihil obstat, dilatio valde utilis vel etiam necessaria est.*

469. — Ratio hujus distinctionis paulo post (§ 8, p. 361) a S. Doctore indicatur atque hæc est:

1º Occasio « per objecti præsentiam » *vehementius impellit* ad peccatum quam simplex pravus habitus; quia naturali et cuique ingenitæ inclinationi ad malum accedit externa vehemens sollicitatio; unde pœnitens ex sua parte etiam majorem vim sibi inferre debet, sedulo adhibendo remedia quibus periculum e proximo remotum fiat. Atqui *per se*, seu si aliunde nihil obstat, pœnitens certe efficacius excitabitur ad hanc majorem vim sibi inferendam et ad media adhibenda, si absolutio ipsi ad breve tempus differatur quam si ea statim conceditur. Nam, ut supra (p. 120, § 2) dixit S. Doctor, « experientia docet, quod pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillime recidunt. Cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exsequi et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessionem redibunt, iterum sine absolutione dimittantur ». Desiderium ergo absolutionis obtinendæ eos quasi urgebit ad hæc remedia efficaciter adhibenda. Hæc de occasione *necessaria*. (Cfr. supra n. 148).

2º Sin autem agitur de occasione *voluntaria*, remotio occasionis *magis pendet a propria voluntate* quam exstirpatio pravi habitus, qui homini intrinsece inhæret. Atqui quo magis quid pendet ex propria voluntate, eo magis confessarius pœnitentem per absolutionis dilationem urgere potest et debet ut id antea præstet: « nam alias, ut ait S. Auctor, eum relinquit in *probabili periculo* infringendi propositum; eo quod talis pœnitens post obtentam absolutionem facile negliget fugam necessario adhibendam; et sic sine dubio relabetur » (§ 9). Unde in *Praxi:* « Et tanto magis hoc procedit, si occasio est voluntaria et omnino auferri debet; quia tunc recipiens absolutionem,

antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum de illa removenda » (n. 77). Hæc potissimum valent de occasione continua seu « in esse ».

470. — Ex hisce concludendum est, dilationem absolutionis recidivis *ob occasionem* præ ceteris efficax esse remedium, quo relapsus præcaveantur; ac proinde confessarius ageret « imprudenter » (§ 9), si illud adhibere negligeret, quando commode adhiberi potest. Hoc præsertim casu illi habentur dilationis effectus qui supra (n. 459, 2°) expositi sunt: per salutarem enim timorem socordia magis excutitur et voluntas stimulatur, ut ipsamet faciat quod possit, ut nempe occasionem, tot relapsuum *causam*, auferat aut fugiat, vel ut vigilantius remedia adhibeat. Recolenda sunt hic verba S. Alphonsi (n. 456, § 3; p. 120) de occasionario recidivo qui signa specialia exhibet: « Etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri ». Et quæ proxime sequuntur: « Utinam omnes confessarii cum hujusmodi pœnitentibus (scil. occasionariis) ita se gererent! *Multo* quidem *minora crimina* committerentur, et *longe plures animæ* perditionem vitarent » (ib. § 4; p. 128).

471. — Contra, recidivis in habitum peccandi *ob fragilitatem intrinsecam*, si signis specialibus satis contritos se ostendunt, *generatim* non expedit remedium dilationis applicare; tum quia sine præsentia occasionis, phantasiam et sensus valde commoventis, passio aut etiam habitus minus vehementer ad peccandum impellit; tum præcipue quia remotio habitus homini inhærentis minus pendet a voluntate quam remotio occasionis. Jamvero quo magis homo est intrinsece fragilis et debilis et quo minus se ipsum adjuvare potest, eo majora a Dei bonitate sperare licet auxilia, quibus infirma sua voluntas sustentetur. Hæc autem auxilia et gratias Deus maxime dat per sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ (cfr. in textu § 10) [1]. Neque etiam hi intrinsece fragiles, si vere contriti sunt, adeo sæpe obicem ponunt gratiæ sacramentali ac occasionarii qui, extrinseci objecti præsentia seducti, facilius negligunt alia adhibere remedia, quibus gratiæ sacramentalis obex tollitur. (Cfr. supra n. 463). Unde in hoc recidivorum genere potissimum occurrunt illæ rationes quæ supra (n. 459, 1°) indicatæ sunt pro conferenda statim absolutione: scilicet eorum bona sed infirma voluntas gratia sacramentali illico

---

[1] In *Praxi* sanctus Auctor eamdem rationem sic exprimit: « In consuetudinario *ob causam intrinsecam* remotius est periculum violandi propositum; quia ex una parte non est objectum extrinsecum, quod tam violenter eum impellit ad peccandum; et ex altera, illi non est voluntaria retentio mali habitus, prout est voluntarium non amovere occasionem cum possit. Unde in tali necessitate Deus male habituato magis succurrit; et ideo plus quam a dilatione absolutionis sperari potest emendatio a gratia sacramenti, quæ illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quæ ipse adhibebit ad habitum exstirpandum » (n. 77).

roboratur, incenditur eorum desiderium sæpe recurrendi ad sacramenta quibus adeo indigent, crescit eorum fiducia et evitatur ille animus dejectionis, cui miseri illi habituati, si absolutio ipsis differtur, facilius exponuntur. Frequens autem dilationis usus, quem rigoristæ volunt, illos a sacramentis averteret, multaque ipsis incommoda et damna afferret, ac proinde maxime imprudens et illicitus esset.

Distinctio igitur S. Doctoris nostri nititur tum valida *ratione psychologica* tum *experientia.*

472. — Confirmari etiam posset *auctoritate* doctorum. Nam, licet theologi antiqui hanc distinctionem non ita expressis verbis memorent, nihilo secius ubi docent aliquando, sed raro expedire recidivis rite dispositis absolutionem differre, loquuntur maxime de recidivis *mere habituatis* qui non versantur in occasione proxima; ubi vero agunt de *occasionariis*, præcipue « in esse », jam cito ad hoc remedium dilationis recurrendum esse volunt. Unde S. Alphonsus supra (n. 456, § 1; p. 120): « In praxi omnes conveniunt expedire ut iis qui versantur in occasione proxima, etiam necessaria, differatur absolutio »; intellige, ut ipse explicat: « semper ac absolutio commode differri posset » (ib. § 2).

473. — Quæ de recidivis ex fragilitate intrinseca generatim dicta sunt, ea præsertim valent de *habituatis in peccatum pollutionis*, quorum imprimis fiducia est animanda, et quibus vix aliud efficacius remedium datur, inquit S. Alphonsus post Toletum, quam « frequentissima confessio cum uno eodemque confessario » (in textu § 10; p. 362). Hisce menstrua confessio, de qua Rituale Romanum (*De Pœn.* n. 20), vix sufficiens erit. Unde hortandi sunt, ut singulis octo vel certe quindecim diebus ad sacramenta accedant[1]; imo etiam frequentius, si id obtineri potest, puta statim post relapsum, quemadmodum S. Philippus Nerius hoc remedio usus est cum quodam juvene [2]. (Cfr. supra n. 211).

474. — Dictum est in thesi: *raro* expedit dilatio *recidivis ex fragilitate intrinseca.* Ita S. Doctor cum communi in textu (§ 7). In *Praxi* idem his verbis: « Si pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca... dico cum sententia communissima DD. quod *raro* expedit differre absolutionem recidivo » (n. 76). Si *raro*, ergo *aliquando* id expedire potest. Ita diserte S. Auctor in fine textus (§ 13): « *Aliquando* poterit alicui recidivo prodesse dilatio absolutionis ».

---

[1] « Multi, inquit S. Alphonsus, per Communionem quavis hebdomade liberi manent a peccatis mortalibus, non autem per Communionem menstruam ». (*Risposta Apol. contra Cipriano Aristasio;* ed. Torino, 1829, p. 110).

[2] Factum ita narrat Bacci: « Confessum ad illum ibat quidam pœnitens, vitio adeo immersus ut quasi quotidie caderet. Huic sanctus vir non aliam fere dedit pœnitentiam quam ut, si iterum peccatum commisisset, statim sine mora ad confessarium rediret, nec alterum lapsum expectaret. Obedivit pœnitens, et Philippus semper ipsum absolvebat, eamdem imponens pœnitentiam. Hoc tantum modo ipsum adjuvit, ita ut pœnitens post paucos menses liber esset, non ab hoc solo peccato sed a multis aliis» (*Vita di S. Filippo*, lib. 2, cap. 6, n. 2). Sane qui ita statim post relapsum ad confessarium redeunt per *signum extraordinarium* se vere contritos esse ostendunt, eisque ordinarie absolutio statim impertita efficacius erit remedium quam ejus dilatio.

Casus hi fere sunt. *Primo* si, concessa jam sæpius absolutione, datisque multis consiliis et monitis, indicatisque variis mediis, confessarius parum cum iis profecerit. Tunc utique, etiamsi hic et nunc miserum statum ingemiscunt specialique exhibito signo satis contriti videntur, poterit tandem confessarius experiri remedium dilationis, quando non est periculum animi dejectionis vel discessionis a sacramentis, ut ita salutari concussi timore majorem quam antea vim sibi inferant et remedia, imprimis orationis, diligentius adhibeant. Ita antiqui theologi, passim docentes id *aliquando* esse utile consilium. Quia vero plerumque quædam incommoda et pericula timeri possunt, vix unquam pro his, præsertim pro pollutionariis, dilatio necessaria adeoque præcepta erit, nisi simul accedat aliquod prudens dubium de vero dolore et proposito, uti facile contingere potest cum illis quos S. Thomas « intemperatos » vocat. (Cfr. supra n. 202-204). — Sed præterea hic omnino iterum advertendum est, in hisce casibus raris minime postulari, ut pœnitens cui dilata sit absolutio plene emendatus redeat: tanta enim est sæpe pravi habitus vis, ut raro statim exstirpetur. Sufficit igitur, ut pœnitens aliquantum rarius ceciderit vel ut melius quam antea pugnaverit et oraverit. Sic enim jam major est spes ut paulatim omnino emendetur.

Alter casus est in pueris et puellis, qui vix pravum habitum contrahere cœperunt. Hisce, utut in præsenti confessione contritis, aliquando jam post unam alteramve vicem benignis at efficacibus verbis absolutio differri potest, ut hac confessarii agendi ratione velut exterriti et expergefacti majorem peccati horrorem concipiant atque ita principiis obstent, ne malum pravi habitus per longas convalescat moras. Quod malum si prævideret confessarius, hæc dilatio ipsis non utilis solum, sed et necessaria foret. Hunc quoque casum multi auctores post Lugonem (supra n. 235, 2º, n. 440 in f.) expresse memorant [1].

475. — Tandem in fine (§ 13, p. 363) addit S. Alphonsus: « Semper quidem proderit deterrere hujusmodi relapsos ex fragilitate intrinseca, negationem absolutionis minando »; intellige: *generatim* loquendo, si de firmis in fide agitur, et tunc verbis zelo et charitate plenis, ne a confitendo avertantur vel animum despondeant. Idem consilium dat Francolini, strenuus ille rigoristarum oppugnator: « Cum ratio aliqua suadet non differre prædictis absolutionem, utile erit eis minari hanc dilationem aut eam tentare,... et post multas preces optatam absolutionem impendere, sed edicere eam omnino fore ultimam, nisi vere emendetur, ac interim præcipere ut, si potest, post quindecim aut viginti dies redeat significatum statum animæ suæ, vel saltem ad id hortari. Sic enim pœnitens vere intelliget miserias suas, ... et salubri timore concussus vere emendabitur, ut expertus sum contigisse multis » (*Cler. Rom.*, lib. 3, cap. 10, n. 9).

---

[1] Casus, in quibus aliquando, servatis servandis, simplici habituato nondum recidivo, jam prima vice absolutio differri possit, exposuimus supra n. 235.

Quæstio

Per quantum tempus sit differenda absolutio.

476. — Quæritur tandem, si delatio utilis vel etiam necessaria videtur, *per quantum tempus absolutio differenda sit?*

Quæstio hæc generalis est et respicit omnes recidivos et occasionarios quibus absolutio differtur, tum illos qui etiam post ferventem confessarii exhortationem adhuc dubie dispositi apparent, tum illos quos confessarius ut judex quidem dispositos habet, sed quibus ut medicus dilationem, tamquam remedium contra relapsum, utilem aut necessariam esse ducit.

Respondetur generatim: *per breve tempus.* Falsa enim et periculis plena est sententia rigoristarum et Jansenistarum sæculi XVII et XVIII (cfr. in textu § 3 et 5), qui omnibus recidivis vel etiam simplicibus habituatis, imo in singulare quoddam enorme peccatum lapsis, per multum tempus, puta per plures menses et ultra, absolutionem differendam esse docebant, ut prius bonis operibus suam conversionem comprobarent. Certo hujusmodi praxis contra Christi institutum est, sæpissime miseros peccatores in desperationem agit et desertionis sacramentorum causa est, ut identidem ostendimus. Hinc Benedictus XIV confessarios hortatur: « Illos (dilatos) ut *quantocius* revertantur invitent » (ap. S. Alph. h. l. § 5). Item Leo XII: « Eos ad redeundum *quamprimum* blandissime alliciant » (*Const.* « Charitate », 25 Dec. 1825).

477. — Quantum vero debeat esse hujus brevis temporis spatium, pendet ex variis circumstantiis prudenter pensandis: videlicet ex occasione redeundi quam habet pœnitens, ex ejus etiam subjectiva indole et dispositione, maxime vero ex ratione ob quam absolutio differatur. Si enim dilatio dubie dispositis imponitur, veram contritionem, Dei adjuvante gratia, inducere debet; sin autem est remedium contra relapsum, causam futurorum peccatorum aut tollere aut saltem imminuere debet. Hinc magis singillatim hæc statui possunt:

1° Recidivis *ex fragilitate intrinseca*, v. g. in habitum pollutionis, blasphemiæ etc., si quando dilatio utilis aut necessaria est, « absolutio non differri debet plus quam octo vel decem dies,... ad summum usque ad quindecim dies »: ita S. Alphonsus (h. l. § 5, p. 359). Hoc sane tempus sufficit, ut pœnitens interim vere contritum se ostendat, media orationis serius adhibeat, majorem vim sibi inferat, sæpius et firmius actum doloris et propositi eliciat; quibus omnibus vis pravi habitus procul dubio jam haud parum minuetur [1].

---

[1] In *Praxi* S. Auctor hæc dicit: « Sed excipere oportet qui tempore præcepti Paschalis confitentur. Pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum justa suspicio haberi possit quod hi abstineant a relapsu potius ut censuram effugiant quam ex proposito mutandi

Per quindecim dies illos differre generatim nimium videri poterit ob periculum dejectionis animi et ejusdem ac antea relapsus. Fac autem advertas, S. Doctorem indicare solum tempus, *ultra quod* absolutio differri *non debeat*, minime vero dicit, eam usque ad octo vel ad summum quindecim dies differri debere. Unde si propter specialia pœnitentis adjuncta octo dies nimii videntur, dilatio etiam per paucos dies jam magnam efficaciam habebit. Imo, si neque hoc commode fieri posset, dilatio per dimidium diem, per noctem, vel etiam per aliquot horas haud raro jam prodesse poterit, ut pœnitens interim serius recogitet, melius oret, magisque conteratur et proponat. Hoc e. g. facile contingere potest in locis peregrinationis, vel occasione exercitiorum, vel si quis, ut notam infamiæ vel nimiæ admirationis vitet, altero mane ad S. Communionem accedere vel S. Missam celebrare debet.

2º Si absolutio differtur iis qui *unico actu* gravem aliquam obligationem implere debent, v. g. removere occasionem continuam, restituere bonum alienum, resarcire alicujus famam læsam, facere reconciliationem vel denuntiationem, sufficit huic obligationi satisfecisse, ut statim post absolvantur.

3º Si dilatio adhibenda creditur iis qui adeunt *occasionem voluntariam interruptam*, puta amasiam, lupanar, theatrum, cauponam, ludos, malos socios etc., regula generalis esset differre absolutionem per tantum tempus quantum sufficit ut confessario constet, eos hanc occasionem jam non, vel saltem notabiliter minus quæsituros esse. In praxi applicatio hujus regulæ pendet ex frequentia visitationum. Si quis recidivus, v. g. semel quavis septimana amasiam quamdam visitare cum eaque frequenter peccare solet, certe dilatio per quindecim dies nimia non esset. Si quis rarius, puta singulis mensibus, lupanar vel aliam occasionem proximam adit, ultra mensem absolutio ei differri non posset, quia difficile rediturus est. Sed si jam ante confessionem per aliquot hebdomadas se a peccando abstinuisset, hujus quoque temporis ratio habenda esset, ut ait Lehmkuhl (II, n. 558). Ceterum hisce haud raro jam proderit dilatio per quindecim vel, si hæc pro tali pœnitente longior videtur, per octo aut pauciores etiam dies, etsi interea copiam adeundi occasionem non haberent; nam tunc dilatio id jam efficit, ut serius recogitent et,

---

vitam » (n. 72). Ast, censuram excommunicationis, qua tunc temporis in multis diœcesibus non paschantes percutiebantur, nunc vix ullo in loco existere crediderim. Certe sedulo quidem confessarius invigilare debet, utrum hi qui semel tantum in anno ad sacramenta accedunt ex vero dolore confiteantur et per aliquod tempus a peccando se abstineant, an potius ut quoquo modo absolutionem carpant et notam infamiæ apud concives effugiant. Ex altera tamen parte, quum nostra ætate multis in locis viri præsertim haud raro respectum humanum superare debent ut præcepto Paschali satisfaciant, qui in hoc casu versantur jam signum quoddam speciale dispositionis ostendunt et, si de mere habituatis ob fragilitatem intrinsecam agitur, merito semper statim absolvuntur. (Cfr. supra n. 365).

salutari propter peccati gravitatem timore perculsi, occasionem in posterum vitare firmius proponant.

478. — 4º Si iis qui in *occasione necessaria* versantur absolutio differenda esset, regula est eam differre « donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum »; ita merito S. Alphonsus (h. l. § 6, p. 360). Circa hujus regulæ applicationem addit: « Et ad hoc, ordinarie loquendo, certe non sufficiet dilatio decem vel quindecim dierum ». Sane, si quis e. g. frequenter peccat cum persona domestica turpiter amata, quam expellere nequit, per se longiore experientia opus est, ut periculum remotum esse dicatur. Alibi in *Praxi* de his occasionariis hæc ait: « Isti majori egent experientia, cum occasio sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen confessarius ne dicat pœnitenti ut non redeat nisi post mensem; nam hic ob tantam dilationem nimis terrebitur. Potius imponat ei ut redeat post octo vel quindecim dies, et sic blando modo ipsum transferet ad absolutionem in fine mensis » (n. 72). Optimum sane est hoc consilium, si id obtineri potest. Atvero si confessarius timet ne iterata dilatio, etsi blando modo injuncta, vires morales sui pœnitentis excedat, eum jam post octo vel quindecim dies absolvere deberet, eumque hortari ut brevi ad sacramenta redeat. Interim dilatio jam multum fructum protulit, si pœnitens incepit adhibitis remediis periculum proximum removere. Imo, si vel hoc tempus in casu longius foret, dilatio per unum alterumve diem jam fructu non carebit, ut supra de recidivis ob fragilitatem intrinsecam dictum est.

Ut brevi dicamus: confessarius, invocato Dei lumine, omnia adjuncta perpendat; quod prudenter a suo pœnitente se obtinere judicat faciat; numquam autem illum qui satis contritus est graviter offensum aut animo fractum a se recedere permittat, et in dubio in benignitate potius quam in severitate excedat.

Conclusio S. Alphonsi

479. — Concludit tandem S. Doctor suum tractatum *de recidivis* per grave monitum generale de vitando utrumque extremum tum nimii rigoris tum nimiæ laxitatis in tractandis hisce peccatoribus (§§ 11-13, supra p. 362). Circa quæ hæc notanda occurrunt.

Tempore S. Alphonsi multi fuerunt *rigoristæ*, ex putido Jansenismi fonte maxime oriundi, qui omnibus recidivis, etsi actu sufficienter contritis, absolutionem passim differebant, ut antea per longum tempus suam conversionem probarent. Hi profecto multum animabus inferebant detrimentum. « Quot miseros ipse cognovi, ingemiscens exclamat sanctus Vir, qui ob denegatam absolutionem se dejecerunt in desperationem et per plures annos a sacramentis

aversi aberrarunt! » (§ 11). De iisdem confessariis alibi sic loquitur: « Non modice animarum saluti obsunt, qui per nimiam austeritatem pœnitentes ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua reticeant, aut sic arctati jugum disciplinæ abjiciant, laxisque habenis in vitiorum cœnum miserabiliter deinde se immergant » (VI, 426). Contra hos S. Doctor per totam vitam strenue dimicavit eo successu ut, licet non desint hodie confessarii qui, imprudenti ducti zelo, absolutionem sine ratione sufficienti differant, vel etiam qui, omni charitate destituti, peccatores disponere non curent eosque imparatos aspero modo dimittant, nihilo tamen minus jam non inveniantur theologi qui hanc nefastam doctrinam tueantur. Qua de re testatur Pius IX: « Neque sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut quum Jansenistarum doctrina novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret ageretque transversos, tunc potissimum exstaret Alphonsus M. de Ligorio,... *qui... istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret* » (*Litt. Apost.* 7 Julii 1871).

480. — Fuerunt etiam eodem tempore multi confessarii *æquo remissiores*, qui faciliores erant in absolvendis omnibus vulgo recidivis, idque magno quoque, imo majore etiam animarum damno. De hisce in *Praxi* ita loquitur S. Doctor: « Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt causa quod tot animæ perdantur, et negari non potest quod isti in majori sint numero et majus damnum afferant, quia istis in majori numero accedunt peccatores habituati » (n. 77). Item initio tractatus *De Pœnitentia:* « Non dubito quin majori quidem detrimento semper in Ecclesia fuerint confessarii nimis indulgentes; cum major hominum pars ad vitia proni sint » (VI, 426). Hujusmodi autem confessarii, juxta S. Doctorem (in textu § 13), sunt tum illi qui in recidivis formalibus nulla signa specialia seu extraordinaria requirere solent sed contenti sunt ordinaria eorum affirmatione se dolere et proponere, tum illi qui, nullo animati zelo, hos recidivos ad contritionem non excitant, neque eis remedia indicant, sed omnes indiscriminatim statim absolvunt. De hisce quoque ingemiscit sanctus Auctor; quia « hoc est unde ruina tot animarum emanat » (*l. c.*). Et in *Praxi* iisdem fere verbis: « Utinam et confessarii recidivos absolverent tum solum, cum signa extraordinaria afferunt! Id quod lugendum, est quod major, ne dicam maxima confessariorum pars, universaliter recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem; et hinc vere procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot animarum universalis pernicies » (n. 77) [1].

[1] Similes graves queremonias contra sui temporis confessarios laxiores profundit S. Leonardus a P. M. (*Disc.* n. 12).

481. — Utrumque hoc extremum generatim evitarunt magni illi theologi antiqui, quorum auctoritate præcedentes nostras theses confirmavimus. Horum doctrinam, si communis aut quasi communis est, secutus est S. Alphonsus. Si quandoque hi ipsi auctores inter se dissentiunt, S. Doctor eas selegit sententias, quas rectæ rationi prudentiæque regulis conformes, magisque saluti animarum conducibiles judicabat. Has autem sententias, non solum gravissimo rationum pondere, sed etiam magna semper auctoritate fulcitas esse, fuse hactenus ostendimus. Unde nemo mirabitur S. Sedem, quum sanctum Auctorem auxit dignitate Doctoris Ecclesiæ, declarasse, eum « *inter implexas theologorum tum laxiores tum rigidiores sententias tutam stravisse viam, per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent* » (*Decr. Urbis et Orbis S. R. C.*, die 11 Martii 1871, a Pio IX approb. die 23 seq.).

CAPUT VII.

De absolutione sub conditione danda peccatori dubie disposito.

482. — Hactenus generatim egimus, sicut alii auctores antiqui et recentes, de forma absolutionis sacramentalis danda absolute seu sine adjecta conditione. Quemadmodum enim in aliis sacramentis, ita quoque in sacramento Pœnitentiæ valet regula generalis, ea dumtaxat rite dispositis, ideoque absolute esse administranda. Identidem tamen, etsi quasi per transennam, diximus nostris præsertim temporibus sæpenumero occurrere casus, in quibus salus animarum exigat, ut sacramentum Pœnitentiæ etiam peccatoribus dubie dispositis, ac proinde sub conditione, conferri possit aut debeat. Sunt hæ exceptiones a regula generali, quæ tamen hodie in locis, ubi fides haud parum languet, satis frequentes sunt. Quam ob rem pro complemento nostri tractatus opus est, ut hac de materia magis ex proposito disseramus. Est quidem hæc quæstio universalis quæ sæpe ad simplices etiam peccatores spectat, sed tamen maxime occurrit in peccatoribus recidivis et occasionariis.

S. Alphonsus hanc materiam, utpote magis generalem, tractat ubi agit de absolutione sub conditione (VI, 431, 432). Omnes tamen recentes theologi ad hunc locum remittunt et S. Doctoris auctoritatem invocant pro benigna illa praxi quam nostra tempora haud raro sequi jubent. Præmittimus igitur textum S. Auctoris.

Textus S. Alphonsi
(VI, 431, 432)

« Quæritur: *An possit valide et licite dari absolutio sub condi-*
« *tione?*

« Omnes conveniunt (ut diximus *de Sacram. in gen. n.* 26) va-
« lidam quidem esse absolutionem quæ datur sub conditione de
« præterito vel præsenti. — E converso, communiter dicunt doctores
« invalidam esse, si conditio sit de futuro; et hoc, etiamsi dicatur:
« *Absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues*, aut simile (ut tenuimus
« *n.* 26).

« Difficultas est, *an sit licitum absolvere sub conditione de præ-*
« *senti vel præterito.*

« *Resp.* — Affirmative cum communi doctorum, contra aliquos
« (juxta sententiam allatam *n.* 28): dummodo justa adsit causa;

« nempe si, negata absolutione, notabile detrimentum immineret « animæ pœnitentis ».

Tum *n.* 432, indicatis tribus causis justis, S. Alphonsus ita prosequitur:

« 4º Si dubitetur an pœnitens sit rite dispositus per verum do- « lorem et propositum. Ita Sporer [1], Mazzotta [2], et Palaus [3] cum « Vasquez [a]) etc.

« Sed huic doctrinæ sic generaliter traditæ nec valeo acquiescere. « Nam dico, non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum « in culpas lethales, qui non probetur dispositus per signa extraordi- « naria (prout infra dicemus, *ex n.* 459): nisi esset in periculo mortis: « vel nisi, excipit Schildere [b]) apud Croix [b]), prudenter timeatur quod « peccator ille non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis « suis tabescet ».

483. — Sacramenta omnia *valide* conferri posse sub conditione de *præterito* vel de *præsenti*, certa est et communis theologorum sententia, ut ait S. Alphonsus (VI, 26). Si enim factum conditionis verum est, intentio conferentis sacramentum fit absoluta; secus nulla manet. Conditio de *futuro* valet in solo sacramento matrimonii, quia hoc naturam contractus sequitur. In aliis autem sacramentis hujusmodi conditio invalidam reddit eorum collationem. « Ratio, inquit S. Doctor, quia ut sacramentum valide conferatur, forma est applicanda materiæ præsenti; alias haberetur effectus sacramenti, quando forma et materia jam desierint adesse » (ib.). Neque etiam valet, juxta S. Alphonsum aliosque plures contra aliquos, conditio: « *Absolvo te, si Deus cognoscit quod restitues* ». « Ratio, quia cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio quæ non possit cadere sub humana cognitione » (ib.). — In sacramento Pœnitentiæ conditio de *præterito* esset v. g.: *si nondum fuisti absolutus; si jam restituisti; si concubinam dimisisti* etc.; de *præsenti* autem v. g. *si vivis; si es capax; si es dispositus; si vere doles* etc. Agimus in hoc capite de conditione apposita *ob præsentem dubiam dispositionem seu dolorem.*

[1] Part. 3, cap. 5, n. 622. — [2] Tr. 6, disp. 2, qu. 4, cap. 2, v. *Dico* 2. — [3] Tr. 23, punct. 5, n. 9.

Notæ criticæ ex editione Gaudé. — [a]) Vasquez, *qu.* 84, *a.* 3, *dub.* 5, *n.* 2, affertur a Palao pro ratione qua nititur assertum: quod scilicet non fiat sacramento injuria, si conditio non subsistat.

[b]) Croix, *lib.* 6, *part.* 1, *n.* 110, casum hunc habet; sed Schildere, *de Principiis conscientiæ, tr.* 6, *n.* 2, principium generale solum, nempe licitum esse sacramentum sub conditione conferre, quando adest magna causa illud recipiendi, et non potest conferri nisi cum dubio de valore.

Sacramentum autem Pœnitentiæ, servatis servandis, aliquando licite posse, vel etiam debere conferri sub conditione, ostenditur in hac ultima thesi:

THESIS 22ª.

I. Peccatorem dubie dispositum sine causa relative gravi sub conditione absolvere, graviter prohibitum est. — II. Si talis causa adest hujusmodi peccator sub conditione absolvi potest vel etiam debet. — III. Præsertim ita absolvi debet, si confessarius prudenter timet, ne hujusmodi dubie dispositus non amplius ad confessionem redeat et in peccatis tabescat.

EXPLICATUR THESIS

484. — Dicitur 1º: *peccator dubie dispositus.* Nam certe non dispositum numquam, ne in mortis quidem articulo, sive absolute sive sub conditione absolvi posse, in confesso est apud omnes; esset enim grave sacrilegium et contra præceptum Christi dicentis: « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos » (*Matth.* 7, 6). Unde Rituale Romanum præcipit: « Ne absolvat eos qui talis beneficii sint incapaces: quales sunt qui nulla dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt » (*De Pœn.* n. 23). — Oportet igitur ut dubie dispositus quædam ordinaria doloris signa præbeat, ita ut ejus dispositio vere dubia sit, sive quia illa signa in se non satis gravia videntur, sive propter alia gravia signa opposita. Excipe tantum mortis periculum, in quo ob extremam necessitatem etiam *tenuis* probabilitas dispositionis sufficit, ut infra (n. 502) dicemus. — Denique agitur hic de peccatore qui dubie dispositus manet etiam post seriam confessarii exhortationem. Hic enim, ut supra (thesi 17ª) vidimus, sub gravi tenetur, quantum moraliter potest, hujusmodi pœnitentem disponere. Quodsi omittit, deesset ratio absolvendi sub conditione, non quidem ex parte pœnitentis, sed ex parte confessarii negligentis.

485. — Dicitur 2º: *sine causa relative gravi.* S. Alphonsus generatim docet, sacramenta sub conditione licite conferri posse « justa sive rationabili causa accedente » (VI, 28), ideoque « non tantum in casu necessitatis, sed quoties adest gravis utilitas » (*H. Ap.* XIV, 3). Atque pro sacramento Pœnitentiæ id supra (p. 406) in textu (n. 431) ita explicat: « dummodo justa adsit causa; nempe si, negata absolutione, *notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis* ». Quare justa causa certe non adesset, si pœnitens ex dilata absolutione potius bonum et utilitatem quam detrimentum animæ suæ acquireret, puta quia brevi post rediens magis dispositus esset,

occasionem vitasset, remedia adhibuisset etc. Neque etiam causa relative gravis esset ordinarium incommodum redeundi, aliqua pœnitentis afflictio vel ægritudo, privatio gratiæ sanctificantis per breve tempus, aliaque hujusmodi; non enim sunt hæc notabilia animæ detrimenta, sed rationes leves relate ad multo majora bona, quæ pœnitens per dilationem pro anima sua assequeretur. Vide quæ supra (n. 459 sqq.) de commodis et incommodis dilatæ absolutionis pro rite dispositis exposuimus; quæ certo magis valent de dubie dispositis. — Varios casus, in quibus pro hisce dubie dispositis adest justa et relative gravis causa, infra (n. 502-515) exponemus.

Dicitur 3º: *absolvi potest vel etiam debet.* Videlicet, si *certo* adest causa relative gravis, absolutio conditionata dari *debet;* si de ea *dubitatur*, juxta regulas prudentiæ in singulis casibus perpendendas concedi *potest.*

486. — Dicitur 4º: *præsertim ita absolvi debet, si confessarius prudenter timet, ne non amplius ad confessionem redeat et in peccatis tabescat.* — Agitur in hac tertia parte de pœnitente qui redire quidem potest ut melius se disponat, sed qui prævidetur redire non velle, si id ipsi injungeretur. In hoc autem casu requiritur timor alienationis a sacramentis et majoris ruinæ spiritualis ac æternæ damnationis. Unde per se non sufficit timor non redeundi ad eumdem confessarium vel non confitendi per aliquod tempus, sed requiritur periculum *diuturnioris alienationis a confessione,* ita ut merito timeatur, ne ob non concessam absolutionem in pejorem ruat statum, v. g. in desperationem, in indifferentiam religiosam, in odium vel saltem in aversionem practicam erga Ecclesiam aut sacramenta. — Oportet etiam ut hic timor sit « *prudens* », ut ait S. Alphonsus, et *vere gravis:* levis enim timor generatim in operando attendendus non est; quia, ut S. Thomas ait, in operationibus humanis « non potest certitudo prudentiæ tanta esse quod omnino sollicitudo tollatur » (II-II, qu. 47, a. 9, ad 2). Hujusmodi gravis timor hodie haud raro habetur relate ad multos illorum qui ita debiles sunt in fide et negligentes in praxi religionis, ut vix tempore Paschali ad confessionem adduci queant. — Denique opus est, ut ipse pœnitens hic et nunc *credat* se sufficienter dispositum esse: si enim ipsemet hac de re serio dubitat, neque conditionatam absolutionem accipere potest, quia numquam agere licet cum dubio practico de peccato mortali. Hæc omnia optime et brevi complectitur Lehmkuhl dicens, absolutionem conditionate concedi debere, « si pœnitens *bona fide* putat se satis esse dispositum, et confessarius *graviter* timet ne, negata aut dilata absolutione, pœnitens in pejus ruat et ab *omni* sacramentorum frequentatione absterreatur » (*Th. Mor.* II, n. 371, 7; item n. 556, 1).

Nihil autem refert quod *ex propria pœnitentis culpa* hoc grave periculum oriatur, puta ex incuria salutis æternæ, ex negligentia

melius se disponendi, vel ex injusta indignatione ob dilatam absolutionem (cfr. supra n. 457, 1°). In thesi enim probabimus, sufficere ut in actu confessionis dubie dispositus sit, undecumque hæc dubia dispositio et grave pejoris status periculum oriatur.

487. — Thesis hæc fere ad verbum desumpta est ex S. Alphonso. — *Prima* pars a theologis antiquis et recentibus satis vulgo admittitur. — *Alteri* parti refragantur aliqui ex antiquis rigoristis, qui in sola necessitate absolutionem conditionate dandam esse concedant, puta in mortis periculo. (Cfr. S. Alph. VI, 28). Quidam tamen auctores recentiores in praxi ob rationes etiam justo leviores dubie dispositos absolvi posse volunt. — *Tertia* pars statuitur contra plures rigoristas; inde autem a S. Alphonso sustinetur ab omnibus fere recentibus theologis, etsi iterum non desint qui in ejus explicatione vel applicatione ad praxim æquo remissiores sint.

Probatur prima pars

Graviter prohibitum esse, peccatorem *dubie dispositum* sub conditione absolvere *sine causa proportionata et relative gravi*, ostenditur rationibus et confirmatur auctoritate.

I. — *Rationibus.*

488. — 1° *Ex reverentia sacramentis debita.* Regula generalis est, non licere conferre sacramentum, nisi suum habeat effectum, ac proinde nisi recipiens capax et dispositus sit. Ponere enim, in nomine et persona Christi, ritum sacramentalem qui effectu a Christo intento frustretur, gravis est irreverentia, utpote simulatio seu fictio rei sacræ, adeoque profanatio ac velut irrisio institutionis Christi [1]. Idque dicendum est, non solum si sacramentum certo infectum aut sine fructu manet, sed etiam si dubius est ejus effectus, v. g. baptismum ministrare cum materia dubia, consecrare materiam dubiam, ordinare subjectum dubie capacem etc.; « quia, ut ait Suarez (*de Sacram. in gen.* disp. 16, sect. 2) in moralibus perinde est aliquid facere et exponere se periculo faciendi ». (Cfr. supra n. 400-402). Tum solum quando justa et rationabilis adest causa, licet se tali periculo

[1] Quod S. Thomas specialiter de suscipiente Baptismum dicit, valet de omnibus sacramentis sive collatis sive susceptis: « Fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid velle quod non vult. Quicumque autem accedit ad baptismum ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere et sacramentum venerari, et velle se Christo conformare, et velle a peccato recedere. Unde cuicumque peccato vult homo inhærere, si ad baptismum accedit, fictus accedit; quod est indevote accedere... Unde fictio hic quodammodo includit omne peccatum » (III, qu. 69, a. 9, ad 3).

exponere, ut infra (n. 493) probabitur; tunc enim irreverentia, quæ ex frustratione sacramenti sequeretur, non esset peccatum formale, sed tantum materiale, quod ob talem gravem rationem permittere licet. — Nec refert quod sine tali causa conferens sacramentum apponat *conditionem* sine qua illud conferre non vult. Nam ille semper habet intentionem adhibendi nomine Christi ritum sacrum, eumque exponendi frustrationis periculo, etiamsi non habeat voluntatem eidem adnectendi effectum, si necessaria conditio desit. Hæc autem intentio exponendi ritum sacramentalem frustrationis periculo jam *per se* est gravis irreverentia, quæ ex sola justa causa a peccato formali excusari potest. Hinc graviter peccaret et sacrilegii reus esset qui sine proportionata causa, licet sub conditione, conficere vellet S. Eucharistiam, sacramenta Confirmationis, extremæ Unctionis etc. cum materia dubia, adeoque cum dubio effectu. (Cfr. supra n. 403).

Hæc autem principia valent pro *omnibus* sacramentis, quia ex ipsa natura rei adeo sacræ profluunt. Ergo esset etiam grave peccatum absque justa causa velle ministrare sub conditione sacramentum Pœnitentiæ cum materia dubia seu cum dubia pœnitentis dispositione, a. v. velle dare absolutionem conditionatam omnibus promiscue peccatoribus dubie dispositis. Hanc rationem intrinsecam S. Alphonsus, loquens de conditionata sacramentorum administratione, ita brevi enuntiat: « Illicitum enim est sine tali causa sacramentum conferre *cum dubio effectus* » (VI, 28). Id solum concedendum est pro sacramento Pœnitentiæ, utpote mortuorum, minorem requiri causam quam pro sacramentis vivorum.

489. — Neque dixeris: *ipsa dubia dispositio* ex se sola jam est hujusmodi justa causa. Nam dispositio seu actus pœnitentis sunt ipsa hujus sacramenti *materia;* ac proinde, quemadmodum in aliis sacramentis, ita etiam in sacramento Pœnitentiæ *per se*, seu nisi *alia* extrinseca causa accedat, ejus collatio differri debet, usquedum certa materia habeatur. Et si quis cum multis Scotistis dicere velit, actus pœnitentis esse tantum conditionem sine qua non conficitur sacramentum, eadem tamen urget ratio, nempe periculum frustrationis rei adeo sacræ ac est ritus sacramentalis, nomine Christi positi. Hinc dubie dispositus per se nullum jus, ne dubium quidem aut probabile, habet recipiendi sacramentum; quia ex institutione Christi certam materiam præbere debet; et usquedum hanc afferat, omni etiam probabili jure dejicitur (cfr. n. 424). Merito igitur S. Alphonsus supra in textu (n. 432, p. 406) improbat aliquos auctores (Sporer, Mazzottam et Palaum) qui nimis « generaliter », ut ait, ac proinde incaute dixerint, absolutionem conditionatam dari posse, « si dubitetur an pœnitens sit rite dispositus ».

490. — 2º *Ex charitate.* Pro sacramento Pœnitentiæ specialis etiam est ratio, cur hoc sine justa et proportionata causa dubie dispositis conditionate conferre nefas sit. Etenim hujusmodi dubie dispositi possunt, et ex charitate erga se sub gravi tenentur, melius se disponere, ita ut hoc sacramentum, quod « secunda post naufragium

tabula » vocatur, certe valide et fructuose recipiant. Sin autem leviter statim absolvuntur, ordinarie hanc gravem obligationem negligent, idque cum magno suæ animæ damno. Nam probabiliter in statu peccati mortalis manent. Deinde cum tali dubio proposito etiam in posterum vix se emendare, occasiones fugere aliaque remedia adhibere curabunt; hinc valde probabiliter pluribus et majoribus usque peccatis se implicabunt; deinceps quoque cum iisdem dubiis dispositionibus ad sacramenta accedere pergent, atque ita gravissimo æternæ damnationis periculo se exponunt. Jamvero confessarius, ut doctor et medicus et pater, *per se* eos de hac gravi obligatione, deque hoc magno æternæ salutis periculo monere debet; idque etiamsi versantur in bona fide: hæc enim eos ab hujusmodi animæ damnis non liberat, quinimo periculum sæpe auget, quia ob carptam illam absolutionem sibi illudunt et de seria emendatione parum cogitant. Quod officium si confessarius absque gravi ratione — qualis esset timor majoris mali — omitteret, eosque in bona fide relinqueret, infidelis esset sacramenti minister, utpote peccati sacrilegii particeps et reus quoque eorum damni spiritualis. Itaque si confessarius hos dubie dispositos apta exhortatione ad veram pœnitentiam adducere nequit, neque alia justa adest ratio eos statim absolvendi, sub gravi tenetur eis absolutionem differre, ut interea orando sibique vim inferendo melius se disponant et postea sacramentum certo valide et fructuose recipiant. (Cfr. supra n. 407).

Ex hisce igitur rationibus liquido constat, sententiam huic primæ thesis parti oppositam esse falsam et laxam, quippe quæ adversatur reverentiæ sacramento debitæ et vergit in detrimentum animarum. — Quapropter sedulo cavendum est, ne illud effatum: « Sacramenta propter homines » præpostere adhibeatur. In se quidem verissimum est, ut statim dicemus; sed rite explicetur. Videlicet, sacramenta a Christo instituta sunt propter homines, ut hi eorum susceptione a præteritis peccatis liberentur, a futuris prævertantur et sic salventur, minime vero ut laxa eorum nimisque profusa collatione pravis moribus indulgeatur et sic homines damnentur.

II. — *Auctoritate.*

491. — Hæc sententia, quoad sacramenta in genere, est communis inter theologos. Qua de re ita S. Alphonsus, tractans de sacramentis *sub conditione* ministrandis: « *Commune* est cum præfatis auctoribus (contra aliquos), esse peccatum *mortale* ministrare sacramenta, *si non adsit causa* necessitatis vel gravis utilitatis: illicitum est enim sacramentum conferre cum dubio effectus » (VI, 28; item *H. Ap.* XIV, 3). — Illi autem « præfati auctores », a S. Doctore

adducti, sunt: « *Suarez, Palaus, Bonacina, Salmanticenses, Roncaglia,* item *Croix, Elbel* et *Sporer* », quorum locos videsis ibidem citatos (ed. Gaudé). Pro omnibus sufficiat adduxisse solos Salmanticenses qui docent: « Apponere conditionem de præterito vel præsenti in conficiendis sacramentis, si adsit causa rationabilis, nullum erit peccatum; si desit, erit mortale, quia est exponere se periculo ministrandi sacramentum invalide; ita *communiter* » (tr. 1, cap. 7, n. 56). Merito autem auctores illi generatim loquuntur et non excipiunt sacramentum Pœnitentiæ casu dubiæ dispositionis: nam eadem valent principia pro omnibus sacramentis, ut ex rationibus intrinsecis supra expositis patet.

Accedit gravissima auctoritas *S. Congr. de Prop. Fide* quæ, in Instructione mensis Aug. 1827, præscribit, ut confessarii absolutionem « illis *differant*, quorum pœnitentia *incerta et dubia* merito habeatur ». (Cfr. supra n. 406). — Ergo *per se*, seu non accedente causa justa et relative gravi, dubie dispositis absolutio est differenda, eamque sub conditione statim concedere sub gravi prohibitum est.

492. — Consentiunt hac in re expresse etiam multi *recentiores.*

Bucceroni ait: « Hinc rejicienda est, ut plane laxa, doctrina nonnullorum qui tenent, conditionatam absolutionem impertiri posse levi qualibet ex causa, etiamsi de sufficienti dispositione pœnitentis, mortalibus quoque peccatis gravati, quomodocumque dubitetur. Confessarius siquidem jam non esset prudens dispensator sacramentorum, sed projiceret margaritas ante porcos; et hac absolvendi facilitate efficeret, ut pœnitentes in peccatis tabescerent » (*Instit.* II, 750).

Item Lehmkuhl: « Si confessarius quemlibet pœnitentem vere dubie dispositum absolvere velit, gravis laxitatis notam non effugiat ac falsa misericordia in pœnitentem moveatur; quia per se culpa pœnitentis est, si sufficientis doloris argumenta non præbet » (II, 371, 7).

Eodem modo Berardi: « Causa proportionata semper requiritur; si enim nulla existente necessitate et quasi pro nihilo sacramentum periculo invaliditatis, quamvis sub conditione, exponeretur, tunc talis agendi modus ex una parte esset contra reverentiam Sacramento ipsi debitam, et ex alia pœnitentes cum magno animæ damno nimis frequenter vel crederent esse absolutos quando non sunt, vel de ejusdem valore et efficacia nullam confidentiam habere possent » (*De Recid.* n. 112, nota).

Scite quoque Tanquerey: « Si facile conditionata absolutio daretur, tum pœnitentes tum ipse confessarius facile in quamdam inciderent socordiam, nec multum curarent de necessariis dispositionibus excitandis, ex quo etiam fieret ut paulatim sacrilegia multiplicarentur » (III, 276).

PROBATUR ALTERA PARS

493. — Attamen *si causa relative gravis adest,* peccatorem dubie dispositum sub conditione absolvere *non solum licet, sed aliquando etiam oportet;* uti supra (n. 485) explicavimus. Probatur autem:

I. — *Ratione.*

Videlicet *ex intentione Christi.* Humani enim generis Redemptor pro infinita sua benignitate sacramenta in Ecclesia instituere voluit, ut fideles eis uterentur velut mediis efficacissimis quibus ad salutem æternam perveniant; hinc adagium: « Sacramenta propter homines ». Voluit proinde etiam, ut sacramentorum ministri ea dispensarent, quando id juxta rectæ rationis et prudentiæ regulas pro fidelium salute utile aut necessarium duxerint, modo nihil sacramentorum dignitati et reverentiæ detrahatur. — Atqui ob graves rationes sacramentum Pœnitentiæ sub conditione dubie dispositis administrare, non officit sacramenti dignitati, et fidelium saluti sæpe maxime utile vel etiam necessarium est.

Probatur *Minor. a*) *Non officit,* inquam, *sacramenti dignitati,* « cum conditio, ut ait S. Alphonsus, justa causa accedente, omnem reparet irreverentiam » (VI. 28). Videlicet, removet absolute omnem irreverentiam formalem ac voluntariam. Periculum autem irreverentiæ materialis in adhibendo ritu sacro ob justam causam permittere licet. Ratio est, quia charitas erga proximum, hoc magno bono indigentem, in casu magis urget quam virtus religionis, quæ per se in profanatione materiali læderetur; unde in collisione hæc illi cedere debet. Confessarius ergo apponendo illam conditionem diserte protestatur, se illa deficiente non intendere effectum producere, sed se, si ritum sacramentalem periculo frustrationis exponat, id quasi coactum facere et solummodo ad acquirendum pro proximo, quoad ejus fieri potest, magnum illud bonum, ab ipso Christo in sacramenti institutione intentum. Qua protestatione certe reverentia sacramento debita prorsus in tuto locata est [1].

b) Quod autem *fidelium saluti sæpe valde utile et aliquando etiam necessarium* sit sacramentum pœnitentiæ in casu dubiæ dispositionis sub conditione dispensare, manifestum est, et infra (n. 502 sqq.), varios exponendo casus, patebit. Regula autem generalis hæc est:

---

[1] Quæ hic de addenda conditione diximus non valent pro sacramento Baptismatis, adulto collati, si *dubia* est baptizandi *dispositio* seu contritio. In hoc enim sacramento contritio non est, sicut in Pœnitentia, pars sacramenti. Quapropter Baptismus, modo adsit intentio recipientis, semper valide recipitur, et si postea obex removetur eliciendo actum contritionis, reviviscit. Unde charitas erga proximum postulat, ut semper *absolute* conferatur.

quando ex negata aut dilata absolutione pro anima pœnitentis damnum notabiliter majus timetur quam speratur bonum, hæc statim conferenda est; tunc enim, ut ait S. Alphonsus in textu (n. 431), « negata absolutione, *notabile detrimentum* immineret animæ pœnitentis ». Si moraliter certum est hoc notabile detrimentum seu majus damnum spirituale, confessarius conditionatam absolutionem statim largiri debet; quando vero omnibus perpensis ea de re dubitat, eam concedere potest, sed non tenetur.

II. — *Auctoritate.*

494. — Merito S. Alphonsus dicit, *communem* esse auctorum sententiam, contra paucos, licitum esse administrare sacramenta sub conditione « non tantum in casu necessitatis, sed quoties adest gravis utilitas aut justa causa » (*H. Ap.* XIV, 3; item *Th. Mor.* VI, 28). Neque auctores excludunt sacramentum Pœnitentiæ in dubio de dispositione pœnitentis; omnes expresse id concedunt in periculo mortis, et quamplurimi, imo hodie omnes, etiam ob alias graves rationes. (Cfr. infra n. 502 sqq.).

Objectionibus satisfit

495. — *Obj.* 1º ab aliquibus antiquis rigoristis: Absolutio sacramentalis est actus judicialis. Atqui repugnat actui judiciali ferre sententiam conditionatam sub conditione juris, quum judex de ipso jure judicet. Unde vana et absona esset hæc sententia: *Adjudico tibi hanc domum, si ad eam jus habes.* Eodem igitur modo repugnat in sacramento Pœnitentiæ haec sententia conditionata: *Ego te absolvo, si es dispositus,* quum confessarius de ipsa dispositione judicium ferre debeat.

Resp. 1º Neganda est *paritas.* In judicio enim humano cuique suum tribuitur pro foro *externo,* ut *coram hominibus* extra litigium ponatur; unde ordinarie sententia absolute ferenda est; secus nihil efficeret. Conditio ergo addita: « si ad eam jus habes », utpote hominibus ignota, absona foret et sententiæ valori obstaret. In judicio autem sacramentali agitur de sententia pro foro *interno* et *coram Deo ;* unde hæc semper supponit pœnitentem coram Deo dignum esse absolutione. Nihil ergo ejus valori obstat, quominus judex sententiam ferat sub hac expressa conditione quæ certe Deo nota est. — Deinde sententia judicialis civilis debet esse *declaratoria,* i. e. debet discernere utrum res tua sit an mea; hinc ridicula foret hæc sententia: « Adjudico tibi rem, si tua est ». Sed sententia judicialis sacramentalis est *operatoria.* Nihil autem impedit, quominus quid conditionate aliud efficiat. — Præterea confessarius nequaquam fert judicium, id est sententiam, de dispositionibus, sed *de peccatis juxta dispositiones.* De hisce judicat tantum judicio discretionis; unde dispositiones ad essentiam actus judicialis, qua talis, non pertinent.

2º Sed etiam *minor* est neganda. Nam in judicio humano conditionem sententiæ judiciali *per se* non repugnare, ab ipsis juristis conceditur;

imo hodie in multis jam tribunalibus civilibus contra crimina minora primo fertur sententia condemnatoria conditionata, v. g. « Ad carcerem te condamno, si in eamdem culpam recidis ». Ceterum plures antiqui rigoristæ absolutionem conditionatam admittunt in casu necessitatis pro moribundis sensibus destitutis, quorum certe multi sunt dubie dispositi; ergo concedunt conditionem essentiæ judicii sacramentalis non repugnare.

496. — *Obj.* 2º ab iisdem: Absolutio conditionata in foro Pœnitentiæ est contra ritum et usum Ecclesiæ, quæ in Rituali Romano conditionem apponendam solum admittit pro sacramentis Baptismi et extremæ Unctionis. Neque ulla in antiqua Ecclesia ante sæculum XVI de absolutione conditionata pro sacramenti Pœnitentiæ mentio fit.

Resp. Nego *consequentiam.* Rituale Romanum generatim indicat dumtaxat ritus *externos ;* et pro Baptismo in caso dubio [1] merito talem conditionem externe prolatam vult, « ne adstantes credant, ut ait S. Alphonsus, Baptismum absolute reiterari contra legem Ecclesiæ » (VI, 29). Sed pro foro *secreto* sacramenti Pœnitentiæ Ecclesia in Rituali nullatenus codicem completum theologiæ moralis dare intendit. Ergo silentium Ritualis nihil probat. — Atque idem fere dicendum est de usu antiquæ Ecclesiæ; videlicet non omnia scripta sunt quæ sacramentorum ministri tunc temporis facere solebant, præsertim circa sacramentum Pœnitentiæ, in quo secreto sententia fertur juxta prudens confessarii judicium. Scientia autem moralis paulatim decursu sæculorum magis explicata et evoluta est per theologos qui regulas tradiderunt, quibus hoc prudens confessariorum judicium dirigeretur. Ceterum Ecclesia per decretum S. Inquisitionis 13 Junii 1715 in casu Wippermann, dubie baptizati, præscripsit, ut ipse « collato Baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata *confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur* ».

Scholion

De modo exprimendi conditionem.

497. — Absolutionem pœnitenti sine conditione largiendam esse, si confessarius ipsum moraliter *certo* dispositum esse judicat, in confesso est apud omnes. Hoc casu conditionem addere jam Cajetanus ut gravem abusum improbat, « quia, inquit, (sacerdos) præsumit sub forma dubia tradere quod Christus mandavit sub forma certa ministrari » (*Summ.* v. *absolutio peccat.*). Merito tamen S. Alphonsus cum aliis ait: « Is non peccaret mortaliter, sed non excusaretur a culpa veniali, cum hoc esset contra ritum Ecclesiæ » (VI, 28). Quod confessarius in hoc suo judicio adhuc errare possit, id practice negligendum est, quia, ut ait S. Thomas, in re morali sufficit certitudo probabilis. (Cfr. supra n. 394, 401). — Quoniam igitur solum si *dubia* est dispositio, de addenda conditione agitur, quæritur *num* et *quo modo conditio exprimi debeat.* Qua de re hæc dicenda videntur.

---

[1] Non agitur hic de dubio circa *dispositionem* (cfr. n. 493, *nota*); sed de alio dubio, puta num quis jam sit baptizatus, num adhuc vivat.

498. — I. Aliqui opinati sunt, in casu dubiæ dispositionis nulla ratione conditionem sententiæ absolutionis addendam esse, quia illa jam per se velut *implicite* omni sententiæ includitur: quisque enim confessarius habet intentionem hanc implicitam administrandi sacramentum tum solum: « si licet », « si subjectum est capax », etc. — Ast hi falluntur; nam per se hæc conditio nequaquam implicite in sententia absolute pronuntiata includitur: ad hoc enim requiritur ut actus positivus et explicitus voluntatis præcesserit. Verum quidem est, effectum sacramenti, si adest obex, non poni; sed hæc carentia effectus in casu est tantum *ex parte sacramenti* quod natura sua talem effectum excludit, non autem *ex parte ministri*. Hic enim, nulla adjecta positiva conditione, formam sacramenti per se gravi falsitatis periculo exponit, quia in persona Christi pronuntiat absolute et sine restrictione sententiam absolutionis erga eum quem Christus probabiliter non absolvit; quod sane gravis esset irreverentia. (Cfr. supra n. 400-402). Oportet igitur ut confessarius per actum *explicitum* et *formalem voluntatis* intendat ac velut protestetur, se non velle effectum huic sacro ritui adnectere, si deest debita dispositio. Tunc solum sententia, utpote conditionata, erit veritati conformis, etiam si deest dispositio. Merito igitur Lugo: « In his et similibus casibus (dubiis) propter reverentiam sacramenti absolutio impendi *debet* sub conditione *explicita* interius concepta » (*De Pœn.* disp. 17, n. 91). Neque dicatur: scit confessarius, saltem habitualiter, talem ritum carere suo effectu, si adest obex. Nam hæc scientia non est actus voluntatis; ac proinde sententiam per se absolutam non restringit, neque efficit ut conditio tacite aut implicite eidem includatur [1].

Eamdem ob rationem neque *per se* sufficere videtur intentio generalis faciendi *quod vult Ecclesia* seu *quod Christus instituit;* quia hæc in genere tantum dicit, ministrum velle producere effectum quem intendunt Christus et Ecclesia. In dubio autem positivo num adsit obex, talis intentio generalis non impedit, quominus minister ex parte sua sententiam absolutionis gravi falsitatis periculo exponat. Quodsi minister per hanc intentionem faciendi quod vult Christus vel Ecclesia, *explicite* et *positive* etiam intendat non administrare sacramentum, si est obex, tunc sane hæc intentio sufficeret; quia tunc adest novus actus voluntatis, restringens sententiam et periculum falsitatis evitans.

499. — II. Conditio potest utique *verbis,* ore prolatis, exprimi, quidquid dicunt rigoristæ, quia essentiam sententiæ non corrumpit aut irritat, sed eam dumtaxat restringit. Sufficit tamen, ut conditio *mente* concipiatur. Ita S. Alphonsus: « Si sacramentum sit administrandum sub conditione, nullatenus requiritur ut conditio ore expri-

[1] Cfr. quoque Vermeersch, *Theol. Mor.* III, 540, ubi contrariam Ballerinii sententiam refutat.

matur, sed sufficit mente concipi » (VI, 29). Ratio est, quia sicut intentio, qua talis, verbis exprimi non debet, ita nec ejus restrictio per conditionem additam.

Adjungit S. Doctor in ultimo *Elencho quæst. reform.* qu. 17: « Sed quia non desunt auctores aliqui... qui tenent, licet parum probabiliter, valorem sacramenti non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere ». Quocirca fac advertas, S. Alphonsum dicere solum id « tutius » esse, supponendo illam opinionem Catharini, quam ipsemet rejicit (VI, 23), gaudere adhuc aliqua probabilitate extrinseca. Quia vero hodie singularis illa opinio communissime ut improbabilis rejicitur, nemo angi debet, si in administrando sacramento Pœnitentiæ sola mente hanc conditionem retineat.

500. — III. Quodsi quæris, *quoties* hæc conditio restrictiva mente ac voluntate iteranda sit, respondeo tutius sane esse, si confessarius eam toties actualiter repetat quoties absolutionem sub tali conditione concedit. Sufficere tamen videtur, si interdum positive hanc intentionem renovet; nam, quum confessarius saltem confusam conscientiam hujus actus habeat, pronuntiando sententiam absolutionis hæc conditio restrictiva velut *virtualiter* adhuc perseverat et ipsi sententiæ quasi imbibita manet.

501. — IV. Quæritur denique, quid sentiendum sit de adhibenda conditione: *si es dispositus ?* Sunt enim recentes quidam auctores qui censeant, hanc formulam, quam plurimi theologi inde a sæculo XVIII in casu dubiæ dispositionis pro sacramento Pœnitentiæ indicant, nequaquam adhibendam esse, sed exprimendam esse conditionem sub hac formula: *si es capax.* Eorum ratio est, quia sæpe datur sacramentum Pœnitentiæ validum sed informe, casu nempe quo aliqua attritio quidem adest, sed ea non appretiative summa. Jamvero, ajunt, si adhibetur conditio: « si es capax », sacramentum, utpote valide receptum, revivisceret et gratiam operaretur, quando postea actus attritionis appretiative summæ elicitur; secus autem si dicitur: « si es dispositus ».

Respondeo, sententiam de valore sacramenti Pœnitentiæ, si deest attritio appretiative summa, nobis non videri solide probabilem; qua de re vide supra (n. 236 sqq.). Quia tamen adhuc quadam probabilitate, saltem extrinseca, gaudet, potest utique confessarius uti conditione: *si es capax.* Atvero nihil obstat, quominus etiam adhibeat conditionem: *si es dispositus*, modo eam intendat de dispositione necessaria sive ad valorem sive ad fructum sacramenti recipiendum. Neque enim verbum « dispositionis » necessario ad solam fructuosam sacramenti receptionem refertur, sed etiam de dispositione ad validam ejus receptionem necessaria intelligi potest.

Antequam ad probationem tertiæ partis thesis transeamus, juvat hic varios exponere casus, in quibus generale principium

in hac altera parte probatum applicetur, a. v. in quibus gravis occurrat causa ob quam peccatoribus dubie dispositis absolutio sub conditione concedi possit aut etiam debeat.

Digressio

Exponuntur varii casus vel rationes concedendæ absolutionis conditionatæ [1].

—

I. *Periculum mortis.*

502. — Ita generatim S. Alphonsus supra in textu (n. 432, pag. 406).

Omnes quidem auctores, etiam rigidioris doctrinæ, juxta antiquos Canones et Rituale Romanum (*De Pœn.*, n. 25), dicunt moribundis, etsi peccata explicare nequeant, absolutionem concedi debere, tum si sacerdoti præsenti præbent signa doloris, tum si sensibus destituti sunt, sed ex testimonio adstantium paulo ante dederunt signa doloris aut confessarium postularunt. In primo quidem casu absolutio absolute danda est, quia nullum est prudens dubium de dispositione; in altero vero, juxta S. Alphonsum, tutius sub conditione, « præcipue ubi de signis datis dubitetur », ac proinde de ipsa debita dispositione (VI, 481).

Sed præterea S. Doctor contra multos egregios theologos (Suarez, Lugo, Laymann etc.) docet, confessarium absolutionem, utique sub conditione, concedere posse, ideoque ob extremam necessitatem sub gravi debere, *moribundo sensibus destituto, etiamsi nullum monstraverit doloris signum*, neque ipsi præsenti, neque antea ex testimonio alicujus testis (VI, 482), imo etiam si sensibus destitutus fuerit *in ipso actu peccati*, puta adulterii, duelli etc. (n. 483). Ratio est quia, ut ait S. Auctor, « in casu extremæ et urgentis necessitatis... possumus uti opinione adhuc tenuis probabilitatis... Necessitas autem efficit ut licite possit ministrari sacramentum in quocumque dubio; per conditionem enim satis reparatur injuria sacramenti, et eodem tempore satis consulitur saluti proximi » (n. 482). Et quod attinet ad sensibus destitutum in actu peccati, « merito, inquit, præsumi potest quod ipse, in proximo periculo suæ damnationis constitutus, cupiat omni modo suæ æternæ saluti consulere ». Dolor autem sensibilis per suspiria aliaque signa exprimi potest, licet a confessario non percipiatur

[1] Agimus hic de illis solum casibus, in quibus dubium versatur circa *dispositionem*, non vero de aliis.

(n. 483). Recentes theologi communiter benignam hanc S. Alphonsi doctrinam sequuntur.

503. — Addit tamen S. Doctor: « modo constet fuisse *catholicum* »; « nam secus dicendum de *hæretico*, ut recte advertit Holzmann. Hæretici enim, etiamsi in eo casu dent signa pœnitentiæ, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant; quia tales numquam prudenter præsumi valent ea signa præbere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent » (n. 483). Hæc ratio efficax quidem est, sed supponit hæreticum pertinentem ad sectam quæ confessionem *rejicit* [1]; supponit præterea hæreticum *materialem*, qui bona fide suam sectam veram, catholicam autem religionem falsam habet, neque unquam propensionem in catholicam religionem monstravit. Sane hujusmodi homo, etiamsi habet contritionem et voluntatem se salvandi seu faciendi quod Deus vult, nullam tamen habet intentionem, ne implicitam quidem, recipiendi hoc medium salutis quod est sacramentum Pœnitentiæ, quod quidem ignorat aut etiam rejicit. Dico: *ne implicitam quidem ;* quia intentio illa generalis faciendi quod Deus vult non est implicita, sed mere *conditionata ;* scilicet *vellet* recipere hoc sacramentum, *si* illud ut a Deo volitum *cognosceret :* conditione autem hac non impleta, id nullo modo vult. Ceterum quidquid est de intentione implicita, tamen rejectio *explicita* confessionis prævalet ejus admissioni implicitæ. Ratio ergo, qua quidam recentiores nituntur, ut tali hæretico absolutionem sub conditione dari posse probent, vera probabilitate destituta esse videtur.

504. — Secus tamen judicandum est de hæretico *formali ;* quia de hoc idem dicendum est quod de catholico, qui in actu peccati sensibus destituitur et in vitæ discrimen venit. Quapropter — ad praxim quod spectat — quum hodie ubique fere permulti sint hæretici formales seu de sua secta vere dubitantes, si confessarius inciderit in hæreticum moribundum sensibus destitutum, quem utrum hæreticus materialis an formalis sit ignorat, nostro judicio poterit ipsi quoque, juxta principia S. Alphonsi, absolutionem conditionatam impertiri [2].

Atque eadem quoque ratio a fortiori valet de illis *apostatis* qui in catholica fide baptizati et nutriti sunt, sed postea a fide defecerunt aut sectæ hæreticæ, massonicæ aliisve nomen dederunt:

---

[1] Ad illos hæreticos quod spectat qui sacramentum Pœnitentiæ *admittunt* et generatim *schismatici* vocantur, hi certe præsumi possunt sacramentum in extremo illo vitæ momento recipere velle, ac propterea sub conditione absolvi possunt. Quod etiam patet ex rescripto S. Officii diei 17 Maji 1916: « An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema Unctio conferri possit? *Resp.* Sub conditione affirmative;... remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse » (ad II).

[2] Huic sententiæ non obstat canon 731, § 2; quia ibi non agitur de sensibus destitutis.

nimirum quando hi subitaneo casu, v. g. apoplexiæ, perculsi, sensibus destituti sunt et in mortis periculo versantur. Nam etiam hi, perinde ac qui in actu peccati sensibus destituuntur, aliqua levi saltem ratione præsumi possunt in hoc extremo momento de suo peccato infidelitatis pœnitere et sacramenta recipere velle.

505. — Non idem tamen dicendum nobis videtur de illis catholicis aut apostatis aut peccatoribus contumacibus et indifferentibus, qui morbo affecti et mortis periculi plene conscii *usque ad sensuum destitutionem confiteri præfracte renuerunt.* Hisce, si tandem in ultimis vitæ horis sensibus destituuntur, neque etiam sub conditione absolutionem dari posse arbitramur. Etenim ne *levi* quidem ratione præsumi possunt ad veram pœnitentiam redire et sacramenta suscipere velle; sed moraliter certum est, eos obduratos et indispositos ad ultimum vitæ momentum permanere. Unde hisce absolutionem, etsi sub conditione, concedere esset rectæ rationi et prudentiæ contrarium; esset velut irrisio formæ sacramentalis et projectio margaritarum ante porcos. Est quidem eorum conversio in hisce ultimis momentis possibilis, sed esset miraculum in ordine morali. Atvero sola non-impossibilitas conversionis non est ratio sufficiens conferendi sacramenta; requiritur saltem tenuis probabilitas; secus illa actio prorsus irrationalis et ridicula foret. Ceterum si Deus hujusmodi miraculum extraordinarium operari vellet, poterit eis etiam dare gratiam contritionis perfectæ. Certe theologi antiqui, qui adeo circumspecti erant in conferenda moribundis absolutione [1], ne suspicati quidem sunt, eis qui in mortis periculo usque ad sensuum destitutionem sacramenta recipere obstinate renuerunt, absolutionem quomodolibet impertiri posse. — Accedit quod hujusmodi imprudens confessarii praxis haud parum noceret bono communi; quia apud catholicos laxiores, quorum hodie magnus ubique est numerus, hæc falsa et periculosissima invalesceret opinio, satis animæ esse provisum, modo quis in ultimis vitæ momentis absolutionem quoquo modo acceperit. Merito igitur docet Tanquerey: « Si moribundus, statim antequam rationis usum amiserit, positive sacramenta repulerit, absolvi nequit etiam conditionate, nisi talis agendi ratio revocata censeri possit aliquo contritionis signo: in hoc enim casu deest omnis probabilitas contritionis » (*Synopsis*, III, n. 654).

506. — Ceterum generatim iis qui versantur in periculo mortis, sive sensibus destituti sunt sive non, modo dubie dispositi sint, *statim* absolutio sub conditione concedenda est, neque eam differre licet usquedum forte melius sint dispositi. Hoc enim periculis plenum esset, non solum quia interim mori possent, sed etiam quia per dilationem facile offende-

[1] Qua de re vide inter alios Lugo *De Pœn.* disp. 17, n. 37-43.

rentur et ita vel minus dispositi evaderent. Attamen si longior est infirmitas et periculum mortis perdurat, confessarius aliquem dubie dispositum, quantum potest, ad meliorem contritionem excitare debet, eumque, si est spes fructus, suaviter monere ut iterum absolutionem recipiat. Quodsi dein infirmus sensibus destituitur et aliquamdiu in hoc statu permanet, confessarius eidem sæpius, puta post « trium vel quatuor horarum spatium », sub conditione absolvere potest; vel etiam frequentius, si pro spirituali infirmi conditione id utile esset, aut si mors jam instaret. Ita S. Alphonsus (*Prax.* n. 276), quem recentes theologi passim hac in re sequuntur.

Expositam doctrinam de absolutione conditionata danda dubie disposito in mortis periculo theologi merito etiam applicant mulieri in partu difficili, militi ante instans prælium, aggredienti navigationem periculosam, illi qui operationem gravissimam subire debet, aliisque similibus.

II. *Necessitas suscipiendi sacramenta Matrimonii, Confirmationis vel Eucharistiæ.*

507. — 1° Primus casus haud raro accidit cum sponsis, qui proxime ante *Matrimonium*, puta eodem die vel pridie vespere, ad confitendum veniunt, sed serium dubium ingenerant de vera sua dispositione. Hi certe — quidquid dicunt rigoristæ — conditionate absolvendi sunt, quia secus, ut notam infamiæ aliaque gravia incommoda evitent, certe in peccato mortali sacramentum contraherent, ideoque majus etiam animæ damnum paterentur; ergo quia, ut S. Alphonsus in textu (p. 406) loquitur, « negata absolutione, notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis ». Enixe tamen hujusmodi sponsi hortandi sunt, ut post contractum Matrimonium quantocius ad confessionem redeant, non quidem ut eadem iterum peccata declarent — quod necesse non est, quia jam declarata sunt et per absolutionem probabiliter remissa —, sed ut per novum dolorem novamque absolutionem præcedentia peccata certe remittantur.

2° Simili modo et ob eamdem rationem agendum est cum proxime accessuro ad sacramentum *Confirmationis*, quod dubie dispositus secus valde probabiliter profanaturus esset.

508. — 3° Ad *S. Eucharistiam* quod spectat, S. Alphonsus dicit justam quoque esse causam dandi absolutionem sub conditione, « si urgeat necessitas suscipiendi Eucharistiam » (VI, 432, 3°). Videlicet, *per se* quidam poenitens, cujus dispositio est dubia, ad Communionem accedere nequit, ac proinde neque sub conditione absolvi. Ita S. Doctor in *Hom. Ap.*: « Videndum, inquit, an dubium sit de peccati actione, aut de confessione peccati jam commissi; quia si pœnitens est certus quod peccatum patravit et ejus *dispositio*

est dubia, ille communicare nequit, licet absolutus fuisset sub conditione. Et si non potest communicare, nec etiam potest absolvi; nam tunc deest causa necessitatis communicandi, ut sub conditione absolveretur » (XVI, 6; item XV, 34; cfr. infra n. 510). — Nihilominus haud raro ejusmodi sunt circumstantiæ, ut *per accidens* confessarius etiam huic dubie disposito absolutionem sub conditione impertiri possit, scilicet quando pœnitens ex una parte bona fide crederet se absolvi et ad Communionem accedere posse, et ex altera parte, si non accederet, *gravis ejus infamia* vel *scandalum* oriretur. Tunc enim prudentia generatim suadet, ut confessarius pœnitentem non moneat, sed permissive se habeat ad Communionem; quo facto etiam absolutionem conditionatam eidem concedere potest. Sic enim pœnitens saltem probabiliter in statu gratiæ collocatur, quum secus majora mala, præcipue sacramenti Eucharistiæ sacrilega receptio, ideoque « notabile detrimentum » pro anima pœnitentis timenda forent. In talibus ergo adjunctis juxta principia S. Alphonsi pœnitens sub conditione absolvi potest.

509. — *Gravis infamia* non ita facile supponi debet. Casus e. g. haberi posset, si quis eodem mane cum familiaribus, puta filia cum matre, Communionem suscipere deberet, neque ab ea abstinere posset, quin, non aliquam dumtaxat admirationem, sed graves suspiciones, molestias et objurgationes sustineret. Interdum tamen, ut hæc gravis infamia pœnitentis caveatur, confessarius ei suggerere potest, ut indispositionem quamdam corporalem prætexat, vel, si pridie confessum venit, ut mane inter lavandum quasi fortuito aliquas aquæ guttas absorbeat.

Scandalum subinde oriri posset, v. g. si quis vir potens in aliqua religiosa parochia præceptum Paschale tempore statuto non impleret. Hic, si dubie saltem est dispositus, etiam ob solam rationem boni publici absolvi posset, ne scilicet scandalum vel damnum spirituale communitati oriretur. Etenim, ut aliorum sacramentorum ministri, ita et confessarius ad bonum quoque publicum spectare debet. Sic ob bonum publicum Sacra Communio concedi debet peccatori occulto certe indisposito sed publice eam petenti. Ex altera parte ob bonum publicum, seu ad reparandum scandalum, confessarius etiam certo dispositum prohibere debet, nè ad Communionem publice accedat. Ita quoque in nostro casu solum bonum publicum poterit esse « causa justa et rationabilis » permittendi probabilem frustrationem absolutionis, modo hæc non in certum pœnitentis damnum cedat. Favent plures antiqui theologi qui expresse asserunt, « scandalum vitandum » esse justam causam dandi absolutionem conditionatam dubie disposito. Qua de re confer Berardi n. 179 sq. Ceterum, si per dilationem bonum publicum periclitaretur, generatim per eam etiam « notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis », qui talem dilationem valde ægre ferret.

510. — NOTANDUM. S. Alphonsus supra (n. 508) dixit: « Si pœnitens est certus quod peccatum patravit et ejus *dispositio est dubia*, ille *communicare nequit*, licet absolutus fuisset sub conditione » (*H. Ap.* XVI, 6). Hoc jure meritoque.

1º Ratio est, quia ille se exponeret gravi periculo faciendi Communionem saltem materialiter sacrilegam, ac proinde committeret contra reverentiam sacramento debitam. Deberet ergo hic dubie absolutus saltem actum contritionis perfectæ Communioni præmittere, quo moraliter certo esset in gratia Dei. Sed difficile id faciet qui ob dubiam attritionem sub conditione dumtaxat est absolutus. Atque hæc ratio etiam urget pro aliis sacramentis vivorum, puta Confirmationis, Matrimonii etc.

2º Alia ratio, sacramento Eucharistiæ propria, hæc est. Qui certum commisit peccatum grave, ex præcepto positivo etiam per confessionem non dubie, sed certo validam se præparare debet, ut S. Communionem recipiat, juxta illud Pauli: « Probet autem seipsum homo » (I *Cor.* 11, 28). Quæ verba concilium Tridentinum juxta « ecclesiasticam consuetudinem » explicans declarat: « eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat » (*Sess.* 13, *cap.* 7; item *can.* 11). Hanc rationem S. Alphonsus in *H. Ap.*, « melius re perpensa » reformans quæ alibi (*Th. Mor.* VI, 432, 3º et 475) dixerat, ita exponit: « Si quis certus est de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit se per confessionem probatum fuisse; quia tunc certe possidet in eo præceptum prohibitionis. Unde ille cum dubio negativo aut positivo, an recuperaverit necne amissam gratiam (v. g. cum dubitat an confessio fuerit nulla ex defectu dispositionis,... aut si dubitat de contritione in casu necessitatis communicandi), non potest Communionem recipere; quia tunc agit contra præceptum, quod requirit probationem non solum probabilem, sed etiam certam, sicut fuit certum peccatum » (XV, 34) [1].

Nihilominus, quemadmodum supra (n. 509) diximus, ut plurimum prudentia postulat, ut confessarius pœnitentem, ita sub conditione absolutum, circa accessum ad S. Communionem in bona fide relinquat. Caveat tamen ne pœnitenti roganti num Eucharistiam recipere possit, positive id concedat, sed per modum evasionis respondeat, e. g. eum facere posse quod in conscientia sibi faciendum esse credat.

III. *Necessitas diutius differendi confessionem.*

511. — Quod dilatio absolutionis *per breve tempus* ob gravem rationem, v. g. ad ejus emendationem, non sit per se pœnitenti detrimentum notabile, quinimo haud raro res valde proficua, supra (n. 459 sqq.) vidimus, ubi de satis certo dispositis actum est; ergo

---

[1] Lugo quidem docet, in dubio positivo de statu gratiæ licere accipere Eucharistiam (*De Sacr. in genere*, Disp. 8, n. 141). Sed advertendum est, Lugonem hac in re niti sententia et principiis Vasquezii et Sanchezii qui, contra ac Suarez, propugnaverant propositionem I^am^ postea ab Innocentio XI proscriptam. (Cfr. supra n. 409 et n. 419).

a fortiori talis brevis dilatio non erit ratio absolvendi sub conditione dubie dispositos. Ast haud raro contingit pœnitentes, si statim non absolvuntur, non nisi *post longum tempus*, puta post plures menses, ad confessionem redire posse. Hæc necessitas occurrere potest, v. g. ob longius iter statim post confessionem suscipiendum, ob magnam distantiam ab ecclesia, ob debilitatem corporalem, præsertim vero ob defectum temporis nimiasque occupationes, quibus in hac nostra societate multi impediuntur, ne brevi ad confessionem redeant. In hac tristi conditione sæpe versantur e. g. famuli, operarii in fodinis aut apud patronos duriores, item qui inserviunt in tabernis, cauponis etc., milites, apparitores in viis ferreis, in navibus, aliisve negotiis publicis aut privatis. Hi, etiam si dubie dispositi sunt, statim absolvendi sunt, propter eamdem semper rationem, ne secus, ut ait S. Alphonsus, « notabile detrimentum animæ » patiantur: ipsi enim per longum tempus in certo peccato mortali manere deberent; et præterea diuturna illa dilatio ipsis vix proficeret.

512. — Attamen hæc ratio *per se* non sufficeret pro illis dubie dispositis qui recidivi sunt in omissionem gravis obligationis, uti restituendi, reconciliandi, denuntiandi, dimittendi occasionem proximam « in esse », puta concubinam etc.; secus enim valde timendum est, ne semper in hac omissione adeoque in statu peccati mortalis perseverent: melius autem est diutius, puta per plures menses, manere in hoc statu quam semper vel per plures annos. Nihilominus, si alia accedit gravissima ratio, nempe periculum omnimodæ alienationis a sacramentis, cum hisce quoque mitius agendum erit, sicut in tertia parte thesis videbimus.

IV. *Impossibilitas acquirendi per dilationem certiorem de dispositione cognitionem.*

513. — Pœnitentes de quibus hic agitur generatim quoque statim, modo sint dubie dispositi, absolvendi sunt sub conditione, quia illos remittere inutile esset, ac proinde eorum animæ detrimentum inferretur. Pro regula enim generali haberi potest: dilatio si non prodest, obest. Impossibilitas hæc potest esse vel physica vel moralis, nempe magna difficultas. Quapropter

1° Ob *imperfectum rationis usum*, semifatui, item pueri discretionis nondum satis compotes, quando peccatum quoddam dubie mortale declarant et dubie dispositi sunt, certe statim sub conditione absolvi debent, non solum quando urget præceptum paschale, sed quoties confessum veniunt. Rationem hanc allegat S. Alphonsus: « In eo enim casu non solum adest justa causa utilitatis, ne pœnitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte

maneat in mortali. In tantum autem alii usu rationis præditi non debent absolvi, quia adest via et spes quod dilata absolutione, brevi illi certo dispositi redeant: sed quoad hos semifatuos et pueros nondum perfecte rationis compotes, deest hæc via et spes quod brevi afferant hanc certam dispositionem » (VI, 432, 4° *Dico* 3°). Si levia tantum peccata accusant, possunt aliquoties, puta semel in mense, ut ait S. Doctor (*H. Ap.* XVI, 6), conditionate absolvi, « ne diu priventur gratia sacramentali et ne maneant in mortali, si forte habeant » (VI, 432, *l. c.*).

514. — 2° Præterea *multi qui* ob impotentiam physicam aut moralem *ab integritate materiali excusantur*, in ea quoque sunt conditione ut plenior de eorum dispositione cognitio acquiri nequeat, ideoque inutilis esset dilatio. Sic in dubio de dispositione statim sub conditione absolvi possunt:

a) Muti et balbi, si vix certa veri doloris signa dare possunt.

b) Item surdi et surdastri qui alium in locum duci nequeunt (*Praxis.* 104).

c) Ignari idiomatis, qui alium confessarium difficulter inveniunt.

d) Puellæ quæ, ne scandalum patiantur, accuratius interrogari nequeunt, et quarum idcirco dispositio non satis certo dignoscitur.

e) Qui conscientiam valde implicatam habent et ob peculiaria adjuncta hic et nunc diligentius examinari non possunt, neque, si dubie tantum dispositi sunt, per longiorem exhortationem sufficienter disponi; v. g. quia tempus plane deficeret, uti aliquando contingere potest, puta tempore paschali quando plurimi confiteri volunt qui, nisi nunc audiantur, offenderentur et probabiliter non redirent; vel quia pœnitens ob « valde prolixam » confessionem et exhortationem « gravem notam » infamiæ incurreret. Cavenda tamen hisce in casibus est hallucinatio: per se enim hi dubie dispositi, si hic et nunc satis examinari et disponi nequeunt, ad aliud tempus remitti debent; unde sola ratio prolixioris confessionis non valebit, nisi alia gravis ratio accedat, v. g. scandalum, infamia, necessitas communicandi, vel gravis ob dilationem offensio ita ut merito timeatur sacramentorum derelictio. (Cfr. S. Alph. VI, 485).

515. — 3° Denique ad hoc caput reduci possunt illi pœnitentes *de quibus probabile non est*, eos post dilationem, etiamsi redeant, *melius fore dispositos ;* tunc enim iterum inutilis est dilatio, adeoque nociva.

a) Sic absolvi sub conditione possunt qui ultimo die missionis vel exercitiorum spiritualium adhuc dubie dispositi sunt; nam si hoc tempore abundantioris gratiæ non certe contriti sunt, ut plurimum nec postea potiora dispositionis signa dabunt, ideoque diu in peccato mortali manebunt, utique cum « notabili detrimento

animæ ». Ceterum, qui tempore missionis frequenter concionibus gravibus assistere solent, generatim non dubie sed satis certe dispositi sunt.

b) Alius casus esset, si quis ita rudis et confusæ sit mentis, ut merito dubitari possit num melioris dispositionis capax sit. Quod pariter quandoque occurrere potest cum iis qui physica quadam voluntatis impotentia laborant, quæ « aboulia » vocatur.

c) Si quis antea jam rite dimissus parum vel nihil ex dilatione profecerit, multumque timendum sit, ne iteratam dimissionem valde ægre ferat, vel ob eam quasi in desperationem agatur.

Atvero in casibus supra adductis sæpe excipiendi sunt qui sunt recidivi in omissionem gravis obligationis, de quibus supra (n. 512) diximus.

V. *Alii quidam casus vel rationes rejiciuntur.*

516. — Aliqui auctores recentiores alias quasdam adducunt rationes, ob quas absolutionem conditionatam dubie dispositis dari posse censeant [1]. Ast, nostro judicio, nimis generaliter, adeoque incaute hac de re locuti sunt.

1º Dicunt scilicet, semper talem rationem esse *tempus Paschale*. Atvero hoc omnino negandum nobis videtur. Ecclesia enim non dubie, sed certo validam et dignam Eucharistiæ susceptionem hoc tempore præscripsit. Unde confessarius ob bonum pœnitentis hoc tempus prorogare potest, quemadmodum id jam concessit concilium Lateranense IV, et nunc iterum Codex Juris concedit, præcipiens cuique recipiendum esse « saltem in Paschate Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum » (can. 859, § 1). Nimis laxa igitur animabusque exitiosa esset praxis absolvendi tempore Paschali omnes pœnitentes, etiam dubie dispositos; manet pro hisce regula generalis supra (n. 488 sqq.) stabilita et probata: dubie dispositis per se absolutio est differenda. — Dico: *per se;* quia qui solum tempore paschali confiteri solent et dubie saltem sunt dispositi, aliquando ob *alias* rationes absolvi possunt, præsertim idcirco quod haud raro prudenter timeri potest ne, nisi tunc absolvantur, sacramenta deserant et in pejus ruant, uti in tertia parte hujus thesis probabimus. Pessimus autem error esset id semper et ubique timere.

---

[1] Noldin e. g. dicit: « Dubie dispositus absolvi potest aut etiam debet, si apud alium sacerdotem confessionem repetere cogeretur, si urgeret præceptum annuæ confessionis etc. » (*De Pœn.*, 391, 4).

2º Neque etiam quod pœnitens *ad eumdem confessarium redire nequit*, per se ratio est dandi absolutionem conditionatam dubie disposito, ut iterum aliqui recentes nimis absolute docent. Etenim *a*) hoc incommodum pœnitens subire debet, quia sub gravi tenetur non dubiam, sed sufficienter certam dispositionem pro absolutione afferre. *b*) Incommodum repetendi apud alium sacerdotem confessionem est relative valde leve, si quis per illud ex dubie disposito certe dispositus fiet. *c*) Hujusmodi pœnitens, nedum ex dilatione « notabile detrimentum animæ » patiatur, potius ex statim concessa absolutione detrimentum accipiet, ut supra (n. 407, 490) demonstratum est. — Excipe iterum, nisi *alia* accesserit gravis ratio, præcipue illa de qua in tertia parte hujus thesis.

3º Multo minus *indulgentia plenaria* illo die lucranda causa erit sufficiens absolvendi sub conditione dubie dispositos, ut unus alterve auctor incaute dixit. Multo enim melius est, peccatorem dubie dispositum nullatenus nunc lucrari indulgentiam et post breve tempus rite dispositum certo recipere remissionem culpæ cum gratia sanctificante, quam statim dubie absolvi a peccati culpa cum dubia quoque remissione alicujus pœnæ per indulgentiam. Unde non ex absolutione dilata, sed ex statim collata absolutione sub conditione « notabile detrimentum animæ » sequeretur. Urget ergo hic iterum lex generalis: dubie disposito absolutio est differenda. — Ceterum occasiones lucrandi indulgentiam plenariam hodie adeo frequentes sunt, ut quisque sincere id cupiens cum levi incommodo facile ejus particeps fieri possit. Quocirca fac advertas, ex nova Juris dispositione indulgentias alicui festo aut exercitiis spiritualibus adnexas per totam quoque octavam lucrari posse. (Can. 931, § 1 et 2).

Probatur tertia pars

517. — Peccator dubie dispositus statim sub conditione absolvi non solum potest, sed etiam omnino *debet, si confessarius prudenter timet, ne non amplius ad confessionem redeat et in peccatis tabescat.*

Hic casus ab antiquis theologis ex professo tractatus fere non fuit; sed quia nostris temporibus, proh dolor, frequenter occurrit, specialiter de eo loqui oportet.

Explicationem hujus partis theseos vide supra (n. 486) [1].

In altera parte hujus thesis jam ostendimus, ex Christi intentione licitum esse concedere absolutionem conditionatam dubie dispositis, si gravis adest causa. — Plures auctores rigidiores inde a sæculo XVII id admittere quidem volunt, sed docent hujusmodi causam gravem adesse

[1] Fac advertas, supra (n. 511) actum esse de casibus in quibus pœnitens brevi redire *non potest*; in hac autem tertia parte agitur de illis qui redire quidem possunt, sed qui prævidentur redire *non velle*.

dumtaxat in moribundis sensibus destitutis qui certa doloris signa dare nequeunt, vel etiam in semifatuis et pueris qui ob imperfectum rationis usum melius se disponere non possunt; negant vero hanc gravem rationem haberi extra hos casus, quando nimirum dubia dispositio ex propria pœnitentium culpa oritur, quia hi, inquiunt, ipsimet cum Dei gratia melius se disponere possunt et debent antequam absolvantur. Hos pœnitentes mente et corpore sanos sed propria culpa dubie contritos, statim conditionate absolvere, juxta illos, contra usum Ecclesiæ esset, quæ in Synodis solos moribundos excipit; esset quoque fons laxitatum; ac proinde confessarius eos absolvens gravis irreverentiæ et sacrilegii reus esset, utpote sine justa causa concedens sub conditione absolutionem sacramentalem.

Nihilominus cum S. Alphonso tenenda est sententia, confessarium statim absolutionem dubie dispositis impertiri non solum posse, verum *etiam debere*, etsi defectus dispositionis *ex culpa ipsius pœnitentis* provenit, dummodo tamen ipse pœnitens credat se satis esse dispositum et, si differatur absolutio, grave adsit periculum ruendi in pejorem conditionem. — Quod quidem hisce rationibus *probatur.*

518. — Ratio generalis eadem est quam supra (n. 493) pro altera parte adduximus, videlicet benigna voluntas Christi instituentis sacramenta pro salute fidelium; quæ ratio præcipue valet pro sacramentis ad salutem maxime necessariis, Baptismi et Pœnitentiæ.

Speciatim ad sacramentum Pœnitentiæ quod spectat, sacerdos, ut minister Christi, non solum judicis, sed etiam medici et patris partes agit. Jamvero, concedimus quidem confessarium, ut *judicem*, non teneri dare absolutionem conditionatam ei qui est dubie dispositus; quia talis pœnitens ad eam jus strictum non habet (cfr. supra n. 489). Sed simul asserimus confessarium, ut *medicum* et *patrem*, juxta voluntatem Christi peccatori dubie disposito de quo in casu absolutionem conditionatam *sub gravi* impertiri debere. Re sane vera.

1º *Medicus* enim qui curam gerit graviter infirmi, ex duobus remediis, quæ præsto sunt, illud eligere debet quod, dum probabiliter sanationem afferet, infirmo certe minus nocebit, relicto alio quod prævidet ipsi certe magis nociturum. — Atqui in casu absolutio conditionata est remedium, quod probabiliter peccatorem dubie dispositum a peccati lepra liberabit, dum dilatio absolutionis, juxta prudens confessarii judicium, ipsi certe magis nocebit. — Ergo confessarius, ut medicus, sub gravi tenetur huic dubie disposito illico absolutionem conditionatam concedere.

Major est ab omnibus admissa.

Minor est applicatio principii ad nostrum casum. Gravis enim adest timor maximi nocumenti pro anima pœnitentis qui, dilata absolutione, a sacramentis avertetur et in peccatis tabescere perget, ac proinde in multo pejorem infirmitatem spiritualem, forte in mortem æternæ damnationis incidet.

Neque *obstat*, quod dubia illa dispositio ex propria pœnitentis

culpa oritur, quam ipse, per breve tempus dilatus et interim melius orans sibique vim inferens, curare posset. Nam *respondetur :* hanc meliorem dispositionem ipse curare quidem potest, sed ita animo est affectus ut dilatus eam re ipsa curaturus non sit. Jamvero si quis medicus prævidet, infirmum remedium quoddam, licet in se optimum, ex animo quodam obstinato adeoque ex propria culpa adhibiturum non esse, vel etiam eo abusurum esse ita ut in pejus ruat, sane ipsi hoc remedium applicare non potest, sed aliud remedium probabiliter saltem efficax adhibere debet. Idem faciat oportet confessarius in casu nostro de absolutione aut dilata aut statim sub conditione collata.

519. — 2º Altera ratio est quod hujusmodi pœnitens in gravi versatur necessitate spirituali, cui confessarius, ut *pater*, pro viribus subvenire tenetur. Gravis enim spiritualis necessitas provenire potest, non solum ex circumstantiis a propria voluntate minime pendentibus — uti v. g. in moribundis sensibus destitutis, in semifatuis etc., — sed etiam ex propria culpa, si quis peccaverit ob passionum vehementiam, ob occasiones voluntarias, ob mentis excæcationem etc. In tali ergo culpabili necessitate spirituali urget quidem pro patre vel superiore præceptum correptionis fraternæ, sed tantum si inde speratur fructus. Si nulla est fructus spes, imo si prævidetur fore ut filius vel subditus per illam correptionem in pejorem rueret necessitatem spiritualem, sub gravi ab ea abstinendum esset, nisi forte obstaret ratio boni communis. — Hæc principia quoque applicanda sunt nostro casui, in quo dubie dispositi ex propria culpa versantur in vera necessitate spirituali recipiendi absolutionem conditionatam. Hi enim miseri passionibus et ignorantia voluntaria adeo obcæcati sunt, ut dilatio absolutionis quæ, utpote correptio, per se quidem necessaria foret, certo majus detrimentum quam bonum ipsis allatura sit. Quapropter confessarius qui, accipiendo officium audiendi confessiones, eorum pater spiritualis factus est, sub gravi ab hac dilatione abstinere tenetur, ne in necessitatem spiritualem multo graviorem incidant, et ita eorum extrema pejora fiant prioribus. E contrario, utpote pater, confessarius tenetur hac occasione, meliore quo potest modo, eorum bono spirituali consulere, ac propterea eis sub conditione statim absolutionem concedere, simul eos paterne exhortans ut orando melius se disponant. Sic enim adhuc spes est fore ut filii illi prodigi certius resipiscant et ad cœlestem Patrem redeant.

520. — 3º Probatur hæc theseos pars etiam ex *funestis consequentiis sententiæ contrariæ*, pro nostris imprimis temporibus. In multis namque regionibus ob frigescentem fidem multo plures hodie quam anteactis sæculis sunt qui vix semel aut iterum in anno ad sacramenta accedunt, præsertim inter viros et juvenes. Permulti

ex illis in mediis vivunt occasionibus et pravis dediti sunt habitibus; rebus autem mundanis velut immersi, præ levitate spiritus timore Dei fere destituuntur, malitiam offensæ Dei parum reputant et, licet a confessario magna charitate excepti et ad pœnitentiam ferventer excitati, sæpe dubia dumtaxat contritionis et firmi propositi indicia præbent. Si hi omnes humanissimis etiam verbis dimitterentur, ut prius orando vimque sibi inferendo melius se disponant, certe haud pauci eorum graviter offenderentur, usum sacramentorum plane relinquerent, magis magisque omnem praxim religiosam missam facerent, in majora semper peccata se conjicerent, sæpe etiam Ecclesiæ et sacerdotum inimici fierent et neque in mortis periculo sincere ad Deum redirent. Hinc severioris illius cum his miseris praxeos ut plurimum unicus effectus erit major semper sacramentorum desertio, majorque defectus a fide et ab Ecclesia. Quam ob rem, quo majora hæc pro animabus et Ecclesia Dei damna antevertantur, confessarii cum peccatoribus qui in hac tristi conditione versantur, benignam illam at vere probatam sententiam amplectantur et in usum ducant oportet.

521. — 4º Denique *auctoritate* quoque hæc pars thesis confirmari potest. Verum quidem est, doctrinam hanc expressis verbis apud *antiquiores* S. Alphonso theologos vix reperiri, ob hanc etiam, ut opinor, rationem quod illis ferventioris fidei temporibus omnes fere fideles præceptum Paschale implere solebant, minusque erat periculum omnimodæ desertionis sacramentorum. Attamen satis clare casum nostrum indicat Lacroix a S. Alphonso supra in textu (p. 406) adductus. Ait enim hic præclarus theologus: « Quando adest magna causa conferendi sacramentum, v. g. quando agitur de peccatore justificando qui alia vice *non facile redibit ad quemquam*, nec sinet se adduci ad renovandam præparationem, quamvis tum non possit absolvi nisi cum dubio de valore, posse sic absolvi sub conditione: *si es dispositus ;* quia talis spes gratiæ causandæ videtur prævalere obligationi non conferendi cum periculo nullitatis » (VI, part. 1, n. 110). Sed antiqui, licet vix de nostra quæstione loquantur, i. e. de homine *sano* qui propria culpa dubie dispositus est et redire potest, tamen hunc casum non excludunt; imo benigna nostra sententia ex principiis ab ipsis positis re vera profluit. (Cfr. supra n. 494).

Postquam autem S. Alphonsus expresse docuerat prudentem illum timorem, quod peccator ad confessionem non redeat et in peccatis tabescat, justam esse causam conferendi statim absolutionem conditionatam pœnitenti sano dubie disposito, ejus auctoritas ad hanc sententiam attraxit theologos *recentiores* qui omnes ad S. Doctorem appellant, ita ut hæc hodie vere *communis* dici queat. Ab hisce auctoribus citandis supersedemus, quia superfluum.

522. — *Objectiones* rigidioris sententiæ (quas vide supra n. 517) non subsistunt. — Nam silentium antiquarum Synodorum in quibus hujus casus mentio non fit, nihil probat, ut (n. 496) jam dictum est. — Neque verum est, hanc doctrinam esse fontem laxitatum, modo non leviter sed prudenter applicetur, nempe quando pœnitens est saltem dubie dispositus (cfr. n. 484) et quando est periculum vere grave et fundatum pejoris ruinæ et diuturnæ saltem alienationis a sacramentis, ut supra (n. 486) explicatum est, et infra (n. 524 sqq.) iterum dicetur. — Præterea quum « negata absolutione, notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis » ut S. Alphonsus loquitur et supra (n. 518-520) ostendimus, per adjectam conditionem omnis etiam irreverentia et sacrilegii ratio a ritu sacramentali removetur (n. 493, *a*). — Neque dicatur: si quis ob absolutionis dilationem in se justam adeo indignatur ut non redeat, est signum certæ indispositionis. Hoc quippe falsum est. Optime enim fieri potest, ut quis dubiam afferat dispositionem, sed ut per improvisam hanc et imprudentem dilationem plane indispositus fiat. Sic e. gr. etiam fieri potest, ut quis firmum quidem habeat propositum non peccandi de cetero, sed si confessarius eum interrogaret, num omnes martyrum cruciatus mortemque durissimam potius sufferre vellet quam unum committere peccatum, facile respondere posset, se id proponere non posse, et ita indispositus fieret; unde S. Alphonsus (supra n. 227) post S. Thomam aliosque auctores talem confessarii agendi rationem gravis imprudentiæ arguit.

EPILOGUS

523. — Ex iis quæ in hoc ultimo capite fusius pro rei gravitate disputavimus liquido constat, quam *prudens* sit S. Alphonsi de occasionariis et recidivis doctrina, quantum etiam *nostris temporibus accommodata*, si in toto suo complexu spectatur. Licet enim sanctus Doctor, cum aliis sanctis confessariis et gravissimis theologis, pro iis pœnitentibus qui firmiter stant in fide, puram severamque Evangelii doctrinam, præcipue circa gravia mundi pericula et occasiones proximas, in praxi sacri tribunalis integram applicatam velit, ne laxiore agendi ratione morum corruptio augeatur et animæ damnentur: nihilo tamen minus per benignam illam mitemque sententiam, quam in hac ultima thesi post ipsum defendimus, quam optimo fieri potest modo, consulit saluti eorum etiam multorum peccatorum, qui hodie ob labentem fidem quamdam adhuc, etsi dubiam, veræ conversionis voluntatem ostendunt. Imitatus est sanctus Auctor Divinum nostrum Redemptorem qui hinc quidem docuit « angustam esse portam et arctam viam quæ ducit ad vitam » (*Matth.* 7, 14), illinc vero cum peccatoribus adeo benigne egit, ut Propheta de Ipso dixerit: « Arundinem quassatam non confringet et linum fumigans non extinguet » (*ib.* 12, 20).

524. — Ne tamen confessarius imprudenter, adeoque in animarum detrimentum hac benigna sententia abutatur, ea quæ sequuntur ante oculos habere velit.

Videlicet animadvertendum omnino est, doctrinam de absolvendis *dubie* dispositis, de qua in hac ultima thesis parte, illis tantum miseris peccatoribus applicandam esse qui merito censeantur in iis versari lugendis animi dispositionibus quas in thesi (n. 486) explicavimus, illis, inquam, de quibus prudenter et graviter timetur, ne ob dilatam absolutionem in pejorem conditionem ruant, a confessione alienentur et in peccatis tabescant. Quapropter caveant confessarii, ne eam adhibeant omnibus promiscue peccatoribus dubie dispositis, iis etiam qui, licet dilationem haud ita libenter ferant, tamen sacramenta nullatenus deserent, sed post aliquod tempus ad eumdem vel ad alium confessarium redituri sunt. Hisce namque, si etiam post fervidam confessarii exhortationem dubie dispositi manent, generatim, nisi alia adsit ratio relative gravis eos absolvendi (n. 493 sqq.), apto modo absolutio est differenda, quo antea melius se disponant certioraque veræ pœnitentiæ indicia præbeant. Id quippe postulat dignitas sacramenti et reverentia ipsi debita; postulat quoque salus animarum, quæ per prudentem dilationem adjuvari possent, per nimiam autem illam absolvendi facilitatem gravi exponerentur periculo peragendi falsam pœnitentiam, pluribus semper peccatis se inquinandi, perdendi paulatim ipsam quoque fidem et moriendi in statu inimicitiæ cum Deo. Unde remissiores illi confessarii qui omnibus peccatoribus dubie dispositis indiscriminatim absolutionem conditionatam largirentur, a culpa gravi excusari non possent, utpote rei peccati sacrilegii ob irreverentiam sacramento illatam, rei etiam peccati contra charitatem erga proximum, ut supra (n. 488-490) ostensum est, et ut communis fert theologorum sententia (n. 491 sq.).

525. — Neque opponatur, hodie ob labentem fidem omnes passim peccatores dubie dispositos in iis versari conditionibus, ut statim absolvi debeant propter timorem ne sacramentis valedicant. Esset enim hic error gravissimus. Nam ubique terrarum complures etiamnum sunt regiones, in quibus fides et praxis religiosa adhuc vigent, cum in civitatibus tum imprimis in pagis et ruri; in hisce igitur relictio sacramentorum haud ita facile timenda est. Quinimo in ipsis etiam magnis Europæ et Americæ urbibus, quæ velut incredulitatis et moralis corruptionis centra habentur, magno numero ubique existunt Christifideles, non inter mulieres solum, sed etiam inter viros et juvenes, qui religiosa educatione, solida institutione, familiæ traditione, piorum operum et associationum participatione, Dei gratia adjuti, plena mentis convictione Catholicæ religioni adhærent et sacramenta frequentare solent, etsi haud raro — homines enim labiles sunt — occasionibus proximis pravisque consuetudi-

nibus indulgent, et etiam in confessione dubia dumtaxat veræ pœnitentiæ signa præbent. Neque de his igitur generatim serio timendum est, ne ob prudenter adhibitam dilationem a sacramentis alienentur et in pejus ruant. (Cfr. supra n. 365, nota).

526. — Quæ quum ita sint, erga omnes illos innumeros Christifideles qui ubique terrarum firmi adhuc stant in fide, doctrina S. Alphonsi *circa occasionarios et recidivos*, quam in hoc opere validissimis principiis innixam et gravissima auctoritate tot Sanctorum totque magnorum theologorum fulcitam esse vidimus, quamque Ecclesia ter — bis in causa canonizationis et semel in causa Doctoratus — ad severam trutinam revocavit, velut secura *regula* applicari potest. Circa illos vero peccatores multos, quorum ob languentem fidem desertio sacramentorum et majora damna graviter sunt timenda, valet doctrina sancti nostri Auctoris stabilita in hoc ultimo capite de absolutione dubie dispositis concedenda; quæ quidem doctrina vere benigna etiam difficilioribus nostræ ætatis casibus est plane accommodata. Prudens autem confessarius hos casus habebit tamquam *exceptiones a regula*, etsi hodie multis in locis frequentiores; quas proinde pro necessitate singulorum pœnitentium applicabit. Nequaquam vero ipsa principia theologica circa judicium sacramentale et dispositiones ad sacramentum Pœnitentiæ requisitas mutabit aut attenuabit, ita ut quæ per modum exceptionis statuta sunt omnibus promiscue peccatoribus velut regulas adhibeat. Secus enim gravissimum periculum est, ut ipsa notio veræ pœnitentiæ in populo Christiano paulatim pessumdetur cum magno certe animarum damno et cum detrimento etiam fidei Catholicæ. Verissimum quidem est illud: « Sacramenta propter homines », uti supra (n. 493) ostendimus, sed tantum ut homines per ea a peccatis liberentur, a relapsu præmuniantur et ita salventur, non vero ut eorum occasione falsa quiete in peccatis obdormiscant, hisque sæpe magis assuefiant et ita damnentur, quemadmodum contingeret, si omnes dubie dispositi statim absolverentur. Quam ob rem recolenda sunt hic verba S. Congregationis de Propaganda fide: « Meminisse debent confessarii, *ex magna absolvendi facilitate magnam peccandi facilitatem oriri necessario debere* » (Aug. 1827, cfr. supra n. 268). Recolendum quoque est simile monitum SS. Pontificis Benedicti XIV in Const. *Apostolica* 26 Junii 1749: « Ut Sacramenti Pœnitentiæ ministri illud Ven. Card. Bellarmini effatum præ oculis habeant: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi* » (n. 22).

527. — Coronidis loco hic exscribere lubet gravia verba, quibus Em.^{mus} Cardinalis van Rossum, olim Pœnitentiarius Major, nunc Præfectus S. Congr. de Propaganda Fide, præclarum suum opusculum concludit:

« Revera hodie frequentius evenit casus, in magnis præsertim

civitatibus, quo merito verendum est ne pœnitens fide infirmus sine absolutione dimissus Sacramentis valedicat et in peccatis indurescat. Ob has autem rationes, ut docet S. Alphonsus, absolutio sub conditione dari potest. Atvero hæc agendi ratio non est regula, sed *exceptio a regula ;* quare cavendum ne citra necessitatem fiat et in abusum vertatur...

« Fieri quidem potest ut, quoniam hac nostra ætate ob debilitatem fidei, idque nominatim in spatiosis urbibus, ea absolutionis dilatio, quæ olim utilis erat, nociva evaserit, facilius hodie ex dilatione timeri debeat damnum spirituale pœnitentis, puta quod tædio affectus rediturus non sit, vel in desperationem actus in impietatem ac incredulitatem prolapsurus; attamen non omnes in hac lugenda conditione versantur. Experientia docet, inter hujusmodi pœnitentes alios esse qui dent signum defectus veri doloris ac propositi, quos sane confessarius, nisi ad meliores sensus eos adduxerit, absolvere non potest. Alii dubium ingerunt de veritate suæ dispositionis, et hi quidem possunt ob periculum majoris mali sub conditione absolvi, ut supra diximus. Alii contra sunt, qui absolutionis dilationem ægre quidem ferunt et aliquomodo indignantur; attamen fides et religio adhuc talis in eis est, ut sacramentis valedicere nullatenus velint. Hisce, si eos confessarius cum charitate et prudentia commoneat, facile proderit dilatio, ut nempe interea precibus obtineant debitam dispositionem, emendationem incipiant, intelligant Deo illudendum non esse, sed pœnitentiam rem esse serio peragendam, Deum peccatis jugiter offendere summum esse malum, salutem æternam negotium esse unice necessarium, eum qui peccata peccatis accumulat, simul pœnis pœnam accumulare, et similia.

« Quapropter ad salutem animarum et fidei morumque conservationem magnopere interesse videtur, ut ad veram mensuram rebus adhibendam omnes summa diligentia incumbant ne, Jansenismi evitandi specie, in aliud extremum incidatur. Fatendum sane nostris temporibus ob fidei languorem et morum corruptelam, ob sæculi pravitatem quæ tam facile fideles a sacramentis retrahit, confessariis maxima prudentia, indefesso zelo, summa benignitate ac misericordia opus esse. Attamen non deest periculum ne repetitis hisce argumentationibus, confessarii animarumque pastores fucum sibi faciant. Et primum quidem, non minores profecto hodie requiruntur dispositiones in pœnitente ad sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum quam anteactis temporibus, sed æque ac antea, præter integram confessionem, *verus dolor* postulatur ac *firmum propositum.* Nostris autem diebus, ob ipsum indifferentismum religiosum ipsamque aversionem ab operibus pietatis, maxime a sacramentis, confessarius difficilius quam antea verum dolorem de peccatis et firmum propositum non peccandi in posterum reperiet;

pœnitentia enim ex fide et religione procedit. Quare magis quam antea adlaboret necesse est ad pœnitentes hujusmodi rite disponendos, ne indignis absolutionem impertiatur. Deinde ex eo quod plures hodiedum inveniuntur quibus absolutio differenda non sit, vel quibus sub conditione sit impertienda, non ideo cum omnibus omnino pœnitentibus eadem ratione est agendum. Quod fides languet apud multos, non ideo languet apud omnes; quod languet in magnis civitatibus, non ideo languet in omnibus urbibus; quod languet in urbe, non ideo ruri languet; quod languet in quibusdam regionibus, non ideo languet ubique terrarum. Propterea magna prudentia, discretione et circumspectione opus est, ne exceptiones in regulam mutentur, ne ea quæ in extremis sunt tentanda, in ordinario rerum statu adhibeantur, ne cum omnibus ubique indiscriminatim agatur, ac si ubique et apud omnes fides langueret. Nihil enim efficacius fidem everteret et morum corruptelam præcipitaret innumerarumque produceret animarum ruinam » [1]. — Hæc hactenus Em.mus vir, fidelis S. Alphonsi discipulus.

---

[1] *Comment. de judicio sacram.* ed. 2a, n. 79, 80.

ELENCHUS PRÆCIPUORUM AUCTORUM

qui magis ex proposito de occasionariis aut recidivis tractarunt vel qui in hoc opere sæpius adducti sunt.

S. THOMAS AQUINAS († 1274): varia ejus opera pro re nata adducta.

S. ALPHONSUS DE LIGORIO († 1787): Theologia moralis; ed. *Gaudé* (tomi IV, typis Vaticanis, 1905-1912); — Praxis Confessarii (in eadem edit. tom. IV, p. 523-647); — Homo Apostolicus (fere omnia quæ in hoc opere ad nostram materiam pertinent inveniuntur quoque in supra citata « Praxi Conf. »); — Confessore diretto, cap. 15; — Selva, parte 2, istruzione 4; — Avvertimenti a' confessori novelli.

CAJETANUS, Thomas de Vio, Cardin. († 1534): Summula.

S. CAROLUS BORROMÆUS, Cardin. († 1584): Instructio confessorum; cfr. Acta Ecclesiæ Mediolanensis (ed. Patavii 1754, t. II, p. 658 sqq.); item alibi separatim: Avvertimenti per li confessori.

NAVARRUS, Martinus ab Azpilcueta († 1587): Enchiridion sive Manuale confessariorum.

LOPEZ, Ludovicus († 1595-6): Instructorium conscientiæ.

SUAREZ, Franciscus († 1617): De Sacramentis.

LAYMANN, Paulus († 1635): Theologia moralis.

SANCHEZ, Joannes (etiam *Sancius* vocatus, ut distinguatur a Thoma Sanchez) († c. 1624): Selectæ et practicæ disputationes.

REGINALDUS, Valerius († 1623): Praxis fori pœnitentialis.

CARAMUEL, Joannes († 1682): Theologia moralis fundamentalis; ed. 2ª, Romæ 1656.

LUGO, Joannes de, Cardin. († 1660): De Pœnitentia.

CARDENAS, Joannes de († 1684): Crisis theologica.

SALMANTICENSES (1665-1721): Cursus theologiæ moralis.

VEN. PAULUS SEGNERI († 1694): Il confessore istruito.

FRANCOLINI, Baltassar († 1709): Clericus Romanus contra nimium rigorem munitus, ed. Venetiis 1737.

VIVA, Dominicus († 1710): Damnatarum thesium theologica trutina.

LACROIX, Claudius († 1714): Theologia moralis.

BROCCHI, Josephus († 1751): De occasione proxima peccati et recidivis; Lucæ 1736.

RONCAGLIA, Constantinus († 1737): Universa moralis theologia.

S. LEONARDUS a PORTU MAURITIO († 1751): Discorso mistico e morale.

ANDREUCCI, Andreas, († 1771): Confessarius recidivi.

REUTER, Joannes († 1762): Neo-Confessarius; ed. *Lehmkuhl.*

FAURE, Joannes Bapt. († 1779): Dubitationes theologicæ; opus posthumum; Lucani 1840.

Theologi S. Alphonso recentiores.

GOUSSET, Thomas, Cardin.: Théologie morale.

SCAVINI, Petrus: Theologia moralis universa; ed. 12ª *Del-Vecchio.*

GURY, Petrus: Compendium theologiæ moralis; citantur variæ editiones.

BERARDI, Æmilius: De recidivis et occasionariis; ed. 6ª.

VINDICIÆ ALPHONSIANÆ; ed. 2ª.

FRASSINETTI, Giuseppe: Compendio della teologia morale; ed. 7ª.

MÜLLER, Ernestus: Theologia moralis; ed. 7ª *Schmuckenschläger.*

LEHMKUHL, Augustinus: Theologia moralis; ed. 11ª; — Caput addititium ad n. 188 in edit. Reuter « Neo-confessarius »; — Casus conscientiæ; ed. 4ª.

MARC, Clemens: Institutiones morales Alphonsianæ; ed. 17ª *Gestermann.*

AERTNYS, Josephus: Theologia moralis; ed. 10ª *Damen;* — De l'Absolution sacramentelle in « Nouvelle Revue Théol. » 1900 et 1901; — Theologia pastoralis; ed. 4ª.

D'ANNIBALE, Josephus, Cardin.: Summula theologiæ moralis; ed. 5ª.

BALLERINI, Antonius: Opus theologicum morale; opus posthumum a *Dom. Palmieri* editum; vol. V, ed. 3ª; — Adnotationes ad ed. Gury.

PIGHI, Joan. Bapt.: Commentarius de judicio sacramentali, ed. 2ª.

VAN ROSSUM, Gulielmus, Cardin.: Commentarius de judicio sacramentali J. B. Pighi ad trutinam vocatus; ed. 2ª.

CIOLLI, Alessandro: Direttorio pratico del confessore novello; ed. 2ª.

BUCCERONI, Januarius: Institutiones theologiæ moralis; ed. 3ª; — Commentarii, V; ed. 5ª.

SCHÜCH, Ignatius: Handbuch der Pastoraltheologie; 15ª Aufl. *Polz.*

NOLDIN: Summa theologiæ moralis; ed. 8ª.

GENICOT, Eduardus: Theologiæ moralis institutiones; ed. 1897 et ed. 9ª *Salsmann.*

PRÜMMER, Dominicus: Manuale theologiæ moralis.

TANQUEREY, Ad.: Synopsis theologiæ moralis; ed. 8ª.

Nota. Ubi alii auctorum loci non indicantur, intelligitur semper tractatus *de Pœnitentia.*

INDEX

pag.

PROŒMIUM VII

TRACTATUS PRIMUS

DE OCCASIONARIIS

(S. Alph. Theol. Mor. lib. VI, n. 452-458)

CAPUT I.

De notione et divisione occasionis et periculi peccandi.

ARTICULUS I. — Notio et divisio occasionis 4

Textus S. Alphonsi (VI, n. 452, § 1-4)

ARTICULUS II. — Notio et divisio periculi 12

Textus S. Alphonsi (VI, 452, § 5)

ARTICULUS III. — Prædicta exemplis illustrantur . . . 14

Textus S. Alphonsi (VI, 452, § 6-8)

Digressio. De visitationibus adamantium intuitu matrimonii . 16

ARTICULUS IV. — Monitum generale circa occasionarios . . 20

Textus S. Alphonsi (VI, 452, § 9-10)

CAPUT II.

De vitando probabili periculo peccandi.

Textus S. Alphonsi (VI, 453; V, 63) 23

ARTICULUS I. — De obligatione vitandi probabile periculum peccandi 26

THESIS 1ª. — *Graviter peccat qui sine justa et proportionata causa se exponit periculo hic et nunc vere ac solide probabili peccandi mortaliter* 27

Explicatur Thesis 27

pag.

Probatur Thesis rationibus
I. Ex reverentia Supremo Legislatori debita 31
II. Ex tentatione Dei quæ ex opposita sententia sequeretur . 32
III. Ex charitate erga seipsum 35
IV. Ex peccato indirecte seu in causa volito 37
V. Ex consectariis practicis sententiæ oppositæ . . . 40
Refutantur objectiones 41
Confirmatur Thesis auctoritate 43

ARTICULUS II. — De genuina notione occasionis proximæ . 46

THESIS 2ª. — *Occasio proxima proprie et formaliter definitur: Objectum externum, quod aliquem inducit in probabile saltem seu grave periculum lapsus, a. v. in periculum probabiliter saltem peccandi* 47

Explicatur Thesis 47
Probatur Thesis
I. Ex ratione theologica 48
II. Ex periculis quæ pro morum honestate ex oppositis definitionibus consequerentur 50
Confirmatur Thesis auctoritate 52
Occurritur difficultati 55
Appendix. De sententia Cardinalis Lugonis 59
Scholion. De subeundo periculo in extrema necessitate spirituali proximi 62

CAPUT III.

De occasione proxima voluntaria.

Textus S. Alphonsi (VI, 454) 65

ARTICULUS I. — De propositionibus hac de re damnatis . 69

ARTICULUS II. — De obligatione vitandi occasionem proximam voluntariam 73

THESIS 3ª. — *Est grave legis naturalis præceptum vitare occasionem proximam voluntariam peccati mortalis* . . 73

Explicatur Thesis 73
Probatur Thesis 74
Quæstio 1ª. Num aliquando liceat occasionem proximam voluntariam, non physice, sed moraliter tantum vitare? . . . 76
Quæstio 2ª. Num confessarius semper monere debeat pœnitentem de gravi obligatione vitandi occasionem proximam voluntariam? 80

pag.

ARTICULUS III. — De agendi ratione cum iis qui peccant propter occasionem voluntariam interruptam . . 84

THESIS 4ª. — I. *Qui peccat propter aliquam occasionem proximam voluntariam et interruptam, eamque non amplius aditurum sincere promittit, aliquoties, v. g. bis terve, absolvi potest.* — II. *Quodsi postea emendatio non appareat sed eodem modo lapsus fuerit, generatim a confessario, ut judex est, absolvi nequit, nisi speciale quoddam doloris et propositi indicium præbeat* 86

Prænotanda 86

Probatur *prima* pars 86

Probatur *altera* pars 87

Confirmatur utraque pars auctoritate 88

ARTICULUS IV. — De agendi ratione cum iis qui versantur in occasione voluntaria continua seu « in esse » 90

THESIS 5ª. — *Qui versatur in occasione voluntaria continua seu « in esse », eaque valde periculosa, ordinarie loquendo, ne prima quidem vice absolvendus est, nisi prius occasionem removeat* 90

Explicatur Thesis 91

Probatur Thesis

I. Ex officio Judicis 92

II. Ex officio Medici 94

Confirmatur Thesis auctoritate 94

Exceptiones dilucidantur 100

Refutantur objectiones 104

CAPUT IV.

De occasione proxima necessaria.

ARTICULUS I. — De ratione agendi confessarii, ut judicis, cum iis qui versantur in occasione proxima necessaria 108

Textus S. Alphonsi (VI, 455)

Explicatur quæ sit occasio necessaria 110

THESIS 6ª. — *Qui versatur in occasione proxima necessaria eam dimittere non tenetur et a confessario, ut judex est, absolvi potest, modo remedia necessaria quibus peccatum vitetur adhibere velit* 116

Explicatur Thesis 116

Probatur Thesis 116

Appendix. De remediis adhibendis in occasione necessaria . . 117

pag.

ARTICULUS II. — De ratione agendi confessarii, ut medici, cum iis qui versantur in occasione necessaria . . 120
Textus S. Alphonsi (VI, 456, § 1-3)

THESIS 7ª. — I. *Confessarius, ut medicus, non tantum potest, sed etiam tenetur pœnitenti contrito aptare remedia certe efficaciora ad ejus relapsum præcavendum.* — II. *Hinc, si commode fieri potest, versanti in occasione necessaria differenda est absolutio, donec hic remedia præscripta adhibuerit.* — III. *Practice tamen, nostris imprimis temporibus, sæpe incommoda obstabunt, quominus huic jam statim ab initio absolutio differatur* 121

Explicatur Thesis 121
Probatur *prima* pars 122
Probatur *altera* pars 124
Declaratur *tertia* pars 125
Scholion I. De propria S. Doctoris praxi cum occasionariis . 128
Textus S. Alphonsi (VI, 456, § 4)
Scholion II. Principium S. Doctoris de prudenti usu opinionum 130
Textus S. Alphonsi (VI, 456, § 5)

CAPUT V.

De relinquenda occasione proxima necessaria casu quo quis semper relabitur.

Textus S. Alphonsi (VI, n. 457) 133

THESIS 8ª. — *Pœnitens qui in occasione moraliter necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabitur, ita ut probabilis spes ejus emendationis jam non supersit, per se non amplius absolvi potest, sed obligandus est, ut occasionem cum quocumque etiam incommodo aut damno deserat* . . 136

Explicatur Thesis 136
Probatur Thesis
I. Ex obligatione vitandi periculum formale peccandi . . 142
II. Ex præcepto Evangelico 143
III. Ex defectu veri propositi 144
IV. Ex officio medici 145
V. Ex periculis sententiæ oppositæ 146
VI. Ex prohibitione operis Pellizarii 147
Confirmatur Thesis auctoritate 148
Argumenta contraria solvuntur 152

CAPUT VI.

pag.

Tradita hactenus de occasionariis doctrina confirmatur gravissima S. Caroli Borromæi auctoritate.

Textus S. Alphonsi (VI, 458) 160

THESIS 9ª. — I. *Auctoritas S. Caroli Borromæi in materia de occasionariis non mere privata est, sed quodam sensu publica, utpote a permultis Ecclesiæ Pastoribus et ab ipsa Sede Apostolica summopere commendata.* — II. *Hujus autem S. Archiepiscopi doctrina plane concordat cum exposita hactenus doctrina S. Alphonsi* 161

Probatur *prima* pars 161
Probatur *altera* pars 166

TRACTATUS ALTER

DE RECIDIVIS

(S. Alph. Theol. Mor. lib. VI, n. 459-464)

CAPUT I.

De notione peccatoris habituati et recidivi.

Textus S. Alphonsi (VI, 459, § 1-3) 173

ARTICULUS I. — De notione habitus et peccatoris habituati . 174

THESIS 10ª. — *Juxta mentem S. Thomæ et S. Alphonsi habitus peccandi est qualitas permanens, qua quis quasi naturaliter inclinatur ad peccandum, ita ut frequenter, prompte, facile et sine ullo fere resistendi conatu labatur. Unde peccans ex habitu et peccans ex passione plane inter se differunt* . 174

Probatur Thesis
I. De mente S. Thomæ 174
II. De mente S. Alphonsi 182

Quæstiones de genesi habitus: 1º Quo modo habitus peccandi generatur? — 2º Quæ actuum frequentia requiritur ut habitus constituatur? 184

ARTICULUS II. — De notione recidivi 191

THESIS 11ª. — *Recidivus, sensu formali et pressiore de quo in hac disputatione agitur, recte definitur: peccator qui, jam semel a confessario monitus, eodem vel quasi eodem modo in eumdem*

pag.

habitum peccati est relapsus, nullo adhibito conatu et nullo impleto ex remediis a confessario præscriptis. Recidivus, cui aliqua ex hisce notis deest, dicitur recidivus materialiter tantum et sensu latiore, a. v. est solum recidivus in peccatum, non autem recidivus in habitum peccandi seu habituatus recidivus 191
Declaratur Thesis 192
Discutitur alia notio recidivi 194

CAPUT II.

De absolutione peccatoris habituati.

THESIS 12ª. — *Habituatus in peccato, etiamsi nulla emendatio præcesserit, jam prima vice absolvi potest, si ordinaria dispositionis signa præbet* 197
Explicatur Thesis 197
Digressio. De doctrina Concilii Tridentini circa dispositionem ad absolutionem requisitam 198
Probatur Thesis 202
Objectiones refutantur 205
Quæstio. De officio medici circa simpliciter habituatos . . 206
Digressio. De contritione appretiative summa 207

CAPUT III.

De absolutione recidivorum.

Textus S. Alphonsi (VI, 459, § 4-12) 216
Exponitur status quæstionis 221
ARTICULUS I. — De absolutione recidivorum juxta rationem theologicam 227
THESIS 13ª. — *Recidivus formalis, qui scilicet jam serio admonitus eodem semper modo in eumdem pravum habitum recidit, non potest toties quoties a confessario, ut judex est, absolvi, si solum signum ordinarium, id est proprium suæ dispositionis testimonium affert. — Proinde adagium: « Pœnitenti credendum est sive pro se sive contra se loquenti » de hujusmodi recidivo intelligi nequit* 227
Probatur Thesis variis rationibus
I. Ex parte firmi propositi 228
II. Ex parte sinceræ contritionis 230

pag.
III. Ex experientia et praxi S. Tribunalis 232
IV. Ex funestis consequentiis doctrinæ oppositæ . . . 234
V. Ex propositione 60ma ab Innocentio XI proscripta . . 239
VI. Ex instructione S. Congr. de Prop. Fide 242
Corollarium. De sensu adagii: « Pœnitenti credendum est, sive pro se sive contra se loquenti » 244
Objectionibus satisfit 250

ARTICULUS II. — De absolutione recidivorum juxta antiquorum Theologorum doctrinam 252

THESIS 14a. — *Theologi antiqui quasi communiter docent, recidivum formalem, solum signum ordinarium seu proprium sui doloris testimonium præbentem, nequaquam toties quoties absolvi posse. Huic enim, nisi alia quædam specialia doloris signa exhibeat, saltem post aliquas confessiones, utpote non satis disposito, absolutionem differendam esse, non suadent modo, sed etiam præcipiunt* 252

Prænotanda 252
Probatur Thesis 255
§ 1. Theologi qui vitae sanctitate eminuerunt 255
§ 2. Theologi a fine sæculi XVI usque ad Innocentium XI . 259
§ 3. Theologi inde ab Innocentio XI usque ad S. Alphonsum 269
Recapitulatio hujus Thesis 273
Objectionibus satisfit 275
Conclusio contra æquo laxiores Theologos 281
Quæstio Appendix. De recidivis in venialia 281

ARTICULUS III. — De recidivo formali jam semel rite admonito et absoluto 284

THESIS 15a. — I. *Haud immerito S. Alphonsus cum multis aliis docet, recidivum formalem, qui jam semel serio admonitus fuit ac absolutus, neque ullum in præsenti confessione speciale dispositionis signum præbet, utpote dubie dispositum, per se statim absolvi non posse.* — II. *In praxi tamen tale signum speciale a diligenti confessario primis vicibus ut plurimum reperietur* 284

Explicatur Thesis 285
Probatur Thesis
I. Ratione 285
II. Auctoritate 287
Scholion. De benigniore præ multis antiquis S. Alphonsi circa recidivos doctrina 289

pag.

ARTICULUS IV. — De absolutione recidivi qui specialia quædam præbet dispositionis signa 290

THESIS 16ª. — *Recidivus formalis, qui specialia quædam seu extraordinaria suæ dispositionis signa præbet, a confessario, ut judex est, statim absolvi potest* 290

Explicatur Thesis 290

Probatur Thesis

I. Ratione theologica 291

II. Ex funestis consequentiis sententiæ rigoristarum . . 293

III. Ex communi theologorum sententia 294

ARTICULUS V. — De confessarii obligatione disponendi pro viribus pœnitentem non satis contritum . . . 295

THESIS 17ª. — I. *Confessarius, antequam peccatorem recidivum non satis dispositum remittat, per se sub gravi tenetur serium adhibere conatum, ut ferventi exhortatione ipsum disponat. Quod si facit,* (II) *persæpe quidem,* (III) *sed non semper eveniet, ut pœnitens speciale quoddam veri doloris signum ostendat, adeoque ut vere dispositus statim absolvi possit* 295

Explicatur Thesis 295

Probatur *prima* pars

I. Ratione 296

II. Auctoritate 297

Probatur *altera* et *tertia* pars 300

CAPUT IV.

De variis specialibus seu extraordinariis doloris signis.

Textus S. Alphonsi (VI, 460) 303

THESIS 18ª. — *Genuina interpretatio signorum extraordinariorum, quæ a S. Alphonso aliisque antiquis recensentur, probat, systema hoc valde psychologicum esse atque aptissimum, ut prudenter judicet confessarius de sincera voluntatis mutatione seu conversione recidivi* 306

Declaratio et probatio Thesis 306

Objectionibus respondetur 317

Appendix. Methodus practica tractandi pœnitentem, imprimis recidivum et occasionarium 318

I. De modo inquirendi statum pœnitentis 318

II. De modo disponendi pœnitentem 321

III. De modo differendi absolutionem, si id opus fuerit . . 325

CAPUT V.

pag.

De judicio requisito circa pœnitentis dispositionem.

Textus S. Alphonsi (VI, 461) 330

THESIS 19ª. — *Ut confessarius licite pœnitentem sine conditione absolvat, non sufficit opinio æque aut fere æque probabilis de ejus dispositione, quæ nempe dubium positivum et proprie dictum ingeneret, sed requiritur et sufficit opinio aut unice probabilis aut certo ac notabiliter probabilior, ita ut confessarius judicio vere opinativo censeat pœnitentem esse dispositum; a. v. requiritur et sufficit ea quæ a S. Thoma dicitur « certitudo probabilis », « certitudo opinionis », « certitudo prudentiæ », seu illa certitudo moralis imperfecta et late dicta quæ, licet prudentem erroris formidinem admittat, tamen dubium positivum, prudens et stricte dictum excludat* . . . 332

Explicatur Thesis juxta principia S. Thomæ 332

Probatur Thesis rationibus:

I. Ex natura judicii sacramentalis 337
II. Ex reverentia sacramento Pœnitentiæ debita . . . 338
III. Ex propositione 1ª ab Innocentio XI proscripta . . 340
IV. Ex Instructione S. Congr. de Prop. Fide (Aug. 1827) . 341
V. Ex perniciosis consectariis sententiæ oppositæ . . . 342

Confirmatur Thesis auctoritate theologorum 343

Objectionibus satisfit 348

CAPUT VI.

De remedio dilatæ absolutionis pro pœnitente sufficienter contrito.

Textus S. Alphonsi (VI, 462-464) 357

ARTICULUS I. — Principia generalia circa dilationem absolutionis 364

THESIS 20ª. — I. *Confessarius pœnitenti sub omni respectu rite disposito et absolutionem petenti, hanc differre nequit. Atvero,* (II) *licet ut judex aliquem sufficienter contritum et dispositum censeat ad recipiendam absolutionem, interdum tamen, præcipue ut medicus, judicare potest, eum non esse satis paratum ac dispositum ut statim absolvatur: ac propterea, si aliunde nihil obstat, ipsi, per se etiam sine ejus consensu, per breve tempus absolutionem differre potest;* (III) *imo id aliquando etiam debet* 364

pag.
Explicatur Thesis 364
Probatur *prima* pars 367
Probatur *altera* pars
I. Ratione 370
II. Auctoritate 373
Scholion. De sensu Canonis 886 Codicis Juris 376
Probatur *tertia* pars
I. Ratione 381
II. Auctoritate 382
Objectionibus satisfit 384

ARTICULUS II. — Rationes prudentiæ circa dilationem absolutionis 386

THESIS 21ª. — I. *In differenda absolutione pœnitenti sufficienter contrito rationes pro et contra variæque pœnitentis circumstantiæ prudenter perpendendæ sunt.* — II. *Generatim autem merito docet S. Alphonsus, recidivo ex fragilitate intrinseca hoc remedium raro expedire; secus vero recidivo ob occasionem extrinsecam* 387

I. Explicatur et probatur *prima* pars 387
II. Explicatur et probatur *altera* pars 396
Quæstio. Per quantum tempus sit differenda absolutio . . 400
Conclusio S. Alphonsi 402

CAPUT VII.

De absolutione sub conditione danda peccatori dubie disposito.

Textus S. Alphonsi (VI, 431, 432) 405

THESIS 22ª. — I. *Peccatorem dubie dispositum sine causa relative gravi sub conditione absolvere, graviter prohibitum est.* — II. *Si talis causa adest, hujusmodi peccator sub conditione absolvi potest vel etiam debet.* — III. *Præsertim ita absolvi debet, si confessarius prudenter timet, ne hujusmodi dubie dispositus non amplius ad confessionem redeat et in peccatis tabescat* 407
Explicatur Thesis 407
Probatur *prima* pars
I. Rationibus 409
II. Auctoritate 411
Probatur *altera* pars
I. Ratione 413
II. Auctoritate 414

pag.
Objectionibus satisfit 414
Scholion. De modo exprimendi conditionem 415
Digressio. Exponuntur varii casus vel rationes concedendæ absolutionis conditionatæ 418
I. Periculum mortis 418
II. Necessitas suscipiendi sacramenta Matrimonii, Confirmationis vel Eucharistiæ 421
III. Necessitas diutius differendi confessionem . . . 423
IV. Impossibilitas acquirendi per dilationem certiorem de dispositione cognitionem 424
V. Alii quidam casus vel rationes rejiciuntur 426
Probatur *tertia* pars 427
EPILOGUS 431
ELENCHUS PRÆCIPUORUM AUCTORUM 437
INDEX 439

13,475

241.5
T26

13,475

241.5
T26

Haar, Franciscus Ter

AUTHOR

De Occasionariis et Recidivis.

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	DEC 12 1986	

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709